COLLECTANEA ARCHIVI VATICANI
27/2

PONTIFICIO COMITATO DI SCIENZE STORICHE

ATTI E DOCUMENTI
3/2


AMERICA PONTIFICIA

PRIMI SAECULI EVANGELIZATIONIS
1493-1592


DOCUMENTA PONTIFICIA
EX REGISTRIS ET MINUTIS PRAESERTIM
IN ARCHIVO SECRETO VATICANO EXISTENTIBUS

collegit, edidit
JOSEF METZLER

MANDATU PONTIFICII COMITATUS
DE SCIENTIIS HISTORICIS



LIBRERIA EDITRICE VATICANA
CITTÀ DEL VATICANO
1991



ISBN 88-209-1723-8

II

1563 - 1592

(doc. 190-579)

94-0001634

190

Superna dispositione

Arm. XLII 18 fol. 123r-126r die 12 februarii 1563

FACULTATES SPIRITUALES SPECIALES PRO EPISCOPIS ET REGE PORTUGALLIAE

Summus Pontifex libenter intendit propagationi fidei et saluti animarum. Episcopi Indiarum Orientalium, Sancti Thomae et Brasiliae exponi fecerunt, se propter immensam locorum distantiam et periculosam navigationem limina Apostolorum visitare non posse. Ideoque eos et successores eorum, aliosque forsan in illis partibus creandos episcopos de tali visitatione dispensat. Propter inopiam sacerdotum saecularium facultatem eis quoque concedit, ut etiam sacerdotes religiosi in consecratione olei sancti eis assistere, ut candidatos ad ordines sacros infra tempus canonicum promovere, sacerdotibusque in regionibus ad quas personaliter accedere non possunt, facultates spirituales subdelegare ac vota fidelium in alia pietatis opera commutare possint. In litibus inter episcopos patriarcha Aethiopiae et vicarius provincialis Ordinis Praedicatorum arbitri constituuntur. Sebastiano regi Portugalliae licentia datur nominandi administratores pro aliquibus regionibus, cum iurisdictione episcopali quae tamen ordinationem non supponit.

Pius IV

Ad perpetuam rei memoriam. Superna dispositione cuius inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa ad apostolice dignitatis apicem sublevati ad ea per quae personarum ecclesiasticarum quarum etiam presertim pontificali dignitate preditarum commoditatibus ac fidei catholice propagationi, necnon christifidelium quorum etiam animarum saluti opportune consuli possit libenter intendimus. Cum itaque sicut venerabiles fratres archiepiscopus Goan. et Cochin.

ac Malahan. et Sancti Salvatoris necnon Sancti Thome episcopi nobis exponi fecerunt limina Beatorum Apostolorum Petri et Pauli de Urbe, prout iuxta formam iuramenti in litteris apostolicis facultatis muneris consecrationis illis impensi annotatam in eiusdem muneris impensione visitare iurarunt propter immensam locorum terra marique distantiam, ac longam et periculosam navigationem visitare nequeant. Nos attendentes dictos archiepiscopum et episcopos apud eorum ecclesias et diocesim residentes dicta limina dificiliter prout tenentur visitare posse, et propterea ipsos archiepiscopum et episcopos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes charissimi in Christo filii nostri Sebastiani Portugallie et Algarbiorum Regis illustris suo et eorundem archiepiscopi et episcoporum nominibus supplicationibus inclinati, predictis modernis ac pro tempore existentibus archiepiscopo Goan. ac Cochin., Malachan., Sancti Salvatoris et Sancti Thome, ac forsan aliis de novo in partibus ultramarinis creandis episcopis, ut dicta limina per se vel alium seu alios videlicet usque ad decennium visitare etiam pretextu quoruncunque iuramentorum in susceptione muneris consecrationis illis pro tempore impensis prestitorum minime teneantur, nec periurii reatum incurrant vel ad id a quocunque Romano Pontifice pro tempore existente, aut Sede Apostolica vel quocunque alio cogi et compelli minime possint lapso vere dicto decennio per alium seu alios ad id deputandos statutis temporibus visitare debeant. Quodque deficiente numero presbiterorum secularium in eorum ecclesiis beneficiatorum ad consecrationem olei sancti requisitorum quoscunque presbiteros seculares et cuiusvis etiam mendicantium Ordinis regulares in consecratione olei sancti huiusmodi assumere et illis assistentibus oleum huiusmodi consecrare, necnon quoscunque ad sacros ordines promoveri desiderantes si illi ad id per eosdem archiepiscopum et episcopos sufficientes et idonei reperti fuerint in decimo sexto ad subdiaconatus, et in decimo octavo ad diaconatus, in vigesimo tertio vero suarum etatum annis tunc constitutis ad presbiteratus ordines promovendi, ac eisdem promovendis ordines ipsos in eisdem annis sunt constitutis respective recipiendi, necnon eisdem archiepiscopo et episcopis in illis partibus suarum diocesium et provinciarum, in quibus personaliter accedere non potuerint quoscunque dignitates ecclesiasticas in earum ecclesiis obtinentes in presbiteratus ordine constitutos, alias ad id sufficientes et idoneos qui noviter conversis, et aliis christifidelibus deficiente archiepiscopo et episcopis et in extrema necessitate sacramentum confirmationis ac oleum sanctum et alia ad id requisita cum debita reverentia ac servatis ceremoniis in hoc servari consuetis conferre possint deputandi. Ac, ex tam legitime religionis et constitutis votis exceptis, quecunque etiam ultramarinum visitationis

liminum Apostolorum eorundem ac Sancti Iacobi in Compostella per quoscunque etiam noviter conversos christifideles emissa vota in alia pietatis opera commutandi, ac in causis, questionibus, litibus et differentiis inter eosdem episcopos et dictum archiepiscopum, et inter eosdem archiepiscopum et episcopos invicem etiam super finibus divisione et limitatione ac separatione suarum provinciarum et diocesis venerabilem fratrem patriarcham Ethiopiae, ac dilectum filium vicarium provincialem Ordinis Fratrum Praedicatorum in illis partibus deputatum modernos et pro tempore existentes, qui per eos certa illa pro tempore stabilita iudicata statuta et decreta observari facere, ac eosdem archiepiscopum et episcopos respective ad illorum observationem etiam ecclesiasticis censuris, ac etiam pecuniarum eorum arbitrio moderandis et applicandis penis, ac aliis iuris et facti remediis ac quacunque appellatione remota cogere et compellere possint constituimus et deputamus. Necnon eidem Sebastiano et pro tempore existenti Portugallie et Algarbiorum Regi ut in Ormuz unum ac in Mocambique alium, necnon Cofala regnis seu provinciis sub diocesi Goan. consistentes reliquum administratores dummodo sint in sacro ordine constituti et [...] ad tempus de quo sibi videbitur amovibiles deputare possit et valeat, qui deputationis huiusmodi vigore absque alia desuper obtinenda confirmatione provincias et loca sibi per episcopum de Cochin aut vicarium provincialem prefatos ad postulationem archiepiscopi Goan. limitata et ordinata, illorunque personas quascunque in capite et in membris visitare, delinquentes corrigere, confirmationis et alia ecclesiastica sacramenta christifidelibus etiam noviter conversis predictis conferre et ministrare, ac quamcunque aliam episcopalem, non tamen que sunt ordinis, iurisdictionem exercere et gerere, ac quascunque causas in foro ecclesiastico audire et in illis procedere et sine debito prout iuris fuerit terminare et sententias a quibus ad eundem archiepiscopum appellari possit, ferre et alia ad divini cultus et fidei Catholice propagationem et augmentum tendentia exequi et gerere ita quod archiepiscopi Goan. pro tempore existentes ab onere visitationis ac ordinarie iurisdictionis eorundem locorum liberi remaneant. Ac insuper dilecto filio moderno et pro tempore existenti vicario de Malucho nuncupato quod omnibus et singulis facultatibus preheminentiis gratiis favoribus et indultis predictis archiepiscopo et episcopis, necnon iurisdictionibus predictis deputandis administratoribus per presentes aut alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis ac quibus illi et eorum quilibet utuntur, potiuntur et gaudent ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet infuturum quo ad omnes sub sua iurisdictione comprehensos non tamen hec que sunt ordinis uti, potiri et gaudere illaque omnia et singula gerere et exercere libere et

licite possint et valeant etiam concedimus et indulgemus. Non obstantibus premissis ac quibusvis Apostolicis necnon in provincialibus et sinodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ac Goan., Cochin., Malachan., Sancti Salvatoris et Sancti Thome ecclesiarum predictarum iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die XII februarii 1563 anno 4°.

191

Exuberans et indefessus

Arm. XLII 18 fol. 443r-445r — die 15 iunii 1563

PRO PRESBYTERIS SOCIETATIS IESU
FACULTATES DIVERSAE

Laudatur zelus missionariorum Societatis Iesu in propagatione fidei. Vivae vocis oraculo eis a Summo Pontifice concessa fuerat facultas dispensandi ab impedimentis matrimonii. Sed deficientibus documentis scriptis hac in re, Ordinarii loci agnoscere nolent illam facultatem. Ideoque Summum Pontificem supplicaverunt, ut documentum scriptum eis daretur et facultas ad omnes Iesuitarum missiones in Asia, Africa et India Occidentali extenderetur. Papa precibus annuit quia christianitates in illis regionibus tenellulae adhuc et specialibus favoribus indigent, ac facultates dispensandi ab impedimentis consanguinitatis, legitimandi prolem et admittendi neophytos ad sacram Eucharistiam concedit.

Pius IV

Dilectis filiis generali aliisque prepositis et presbiteris Societatis Iesu.

Dilecti filii salutem etc. Exuberans et indefessus gentilitatis ad Creatoris sui agnitionem adducende christianeque religionis propagande zelus quem cordibus vestris impressit Altissimus prorsus exigit ut pias petitiones vestras de proximi salute sollicitas exauditionis gratia condonemus. Exponi siquidem nobis nuper fecistis quod licet vobis dudum per certum Romanum Pontificem predecessorem nostrum facultas cum neophitis Indiarum aliarumque orientalium regionum, quas ibi verbum Dei seminando, caliginosasque brachmanum suorum tenebras evangelici lampadis fulgore collustrando, et idolorum templa que pagodas vocant in sanctissimas Summi Dei Ecclesias consecrando, iampridem peragrare non cessatis, ut etiam in omnibus gradibus a iure divino non prohibitis invicem coniuncti matrimonialiter copulari valeant in foro conscientie dispensandi vive vocis oraculo concessa fuerit. Quia tamen nihil de hoc in scriptis apparet veremini ne aliqui locorum ordinarii vel eorum in spiritualibus vicarii vestre super hoc assertioni non acquiescentes, ad personarum ita coniugatarum separationem aliquando procedere velint, in grave plantationis huius novelle que ob eius partim naturalem inclinationem, partim paucitatem vix intra primi gradus consanguinitatis limites se continet scandalum. Quare nobis humiliter supplicari fecistis quatinus vobis huiusmodi facultatem per litteras nostras concedere, eamque ad forum exteriorem in illis partibus ubi nullus omnino reperitur episcopus, prout sunt Sinarum, Giappone, Inguambane, Giafanapaton imperii, Manomotapa Angoleque regiones et alie Libie, Ethiopie interioris et utriusque Indie provincie, ad quas alias idolatrarum nationes salutifere crucis vexilla et regenerantis aque baptismus Sanctumque Domini et Dei nostri Iesu Christi Evangelium per intrepidum charitatis et predicationum vestrarum ministerium Domino miserante penetrarunt, ac etiam ad alias partes unde Indie prelati commode adiri nequeant, extendere, ac alias infrascriptis necessitatibus subvenire de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur plantas illas tenellas solidioris cibi nondum capaces quasi lacte donec ea que parvulorum sunt evacuent coalendas esse censentes vestris in hac parte supplicationibus inclinati vobis ut vestre societatis provinciales vel ab eis deputati presbiteri cum eisdem neophitis in quocunque seu quibusvis a iure divino non prohibitis consanguinitatis vel affinitatis gradibus vel alias coniunctis, ut impedimentis huiusmodi non obstantibus matrimonium inter se contrahere et solemnisare, seu in iamque etiam scienter contractis matrimoniis huiusmodi remanere valeant in partibus videlicet ubi ordinarii locorum facile adiri possunt in foro conscientie tantum perpetuo. Et insuper ibidem infra tamen XXti annos proxime futuros tantum quod ipsi locorum ordinarii de presbiterorum eorundem tamquam adiutorum

suorum et assessorum in locis ubi eorum poterit commode haberi copia consilio cum illis etiam in iudiciali foro, in reliquis autem provinciis ordinariorum presentia destitutis vel ab eis remotis quod iidem provinciales et deputati presbiteri cum eisdem neophitis, etiam in utroque foro auctoritate apostolica gratis dispensare necnon eos qui in gradibus prohibitis huiusmodi etiam scienter contraxerint ab istis excessibus ac excommunicationibus aliisque sententiis, censuris et penis ecclesiasticis per eos propterea incursis in utroque similiter foro iniuncta eis pro modo culpe penitentia salutari absolvere, ac prolem inde susceptam et suscipiendam legitimam decernere et preterea quoniam presbiteris etiam solicitis et diligentibus accedere possint ut illis in fractione sacrosancte Eucharistie vel alias dum in altaris ministerio celebrant aliqua Eucharistie fragmenta seu minutie intercidant, quod ipsi societatis presbiteri tam in dictis partibus, quam alibi ubilibet constituti, quibus huiusmodi minutie vel super corporalia vel alias pro tempore interciderint illas, etiam post peractum sacrificium absque ullo conscientie scrupulo reverenter sumere et deglutire libere et licite valeant plenam et liberam facultatem eadem auctoritate apostolica tenore presentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus premissis et quibusvis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus necnon quibusvis etiam iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod presentium transumptis manu alicuius notarii publici si adsit alias alicuius ex Societate predicta persone subscriptis et alicuius persone in dignitate ecclesiastica constitute sive ipsius Societatis sigillo munitis ea prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra que originalibus ipsis adhiberetur si forent exhibite vel ostense. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die XV iunii 1563, anno 4° [1].

[1] Cfr. infra doc. 342.

192

Super specula

die 22 martii 1564

ERECTIO ECCLESIAE CIVITATIS IMPERIALIS
(*CONCEPCIÓN, CHILE*)

Textus insertus de verbo ad verbum in documento *Provisionis nostrae* diei 30 decembris 1567. Cfr. infra doc. 213.

193

Apostolatus officium

die 22 martii 1564

PROVISIO ECCLESIAE CIVITATIS IMPERIALIS
(*CONCEPCIÓN, CHILE*)

Textus insertus de verbo ad verbum in documento *Provisionis nostrae* diei 30 decembris 1567. Cfr. infra doc. 214.

194

In suprema dignitatis Apostolicae

Reg. Vat. 1907 fol. 196r-199r
Hernáez II 725

die 22 martii 1564

TRANSLATIO SEDIS EPISCOPALIS SANCTAE MARTHAE AD CIVITATEM SANCTAE FIDEI, QUAE IN SEDEM METROPOLITICAM ERIGITUR

Summus Pontifex praecipuas sedes episcopales propter spiritualem utilitatem ad maioris dignitatis honorem promovet. Oppidum Sanctae Fidei titulo civitatis non indignum est. Sedes episcopalis Ecclesiae Sanctae Marthae in dictum oppidum transfertur et in sedem archiepiscopalem erigitur, ad instantiam Philippi regis, ac oppidum civitatis metropolis titulo decoratur. Iuspatronatus regi Hispaniae conceditur. Ioannes de los Barrios episcopus nuper Sanctae Marthae ad sedem archiepiscopalem transfertur. Episcopi dioecesium *Popayán* et *Cartagena* suffraganei eius constituuntur dummodo tamen archiepiscoporum Civitatis Regum et Sancti Dominici quorum suffraganei usque nunc erant et episcoporum quorum interest ad hoc accedat assensus. Episcopo Ioanni in archiepiscopum electo mandatur, et curam et administrationem prudenter exerceat, clero et fidelibus vero mandatur, ut ipsi tamquam patri et pastori animarum oboedientiam exhibeant. Omnes Philippo regi commendantur. Ioannes iuramentum fidelitatis, cuius forma sequitur, in manibus episcoporum de *Popayán* et *Cartagena* vel alterius eorum emittere debet, antequam regimen dioecesis assumit.

Pius IV

Pius Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. In suprema dignitatis Apostolice specula meritis licet imparibus divina dispositione constituti pervigiles mentis nostre oculos ad fructuosam agri Dominici culturam dirigentes in eam pastoralis officii curam libenter incumbimus, ut quid provinciarum locorumque quorumlibet antiquo presertim Domini peculio per eius misericordiam noviter aggregatorum statui et decori quidve illorum incolarum animarum saluti expediat solerter inspiciamus et ut precipuas esse ducimus episcopales sedes ecclesiasticas congruis ibi locis constituere ita non postremas eiusdem officii partes existimamus ipsas sedes in uberiora comodioraque eiusdem agri loca presertim si publica tam spiritualis quam temporalis utilitas inde resultet ac vota Catholicorum Regum id expetant aliquando transplantare illasque nonnunquam ad maioris dignitatis honorem promovere, ut per huiusmodi transplantationes et promotiones divinus ibi cultus augeatur, maior salutis animarum proventus subsequatur locaque insignia et nobilium virorum domiciliis illustrata dignioribus titulis decorentur. Considerantes itaque oppidum

civitatem nuncupatum Sancte Fidei Mexicanen. vel alterius diocesis in partibus Indiarum maris Oceani charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico subiectis constitutum insigne et notabili nobilium virorum et populi multitudine refertum edificiisque et opibus ut in ea patria conspicuum et propterea civitatis titulo non indignum esse, ac dicti Philippi Regis et reipublice comodis necnon illius provincie decori hominumque provincialium animarum saluti conducere quod ecclesie Sancte Marthae, cui venerabilis frater noster Martinus [1] episcopus Sancte Marthe preesse dinoscitur, Sedes Episcopalis in dictum oppidum transferatur et apud illud in Sedem Archiepiscopalem Sancte Fidei instituatur. Idcirco matura super his cum fratribus nostris deliberatione prehabita necnon predicto Philippo Regi ad quem et pro tempore existentem Hispaniarum Regem ius patronatus et presentandi nobis et Romano pontifici pro tempore existenti personas idoneas ad Sancte Marthe predictam et alias infrascriptas ecclesias ex privilegio apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum pertinere dinoscitur instante, ac nobis pro his humiliter supplicante de eorumdem fratrum nostrorum consilio et assensu deque apostolice potestatis plenitudine dictam Sedem Episcopalem Sancte Marthe Ecclesie una cum Martino episcopo predicto ac dilectis filiis canonicis et capitulo necnon dignitatibus, canonicatibus et prebendis ac Episcopali et Capitulari mensis aliisque insigniis suis necnon dictum oppidum Sancte Fidei cum suis districtu et locis circumvicinis per ipsum Philippum Regem limitandis a Mexican. prefata vel alia si cui suberat diocesi auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo dismembramus et separamus, necnon Sedem Episcopalem Sancte Marthe huiusmodi cum Martino episcopo, canonicis et capitulo necnon dignitatibus, canonicatibus et prebendis ac Episcopali et Capitulari mensis aliisque insigniis suis predictis ad idem oppidum Sancte Fidei transferimus et ibi unam ecclesiam metropolitanam Sancte Fidei ac predictam sedem in Archiepiscopalem Sedem cum solitis prerogativis et insigniis ad omnipotentis Dei laudem et honorem ac orthodoxe fidei exaltationem, necnon totius militantis ecclesie gloriam eisdem auctoritate et tenore perpetuo erigimus et instituimus, necnon oppidum predictum civitatis metropolis titulo decoramus ac eidem Philippo et pro tempore existenti Hispaniarum Regi ius patronatus et presentandi nobis et pro tempore existenti Romano pontifici personam idoneam ad ecclesiam Sancte Fidei predictam quando et quoties ecclesiam ip-

---

[1] Nominatur hic «Martinus», sed est error. Cfr. infra doc. 205 *Accepimus nuper* diei 13 maii 1567. Nomen episcopi est Ioannes de los Barrios. De eo cfr. supra doc. 145.

sam Sancte Fidei deinceps pro tempore vacare contigerit, eisdem modo et forma, quibus sibi ad ipsam ecclesiam Sancte Marthe reservatum fuerat, motu proprio et ex certa scientia paribus auctoritate et tenore reservamus et concedimus; et ne ecclesie Sancte Fidei erectio huiusmodi inutilis et imperfecta remaneat, sperantes quod ipse Martinus episcopus nuper Sancte Marthe, qui hominibus [et] eidem ecclesie Sancte Marthe laudabiliter prefuit, dictam ecclesiam Sancte Fidei sciet, volet et poterit auctore Domino salubriter regere et fideliter gubernare, ac eumdem Martinum episcopum nuper Sancte Marthe a quibusvis excommunicationis etc. censentes eidem ecclesie Sancte Fidei a primeva eius erectione huiusmodi vacante de persona predicti Martini episcopi, ita quod ipse pallio aliisque solitis facultatibus metropoliticis uti possit de simili consilio, dicta auctoritate, providemus ipsumque eidem ecclesie Sancte Fidei in Archiepiscopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie Sancte Fidei sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac eidem Martino episcopo in archiepiscopum electo, necnon canonicis et capitulo liberam ad civitatem et ecclesiam Sancte Fidei predictas transeundi facultatem concedendo et insuper Popayan. que civitatis Regum provincie del Peru et Cartaian. que Sancti Dominici archiepiscoporum venerabilium etiam fratrum nostrorum suffraganeae sunt ecclesias cum dilectis filiis capitulis, cleris et populis suis a civitatibus Regum et Sancti Dominici provinciis similibus auctoritate et tenore separamus et a suorum archiepiscoporum predictorum subiectione et alia quavis superioritate eximimus illasque et illa ecclesie Sancte Fidei et eius pro tempore existenti archiepiscopo predictis pro suis suffraganeis concedimus et subicimus dummodo tamen ipsorum archiepiscoporum et episcoporum quorum interest ad hoc accedat assensus decernentes ex nunc irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Quocirca per apostolica scripta mandamus dicto Martino episcopo in archiepiscopum electo quatinus ad predictam ecclesiam Sancte Fidei cum gratia nostre benedictionis accedens illius curam et administrationem predictas sic exercere studeat sollicite, fideliter et prudenter quod exinde sperati fructus proveniant, ac ipsius Martini episcopi in archiepiscopum electi bone fame odor ex suis laudabilibus actibus latius diffundatur, dictaque ecclesia Sancte Fidei gubernatori provido et fructuoso administratore gaudeat se commissam ac nunc preter eterne retributionis premium nostram et apostolice sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi mereatur, necnon capitulo predictis et dilectis filiis vasallis ecclesie ac clero et populo civitatis et diocesis Sancte Fidei predictarum quatinus capitulum eidem Martino episcopo in ar-

chiepiscopum electum tamquam patri et pastori animarum suarum humiliter intententes exhibeant sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas, ac clerus eumdem pro nostra et dicte sedis reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes eius salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent, populis vero illum tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes ipsius monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita ut ipse Martinus episcopus in archiepiscopum electus in eos devotionis filios et ipsi in eo per consequens patrem benevolum se invenisse gaudeant, vasalli autem predicti ipsum honore prosequentes ei fidelitatem solitam et consueta servitia ac iura sibi ab eis debita integre exhibere procurent alioquin sententiam sive penam quam respective idem Martinus episcopus in archiepiscopum electus rite tulerit seu statuerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari; rogamus quoque et hortamur attente Philippum Regem ac Popayan. et Cartaian. episcopos ipsius ecclesie Sancte Fidei suffraganeos predictos eisdem suffraganeis per eadem scripta mandantes quatinus Philippus Rex ipsum Martinum episcopum in archiepiscopum electum et predictam ecclesiam Sancte Fidei habens pro nostra et dicte sedis reverentia propensius commendatos in conservandis et ampliandis iuribus suis sic illos benigni favoris presidio prosequantur quod ipse Martinus episcopus in archiepiscopum electus celsitudinis sue fultus presidio in commisso sibi eiusdem ecclesie Sancte Fidei regimine possit, Deo propitio, prosperari ac eidem Philippo Regi a Deo perennis vite premium, a nobis condigna proveniat actio gratiarum; suffraganei vero predicti sibi tamquam membra capiti obsequentes exhibeant illi obedientiam et reverentiam debitas et devotas, ita quod mutua inter Martinum in archiepiscopum electum ac Papayan. et Cartaian. suffraganeos episcopos predictos gratia gratos sortiantur effectus et nos eorum devotionem possimus propterea Domino commendare. Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon Mexican. et predictarum Sancte Marthe et aliarum metropolitanarum ecclesiarum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis illis earumque presulibus ac capitulis predictis et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis etiam similibus motu, scientia ac potestatis plenitudine etiam consistorialiter in genere vel specie ac alias quomodolibet concessis ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, qui-

bus omnibus et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur presentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse pari motu derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod antequam dictus Martinus episcopus in archiepiscopum electus regimini et administrationi ecclesie Sancte Fidei huiusmodi se in aliquo immisceat in manibus Popayan. et Cartaian. episcoporum predictorum vel alterius eorum nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solitum prestet iuramentum iuxta formam presentibus annotatam, quibus Popayan. et Cartaian. episcopis et utrique eorum tenore presentium committimus et mandamus ut ipsi vel eorum alter huiusmodi recipiant seu recipiat iuramentum formam autem eiusdem iuramenti prestandi quod idem Martinus episcopus in archiepiscopum electus postquam illud prestiterit de verbo ad verbum per suas patentes litteras suo sigillo munitas per proprium nuncium ad nos quantocitius destinare curabit. Forma autem iuramenti talis est: Ego Martinus episcopus nuper Sancte Marthe in archiepiscopum Sancte Fidei electus ab hac hora in antea fidelis ero beato Petro sancteque Romane Apostolice ecclesie ac domino nostro domino Pio papa quarto suisque successoribus canonice intrantibus; non ero in consiliis consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum seu capiantur mala captione aut in eos manus violenter quomodolibet ingerantur vel iniurie alique inferantur quovis quesito colore. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut nuncium, seu litteras ad eorum damnum me scienter nemini pandam. Papatum Romanum ac regalia sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem; legatum Apostolice Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo iura, honores, privilegia et auctoritatem Romane ecclesie ad domini nostri papae et successorum predictorum conservare, defendere, augere et promovere curabo; nec ero in consilio facto vel tractatu in quibus contra ipsum dominum vel eamdem Romanam ecclesiam aliqua sinistra vel preiudicialia personarum iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur; et si talia a quibuscumque procurari non ero vel tractari impediam hoc pro posse et quantocitius potero commode significabo eidem Domino nostro vel alteri per quem ad ipsius noticiam pervenire possint. Regulas sanctorum patrum decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo

et faciam ab aliis observari; hereticos, schismaticos et rebelles domino nostro et successoribus predictis pro posse prosequar et impugnabo, vocatus ad synodum veniam nisi prepeditus fuero canonica prepeditione, apostolorum limina Romana curia existente citra singulis annis ultra vero montes singulis bienniis per me ipsum visitabo et si post primam visitationem personaliter factam aliquo legitimo impedimento prepeditus personaliter venire non potero per aliquem fidum nuncium de gremio mee ecclesie aut alium in dignitate constitutum seu alias personaliter habentem et de statu ecclesie bene instructum, qui vice mea apostolico conspectui se presentare et de legitimo impedimento huiusmodi saltem per iuramentum Romanam fidem facere teneatur adimplebo; possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo vel aliquo nostro alienabo etiam cum consensu capituli ecclesie meae inconsulto Romano pontifice, et si ad aliquam alienationem devenero penas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrisse volo; sic me Deus adiuvet et hec Sancta Dei Evangelia. Nulli ergo etc. nostre dismembrationis, separationis, erectionis, institutionis, decorationis, reservationis, concessionum, absolutionis provisionis, prefectionis et emptionis, subiectionis, derogationis, voluntatis, commissionis decretorum et mandatorum infringere etc. Si quis autem etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, undecimo kalendas aprilis pontificatus nostri anno quinto.

195

Da parte di Nostro Signore

Misc. Arm. II (Politic. XXXIII) 34 fol. 42r-44v — 1566

EX INSTRUCTIONE PRO NUNTIO APOSTOLICO IN HISPANIA DE EVANGELIZATIONE INDORUM

Summus Pontifex, exponens argumenta huius Instructionis nil aliud in mente habet nisi expansionem fidei catholicae in partibus Indiarum Occiden-

talium et perfectionem spiritualem habitantium. Ideoque sperandum esse, ut novi gubernatores quos rex pro regionibus Perú, Nova Hispania et Florida nominavit, officium suum ad gloriam Dei exerceant. Imprimis operam impendere debent pro conversione infidelium. Hac de causa enim regibus Catholicis concessa fuit a Summis Pontificibus occupatio illarum terrarum. Zelantes missionarios mittere et sustentare debent. Catechumeni et alii iam baptizati diligenter in doctrina christiana instruendi sunt. Indi in montibus dispersi, in unum locum congerendi et ab infidelibus separandi sunt. Veteres christiani neophytis bonum exemplum dare debent, ne infideles a conversione arceantur. Indi infideles ad observationem legis naturalis compellendi sunt. Nemo servis uti debet sed solum eis qui sponte servitium suum offerunt quique iuste remunerandi sunt. Fideles et infideles pari iustitia tractandi sunt. Missionarii ab auctoritatibus civilibus in honore habendi sunt. Christiani laici [hispani] neophytis et infidelibus bonum exemplum vitae christianae dare debent. Prohibitum est armis contra infideles dimicare. Placet modus evangelizationis adhibitus in Florida, qui etiam in aliis locis adhibendus est.

Da parte di Nostro Signore con mons. l'Arcivescovo di Rossano [1], Nuntio in Spagna.

Doveva primieramente mons. Nuntio con ogni destrezza mostrare alla Maestà del Re Cattolico come il pensiero ch'al presente è nato nella mente della Santità di Nostro Signore di avertire le cose infrascritte intorno al bisogno delle nuove conquiste delle Indie, non viene da altro fonte, che da quello dell'ardente zelo c'ha per l'offitio pastorale della salute dell'anime di quei popoli, accompagnato con pio effetto proportionato all'intentione di buono et amorevol padre de tutti, che brama che la Christiana Religione in tutte le parti facci ogni giorno progresso maggiore, et in quei paesi massime, ove nuovamente si può dire essere piantata la fede Cattolica, la quale non pur si deve lasciare ne' cuori di quelli huomini com' in novelle piante devenire arida per difetto di cultura, o intepidire; ma si deve procurare con ogni vigilantia che si conduchi alla vera perfettione, docentes eis servare omnia quecunque Dominus nobis mandavit, et che insieme con quelli che ancora non cognoscono la via della verità, pervengono alla cognitione de Dio, dalla infinita misericordia del quale le pare hoggi dì vie più per le mani di Sua Maestà poterlo sperare, sì come caramente lo desidera per il suo santo servitio, et perché la Maestà sua sia tale con

[1] Ioannes Baptista Castagna, archiepiscopus Rossanensis (*Rossano*), Nuntius in Hispania 1565-1572.

tutti i popoli a lei raccomandati, che con sodisfare alla conscientia propria dia lor causa di render gratie a Dio benedetto di ritrovarsi sotto la guardia et continua protettione sua. Il che tutto si forzerà d'esprimere di maniera che la Maestà sua resti chiara con qualunque altro ministro, col quale questo negotio si harà da trattare, che i ricordi qui annotati non sono dati se non con purità di mente, volta tutta all'honor di Dio com'è quella di Nostro Signore, che ha pensato a ciò per le cause et fini suddetti, sperando ancora che in questa, et in nessun altra parte, saranno da Sua Maestà et da cotesti ministri accettati.

Con questa dechiaratione della mente et fine di Nostro Signore potrà in questo particolare entrare a dar conto a Sua Maestà che li è stata cara la elettione delle persone che adesso si mandano per il governo del Perú, Nuova Spagna, et Florida, perché spera per la buona relatione che si ha di loro, saranno atti et pronti ad esseguire fidelmente et diligentemente i buoni ordini dati in quelle bande tanto dalla gloriosa memoria di Carlo quinto, come dalla Maestà sua non posti forse sin al presente dì in esecutione da ministri, contra la buona mente de chi li mandava, et che oggi dì si potrà meglio effettuare quello che communemente si desidera, per gloria di Dio in aiuto di quelle provincie.

E tra i principali ricordi ha da essere che si attenda alla conversione dell'infedeli, essendo questo stato il fine per lo quale fu a i Re Cattolici d'Ispagna concessa la conquista di quei paesi, et però si ha da provedere di predicatori et sacerdoti, che sappiano predicar l'evangelio et instruirli nella fede santa, et che siano persone zelose della salute dell'anime, et che con la buona vita oltra la dottrina diano chiaro testimonio della nostra Christiana religione. Per il giusto et decente vitto de quelli, i signori particolari c'hanno in commenda quelle provincie, debbano provedere et cavar tanto delli tributi, che si essigono, quanto convenientemente basti a questo, non permettendo che per mancamento di giusta soventione e stipendio mancassero persone ecclesiastiche per tale effetto, onde s'incorresse nell'inconveniente che i laici faccino questo officio non essendo idonei ad instruirli se non a mala pena nell'oratione dominicale come facilmente ha potuto accadere.

Che si habbi da avvertire come si accettano al santo battesmo quelli che si hanno da battezzare, acciò habbino la dispositione et instruttione sufficiente a tal sacramento; et che li già battezzati, specialmente i fanciulli, habbino i maestri della dottrina et vita christiana et politica, i quali non guastino con l'essempio quello che pretendono con le parole. Et che per tale effetto quelli che haranno da essere insegnati si proccedano de luoghi vicini et di persone et ministri idonei

per la conversione dell'infideli et instruttione loro, acciò non siano gravati dal venir di troppo lontano paese.

Per questo effetto, ove non sono gli indiani ridotti a vivere insieme in alcune terre, ma sono dispersi nelle montagne, è bene procurare si riducano insieme, acciò si conservi anco meglio la giustitia, et si castighino quelli che tra loro mancano con la mansuetudine, però che a nuove piante si conviene. Et se habiteranno insieme gentili et christiani in un popolo, non si permetta a gentili che habbino luoghi deputati per essercitio della loro idolatria, ma si buttino a terra, per fuggire che con l'occasione del luogo i battezzati non ricaschino in quella, né si permetta che a christiani sia da gentili dato impedimento nell'imparar dottrina et essercitare il culto di nostra religione.

Ne i popoli ov'habitano insieme i christiani vecchi et i nuovi, et in ogni luogo pio, curi che i vecchi diano buon'essempio a i nuovi nei loro costumi, ne propter eos blasphemetur nomen Dei inter gentes; anzi siano tali che in considerare le loro buone attioni confermino nella fede presa i nuovi, et si sforzino d'imitarli, et gli infideli, vedendo il mal loro modo di vivere, si confondano et s'accorgano a pigliar la fede di Christo, et se li christiani vecchi publicamente vivessero male, è meglio publicamente punirgli che tolerandoli lungamente dar scandalo all'infermi neofiti et gentili; et sopra tutto che vivano in pace, et in timor de Dio tra loro i christiani vecchi et i nuovi, rimovendo tutte quelle occasioni destramente, ne quali possono crapulare et lasciarsi alterare da vini, da che sogliono nascere in quelle genti gravi et brutti inconvenienti; ma per assuefarli nella sobrietà et astinenza, si sfugga il più che si può da essi il ragunarsi insieme, et darsi ai conviti.

Sarà anco bene haver cura che gli indiani infideli si astringono ad osservar la legge della natura, et s'avvezzino a schifar i vitii nefandi, per i quali si guasta la comunità introducendovi la legge del matrimonio, acciocch'una donna non habbi molti mariti.

Che Sua Santità tien per certo che, tanto per ordine di Sua Maestà, quanto per il debito loro, quei ministri hanno per raccomandata la buona amministratione della giustizia; però non si lasci che taluno tanto dei signori particolari, quanto d'altri ministri o altri christiani si serva in luogo de schiavi degli indiani né in casa, né fuori, ma urbanamente di quei soli che spontaneamente accettano di servire, et che questi de loro servitii della mercè tra loro convenuta, debbano intieramente et giustamente sadisfarsi, secondo l'apostolo santo, scrivendo a Filemone c'insegna. Di più che non siano gravati d'immoderati tributi. Et che tanto tra loro, quanto con li sopradetti, sia indifferentemente administrata la giustizia come si conviene, acciò che qualunque volta gl'inferiori fussero da loro particolari signori o altre persone

private oppressi, o ricevessero alcun torto, possano confidentemente recorrere alla giustizia et recrearsi vedendo ch'ella è amministrata così per loro come per i christiani vecchi.

Di più, se bene è certa che la Santità Sua, che tra principali ordini di Sua Maestà è questo che gli predicatori dell'Evangelio, et altri sacerdoti et persone religiose destinate per la conversione di quelle genti et per la confirmatione delli fedeli, siano accarezzati et favoriti, e tanto da ministri regii di qualsivoglia sorte, quanto da quei signori particolari del paese, et finalmente da tutti quei capitani et soldati siano veramente tenuti in riverenza; nientedimeno lo ricorda acciò si perseveri perché questa è strada per la quale essi potranno dire et operare con maggior auttorità a honore di Dio.

Et che oltre di questo si deve avertire (come si tien per fermo che per ordine di Sua Maestà principalmente, et in consequenza da tutti gli altri ministri suoi si facci) che i laici nostri christiani che sono in quei paesi per signori particolari, o persone publiche o private di qualunque stato si siano, vivano christianamente, come conviene alla nostra religione, essendo di grandissima importanza ch'essi col fare il debito loro et procurare la salute di loro anima, giovino li conversi et gl'infideli invitandoli alla conversione con li buoni essempi et per ricordo del principe delli Apostoli, tanquam advenae et peregrini se abstineant a carnalibus desideriis, quae adversus animam militant conversationem bonam inter gentes habentes, ut in eo quod detrectant de iis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus eos considerantes glorificent Deum in die visitationis, et non avenga per lo contrario che i nuovi christiani s'intepidiscano o tornino indietro, et gli infideli s'indurino nella cecità loro col vedere ne i nostri operationi cattive di adulterii, concubinato e di troppe avidità dell'accumular ricchezze. Et per ovviare a queste cose, quali Sua Santità ricorda con ogni zelo, si promette dalla vera et christiana pietà di Sua Maestà che per ottimo et salutare remedio prenderà il commettere che da sue leali et integre persone, i signori particolari, i giudici et altri offitiali secolari di quei regni siano visitati, accioché intesi i meriti et i demeriti di ciascuno, la Maestà Sua possa premiare et essortare i buoni a seguitare et castigare chiunque si trovasse havere errato senza lasciare impunita la oppressione de poveri, ne ob eorum gemitus exurgat Dominus con detrimento poi della religione Christiana in quei paesi.

Tengasi grand'avertenza nel pigliar l'arme contra li gentili, et non farli guerra senza le conditioni necessarie, acciò sia giusta, né in quella si proceda crudelmente piacendo il modo che Sua Santità intende essersi nella Florida tenuto circa la publicatione dell'Evangelio, et in simil modo desidera che si proceda nelli altri luoghi.

Si come il contrario delle cose sopradette harà facilmente potuto fare gran danno in quelle provincie contra l'honor di Dio et della sua santa Religione, et ben comune de i popoli, con gran dispiacere de tutti i buoni et di Sua Maestà catolica, più forse che di nessun'altro, per toccar tanto alla conscientia et suo buon nome; così l'osservanza diligente di dette cose per l'avvenire sarà gran rimedio del passato, et causerà da hor inanti ottimi effetti con l'aiuto del Signore.

Offerendo in ultimo a Sua Maestà come la Santità di Nostro Signore non mancherà mai, dal canto suo, d'ogni aiuto et gratia spirituale che sarà necessaria ad honor de Dio et salute di quelle genti.

196

Placuit omnipotenti Deo

Arm. XLIV 12 fol. 21v-22r — die 3 februarii 1566

EXHORTATIO FRATERNA SUMMI PONTIFICIS BREVI ANTE ELECTI

Ad onus regiminis Ecclesiae Universalis ipsi recenter impositi facilius ferendum et fideliter implendum Pontifex fratrum in partibus Indiarum auxilium petit eosque salutando admonet, ut proprium officium pastorale exemplo et cura intensissima adimplere studeant, fideles quoque operarios et ministros aggregando. Sedis Apostolicae auxilium pro necessitate promittens monet ut Nuntii de statu Ecclesiae in iis partibus ad romanam sedem rite perferantur. Notat praeterea cum his literis etiam volumen authenticum decretorum Concilii Tridentini missum esse, quod ab omnibus fratribus in episcopatu suscipiendum erit.

Pius V

Venerabili fratri archiepiscopo Sancti Dominici in partibus Indiarum Maris Oceani.

Venerabilis frater salutem etc. Placuit omnipotenti Deo qui infirma mundi eligere solet ut fortia quaeque confundat felicis recordationis Pio papa quarto nuper mortuo ad universalis ecclesiae regimen nos vocare quod onus propter immensam ipsius magnitudinem et virium nostrarum infirmitatem non sine timore ac tremore, Dei misericordia freti suscepimus. Ad id vero facilius ferendum et ad curae ac solicitudinis pastoralis officium fideliter, sicuti cupimus, implendum, necessarium nobis est tuum et caeterorum fratrum, qui in sollicitudinis nostrae partem vocati estis auxilium et adiumentum. Proinde fraternitatem tuam salutantes hortamur et fraterna charitate monemus ut memor officii tui et mercedis a summo illo aeternoque pastore propositae, gregem fidei tuae commissum cum salutaris doctrinae pabulo, tum vitae ac morum laudabilium exemplo pascas, et quam intentissima potes cura custodias eumque augere et multiplicare coneris quam plurimas poteris oves per te ac per fideles operarios et ministros ad ovile dominicum adducendo et aggregando. Si quam autem ad rem, quae ad ipsarum ovium salutem pertineat opus tibi auxilio sedis Apostolicae fuerit, id fidenter requirere debetis. Tuae vero partes fuerint, de ecclesiae tuae statu et de iis quae in istis partibus aguntur (quod quidem ad fidem ac religionem attinet) curare, ut ad hanc sedem omnium christifidelium matrem ac magistram certi nuncii perferantur ut et te in debita erga se devotione ac fide manere cognoscat et exoptatis ecclesiae tuae incrementis gaudeat, ac si cui rei providendum fuerit, auctoritate sua possit providere. Misimus autem ad te una cum his literis volumen authenticum decretorum sacri Concilii Tridentini, quod nuper sub eodem praedecessore nostro, Deo iuvante, feliciter peractum fuit quod abs te et caeteris fratribus suscipiendum erit devote et fideliter observandum. Omnipotens Deus te frater orantem pro nobis et felici statu sanctae romanae Ecclesiae incolumen custodiat et tibi ac clero et populo tuo gratiam et misericordiam suam augeat. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 3 februarii MDLXVI, pontificatus nostri anno primo [1].

---

[1] Idem exemplum fuit scriptum archiepiscopis Civitatis Regum in partibus Indiarum maris del Sur nuncupati et Mexicano in partibus Indiarum maris Oceani et suffraganeis eorum, ac suffraganeis archiepiscopi Sancti Dominici. Suffraganeis archiepiscopi Sancti Dominici: episcopo Sanctae Marthae sive Sanctae Fidei, episcopo Carthaginen., episcopo Sancti Iacobi de Cuba, episcopo de Venenzuela, episcopo Portus Divitis, episcopo de Antequera in partibus Indiarum in Novo Regno Granaten. Suffraganeis archiepiscopi Civitatis Regum: episcopo de Chile, episcopo de Panama, episcopo del Cusco, episcopo de Popayan, episcopo de las Chiarcas, episcopo del Quito, episcopo de Truxillo. Suffraganeis archiepiscopi Mexicani: episcopo de Guatimala, episcopo de Chiappa, episcopo Yucatan. et Cuzumelen., episcopo de Compostella, episcopo de Honduras, episcopo de Mechuacam, episcopo Verae Pacis, episcopo de Taxcalla, episcopo de Nicaragua, episcopo de Guazaca (Arm. XLIV 12 fol. 22rv).

197

Sincerae fidei ac devotionis affectus

Arm. XLII 25 fol. 371r — die 6 aprilis 1566

MITIGATIO IEIUNII ECCLESIASTICI
PRO FAMILIA DE PERALTA

Summus Pontifex viro nobili Gastoni de Peralta, uxori et familiaribus suis, in partes Indiarum proficiscentibus, precibus eorum annuens, mitigationem certam ieiunii ecclesiastici concedit, ac insuper Gastoni indulget quod ipse recitando quotidie rosarium et quinque orationes dominicas obligationi Militiae Sancti Iacobi satisfacere valeat in itinere.

Pius V

Dilectis filiis nobili viro Gastoni de Peralta, marchioni de Falces pro Regi Nove Hispanie, in partibus Indiarum, et nobili mulieri Eleonore de Murala coniugibus.

Dilecti filii salutem etc. Sincere fidei ac devotionis affectus quem ad nos et Romanam Ecclesiam gerere comprobamini procuretur ut vos specialibus favoribus et gratiis libenter quantum cum Deo possumus prosequamur. Exponi siquidem nobis nuper fecistis, quod vos qui de proximo concedente Domino ad partes Indiarum proficisci proposuistis, desideratis vobis et illis qui pro tempore vobiscum in mensa discubuerint tam viris quam mulieribus, ut quadragesimalibus et aliis ieiuniorum diebus refectionem perpaulam quam collationem vocant, cum pane et fructibus etiam sacaro ac melle conditis atque etiam frixis ex quilibet et cum moderata tamen quantitate sumere valeatis. Quodque tu fili marchio recitando quotidie rosarium videlicet quinquaginta orationes angelicas et quinque orationes dominicas cuicumque obligationi quam habes dicendi officium, psalmos et orationes ratione habitus militie Sancti Iacobi de Spata quem suscepisti, satisfacere possis et censearis, tum in itinere Indias versus faciendo et redeundo fueritis per nos vobis concedi. Nos igitur vestris in hac par-

te supplicationibus inclinati, vobis et in mente vestra discendentibus predictis, ac mulieribus tuis in [tua familia?] servitiis insistentibus, ut eisdem quadragesimalibus et aliis ieiuniorum diebus predictis collationem huiusmodi cum pane et fructibus et saccaro ac melle conditis atque etiam frixis ex quilibet et cum moderata tamen quantitate sumere. Quodque tu fili marchio recitando quotidie rosarium videlicet quinquaginta orationes angelicas et quinque orationes dominicas cuicunque obligationi militie Sancti Iacobi prefati satisfacere valeas in itinere duntaxat eundo et redeundo ex Indiis huiusmodi, auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus pariter et indulgemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis necnon statutis et consuetudinibus ac stabilimentis usibus et ceteris dicte militie etiam iuramento, confirmatione Apostolica ac quavis firmitate alia roboratis privilegiis quoque indultis et litteris Apostolicis quomodolibet illi concessis et confirmatis ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die VI[a] aprilis 1566, anno primo.

198

In eminenti militantis Ecclesiae specula

Arm. XLII 26 fol. 79r-80r die 20 iunii 1566

FACULTAS DISPENSANDI AB IMPEDIMENTIS MATRIMONIALIBUS

Summus Pontifex, ut novellis Dominici agri plantationibus obveniat usque ad decennium proxime futurum dumtaxat, universis et singulis archiepiscopis et episcopis in Indiis Novaque Hispania constitutis facultatem concedit cum quibusvis christifidelibus dioecesanis suis, qui invicem matrimonialiter copulari desiderantes, in tertio simplici vel duplici, ac tertio et quarto etiam duplici, necnon in quarto duplici aut simplici consanguinitatis et affinitatis gradibus coniuncti fuerint, auctoritate apostolica dispensandi, ut matrimonium inter se per verba de praesenti contrahere, et illud etiam in facie Ecclesiae solemnizare ac in illo de facto remanere libere et licite possint; praeterea illos, qui de facto contraxerint, ab incestus reatu ac quibusvis ecclesiasticis censuris vel poenis quomodolibet incursis absolvendi, necnon prolem exinde

susceptam et suscipiendam legitimam nuntiandi. Insuper eodem durante decennio iidem archiepiscopi et episcopi eorumque in spiritualibus vicarii aut officiales, matrimoniales et alias spirituales et criminales ac mixtas causas iuris ordine servato audire, decidere fineque debito terminare queant, una dumtaxat appellatione ad iudicem rite deputatum requisita.

Pius V

Ad futuram rei memoriam. In eminenti militantis Ecclesiae specula constitutus Romanus Pontifex beati Petri caelestis aulae clavigeri successor in cunctas orbis Ecclesias immensamque terrarum amplitudinem Apostolicae potestatis obtinens principatum, inter curas multiplices quibus iuxta casuum indies occurrentium varietatem exercetur illam libenter amplectitur per quam novellae Dominici agri plantationes suavissimis indulgentiae paternae favoribus coalescant et donec in robustiorem se producant aetatem longe petita rerum sibi necessariarum subsidia minime desiderent in his dexteram suae liberalitatis ultra sacrorum canonum placita nonunquam extendens prout id animarum salutem catholicorumque Regum vota exposcere ac personarum locorumque conditione pensata conspicit in Domino salubriter expedire. Hinc est quod nos, ne Indiarum occidentalium novaeque Hispaniae charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico subiectarum christifideles earumque praesules pro beneficialibus aliisque spiritualibus causis et occurrentiis infrascriptis expediendis ad Sedem Apostolicam a partibus illis tam vasto maris terrarumque spatio remotam donec ibi fides catholica dictaeque novellae plantae radices altius egerint et ecclesiasticis institutis aliquantisper assueverint accedere cogantur providere illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, prefati etiam Philippi Regis in hac parte supplicationibus inclinati universis et singulis venerabilibus fratribus nostris modernis et pro tempore existentibus archiepiscopis et episcopis in Indiis novaque Hispania huiusmodi constitutis ut usque ad decenium proxime futurum duntaxat quando et quoties illi expedire videbitur super quo etiam illorum conscientiam oneramus gratis et absque ulla prorsus exactione vel doni ad id etiam ultro oblati receptione cum quibusvis utriusque sexus christifidelibus diocesanis suis qui invicem matrimonialiter copulari desiderantes in tertio simplici vel duplici ac in tertio et quarto etiam duplici necnon in quarto duplici aut simplici consanguinitatis et affinitatis gradibus coniuncti fuerint quod impedimentis coniunctionum huiusmodi ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis nequaquam obstantibus, matrimo-

nium inter se per verba de presenti contrahere et illud etiam in facie Ecclesie solemnizare ac in illo necnon in quocunque per quoslibet in eisdem gradibus de facto pro tempore contracto et etiam consumato matrimonio remanere libere et licite possint Apostolica auctoritate dispensare, ac illos qui de facto contraxerint ab incestus reatu et excessibus huiusmodi ac quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris et penis per eos propterea quomodolibet incursis in forma ecclesie consueta absolvere. Necnon prolem exinde susceptam et suscipiendam legitimam nuntiare atque decernere etiam libere et licite valeant eadem auctoritate tenore presentium de speciali gratia indulgemus. Et insuper quod similiter eodem durante decennio in eisdem Indiis et nova Hispania archiepiscopi et episcopi prefati eorumque vicarii in spiritualibus aut officiales sive provisores omnes et singulas beneficiales, matrimoniales et alias spirituales et criminales ac mixtas causas, controversias et differentias earumque dependentias emergentia et connexa iuris ordine alioquin servato audire, cognoscere, decidere, fineque debito terminare. Quodque in huiusmodi causis ab episcopis suffraganeis ad eorum metropolitanos archiepiscopos et ab ipsis archiepiscopis et eorum vicariis vel provisoribus aut officialibus illorumque sententiis ad iudicem seu iudices appellationum in synodis diocesanis per archiepiscopos celebrandis ad hoc deputandum seu deputandos dummodo in ecclesiastica dignitate constituti existant semel duntaxat appellari possit et debeat. Ita quod duae sententiae vestri episcopi et archiepiscopi aut eius vicarii seu provisoris aut officialis et per synodum diocesanum deputati si illae conformes esse contigerit rem iudicatam faciant illaeque ac si tres conformes diffinitivae sententiae legitime latae fuissent debitae executioni demandari debeant ac ab ipsa secunda conformi ad quempiam et a quacunque sententia in partibus illis quomodolibet pro tempore lata ad Sedem predictam quovis pretextu quesitum colore provocari vel appellari nequeat auctoritate et tenore premissis statuimus et ordinamus ac quascunque appellationes dicto durante decennio interiectas processusque desuper formandos et sententias inde ferendas nullos et invalidos nulliusque roboris vel momenti fore nec alicui suffragari posse etiam sic in premissis omnibus et singulis per quoscunque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes etiam S.R.E. cardinales sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et diffiniri debere. Necnon si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit irritum et innane decernimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscunque. Et quia difficile foret presentes litteras ad singula queque loca in quibus eis utendum erit deferri vo-

lumus et prefata auctoritate decernimus illarum transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eandem prorsus fidem etiam in iudicio et extra adhibendam esse quae ipsis presentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae, presentibus ipsis post dictum decenium minime valituris. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die XX iunii 1566, anno primo.

199

Inter multiplices curas

Arm. XLII 26 fol. 138r-139r — die 10 iulii 1566

DE ELECTIONE ABBATISSAE

Summus Pontifex ordinat quod abbatissa monasterii monialium Conceptionis Ordinis Sancti Francisci civitatis Mexicanensis non perpetua sed triennalis existat et finito triennio ad idem officium reeligi non possit, nisi lapso alio triennio; possintque ipsae moniales habere ad earum servitium puellas nigras, si solitae sunt habere et gaudeant ipsae omnibus gratiis et indulgentiis concessis quibusvis ecclesiis, hospitalibus et aliis piis locis dictae civitatis.

Pius V

Venerabili fratri Archiepiscopo Mexican. [1] in partibus Indiarum.

Venerabilis frater salutem etc. Inter multiplices curas ex Apostolatus officii nobis desuper commissi debito imminentes illam libenter amplectimur, per quam nostrae provisionis firmo presidio personarum quarumlibet presertim religiosus feminei sexus status floreat et ubique salubriter dirigatur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod licet monasterium dilectarum in Christo filiarum, sororum seu monialium Conceptionis beatae Mariae Virgi-

[1] Archiepiscopus Ecclesiae Mexicanensis erat Alfonsus de Montúfar, OP (1551-1569).

nis, ordinis Sancti Francisci, civitatis Mexican. in partibus Indiarum tibi subiectum, hucusque per abbatissam perpetuam fuerit gubernatum; ac inter caetera dicti monasterii statuta ordinatum fuerit quod monasterium ipsum omni anno per illius superiorem pro tempore existentem visitetur et pro tempore existens monasterii huiusmodi abbatissa non nisi ex causa ab officio suo absolvi possit; cum tamen contingat ob abbatissae huiusmodi diuturnitatem predictum monasterium plurima damna perferre ac verisimiliter maiora in dies pati posse dubitetur nisi desuper de congruo remedio provideatur. Idcirco tam tu quam sorores seu moniales predictae nobis humiliter supplicari fecistis ut super praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati quod de caetero officium abbatissae monasterii huiusmodi per tres annos a die acceptationis ipsius officii computandos duntaxat duret et dicto triennio elapso eadem abbatissa ab officio suo eo ipso absoluta sit nec eadem in abbatissam de novo eligi possit nisi a die cessationis sui officii triennium elapsum fuerit. Quousque vero alia ipsius loco suffecta fuerit monasterii huiusmodi administratio ad eiusdem pro tempore existentem vicariam seu aliam a suo superiore predicto deputandam spectet Apostolica auctoritate tenore presentium perpetuo statuimus et ordinamus statuto dicti monasterii circa visitationem predictam ut supra facto in reliquis in suo robore permanente. Ac insuper cum sicut accepimus sorores seu moniales predictae in eodem monasterio in non modico numero existant nec eis sufficiens suppetat servitium eisdem ut intra sui monasterii claustra alias feminei sexus personas nigras nuncupatas ad earum servitium iuxta superioris sui predicti arbitrium necessarias recipere illasque insimul secum retinere possint et valeant concedimus dummodo alias solite fuerint eas et habere et recipere quae sic receptae sub clausura remaneant. Ac quo magis earum status benedicente Domino augeatur monasterio suo predicto omnia et singula gratias, indulgentias et privilegia tam in genere quam in specie quibusvis eiusdem civitatis ecclesiis, hospitalibus, heremitoriis et aliis piis locis per quoscunque quomodolibet concessa quo ad dictas sorores duntaxat sui ordinis auctoritate et tenore predictis impartimur. Decernentes ipsas illis omnibus et singulis uti, potiri et gaudere posse in omnibus et per omnia, perinde ac si illa omnia monasterio suo predicto quoad sorores predictas duntaxat specialiter et expresse concessa fuissent sicque per quoscunque iudices et commissarios etiam S.R.E. cardinales et Causarum Palatii Apostolici auditores sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretanti facultate et auctoritate iudicari et diffiniri debere irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel

ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac dicti monasterii iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die X iulii 1566, anno primo.

200

Exhibitus nobis nuper

Arm. XLII 26 fol. 161r die 14 iulii 1566

DE PROCESSU CONTRA EPISCOPUM ELECTUM CUBENSEM

Summus Pontifex mandat archiepiscopo Rossanensi, Nuntio in Hispania, ut unacum archiepiscopo Hispalensi processum contra episcopum electum Cubensem de novo formet et in autentica forma reductum transmittat unacum eorum voto; in absentia archiepiscopi Hispalensis Nuntius alium praelatum non suspectum eligere potest.

Pius V

Venerabilibus fratribus Ioanni Baptistae Rossanen. [1] in Regnis Hispaniarum nostro et Apostolicae Sedis nuntio, ac Ferdinando Ispalen. [2] archiepiscopis in eisdem Regnis haereticae pravitatis inquisitori generali.

Venerabiles fratres salutem etc. Exhibitus nobis nuper fuit pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici quidam processus contra magistrum Castillum [3] electum Cuben. in partibus Indiarum formatus cui ex eo quod nec in autentica forma nec parte citata factus fuerat plenam fidem adhibendam non esse existimavimus. Quare volentes processum huiusmodi servatis ser-

---

[1] Ioannes Baptista Castagna, archiepiscopus Rossanensis (*Rossano*), Nuntius in Hispania 1565-1572.

[2] Ferdinandus de Valdés, archiepiscopus Hispalensis (*Sevilla*) 1546-1568.

[3] Ionnes de Castillo. Cfr. infra doc. 215.

vandis fieri ac de fide, integritate et experientia vestra plurimum in Domino confisi, vobis per presentes committimus et mandamus ut coniunctim procedentes vocatis vocandis processum ipsum de novo formetis et usque ad sententiam exclusive procedatis eumque postquam in autentica et probante forma redactum vestris sub sigillis clausum unacum voto super hoc vestro ad nos quamprimum fideliter transmittatis ut nos postmodum eo diligenter inspecto ac mature considerato quod iustum fuerit statuere et decernere valeamus in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus etiam quod tu frater archiepiscope Rossanen. nuntie in absentia seu defectu ipsius archiepiscopi Ispalen. alium prelatum neque parti neque fisco suspectum pro processu predicto ut prefertur conficiendo et aliis premissis exequendis eligere valeas. Super quibus omnibus et singulis vobis plenam et liberam per easdem presentes facultatem concedimus et potestatem. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die XIIII iulii 1566, anno primo.

201

Etsi catholica Sedis Apostolicae providentia

Sec. Brev. 3 fol. 330r-331r — die 6 decembris 1566

LICENTIA REDEUNDI EX PROVINCIIS INDIARUM PORTUGALLIAE OBREPTITIO MODO A SEDE APOSTOLICA OBTENTA ANNULLATUR

Sedes Apostolica ad scandala tollenda remedia opportuna adhibet, sed imprimis ad vitam et disciplinam regularem fovendam animum impendit. Fratres Ordinis Praedicatorum in provincias Indiarum regis Portugalliae missi, sine licentia superiorum suorum inde recedere non possunt. Nonnulli tamen eorum per obreptionem et subreptionem facultatem redeundi a Sede Apostolica obtinuerunt. Summus Pontifex licentias sic concessas et effectum suum nondum sortitas annullat. Et si in posterum similes licentiae conceduntur, discretioni provincialis seu vicario Ordinis mandat, ut illas examinet et nullo modo admittat si pro bona religionis directione expedire videtur, quin aliquas censuras et poenas incurrit.

Pius V

Dilecto filio provinciali sive vicario ordinis fratrum Praedicatorum in provinciis Indiarum Regis Portugallie.

Dilecte fili salutem etc. Etsi catolica Sedis Apostolice providentia id provenire debeat ut scandalis quibuslibet quantum fieri potest remedia adhibeantur opportuna, ad id tamen considerationis nostre intuitum propensius dirigimus ut regularis vitae disciplina ubique floreat et si qui in ea abusus irrepserunt omnino e medio tollantur. Cum itaque sicut non sine animi nostri perturbatione accipimus licet dilecti filii fratres Ordinis Praedicatorum, qui quotidie [ex] Hispaniarum Regnis ad provinciam Indiarum Regis Portugalliae transmittuntur inde recedere absque superiorum suorum licentia minime possint, sed ibidem per certos annos permanere debeant nonnulli tamen eo easdem sic transmissis suae famae et honoris prodigi Dei timore postposito, superiorum suorum licentia minime prout decens erat requisita, sed illa pauci pensa et neglecta ad Sedis Apostolice refugium confugere minime dubitarint et ab ea licentia huiusmodi propterea extorta ex dicta provincia recesserint et quotidie recedant in grave ipsius provinciae detrimentum et animarum suarum periculum non modicum. Nos attendentes ob innumeras Romani Pontificis occupationes nonnumquam ab eo gratias reportari quae a mente sua omnino aliena erant ac propterea nemini mirum videri debere, si idem pontifex illis melius consideratis ea quae per obreptionem et subreptionem extorta fuerunt iustis rationabilibus revocat, cassat et [annullat] quarumcumque licentiarum et facultatum redeundi tam a nobis et a Romanis pontificibus predecessoribus nostris, quam a Sede Apostolica et de communione nostra quomodolibet emanatarum veriores tenores causasque propter quas illae a nobis emanarunt presentibus pro expressis habentes motu proprio non ad tui vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione licentias et facultates redeundi huiusmodi, etiam ut prefertur concessas et adhuc plenum effectum non sortitas ac prout eas concernunt [omnia et] singula in eis contenta quaecumque harum serie cassamus, irritamus, annullamus, viribusque vacuamus nec executioni mandari promittas, sed eas [...] in posterum contingat similium licentiarum et facultatum vigore [scandala] huiusmodi exoriri discretioni tuae mandamus quod si in posterum illae per nos vel Sedem eamdem concessae fuerint de illarum subreptione et obreptione summarie et extraiudicialiter cognoscas et si illis per te examinatis sic tibi pro bona religionis et felici directione expedire videbitur illas nullo modo admittas tamquam contra mentem

et intentionem nostras emanatas viribus non subsistere auctoritate nostra declares, nec propterea aliquas censuras et poenas in eis quomodolibet contentas incurrisse dici aut censeri valeas. Decernimus et declaramus et ad praemissa omnia et singula tenore presentium plenam ac liberam facultatem tibi [concedimus praessimis] ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus ac litteris Apostolicis in genere vel in specie quomodolibet eisdem fratribus concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus etsi de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda foret tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum presentibus inserti forent pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 6 decembris 1566, anno primo.

202

Etsi catholica Sedis Apostolicae providentia

Sec. Brev. 3 fol. 331v-332v — die 6 decembris 1566

LICENTIA REDEUNDI EX PROVINCIIS
INDIARUM HISPANIAE OBREPTITIO MODO
A SEDE APOSTOLICA OBTENTA ANNULLATUR

(ut supra)

Pius V

Dilecto filio provinciali sive vicario Ordinis Fratrum Praedicatorum in provinciarum Indiarum Regnis Regis Hispaniarum.

Dilecte fili salutem etc. Etsi catolica Sedis Apostolice providentia id provenire debeat ut scandalis quibuslibet quantum fieri potest re-

media adhibeantur opportuna ad id tamen considerationis nostre intuitum propensius dirigimus ut regularis vitae disciplina ubique floreat et si qui in ea abusus irrepserunt omnino e medio tollantur. Cum itaque sicut non sine animi nostri perturbatione accipimus licet dilecti filii fratres Ordini Praedicatorum, qui quotidie [ex] Hispaniarum Regnis ad provinciam Indiarum Regis Hispaniarum transmittuntur, inde recedere absque superiorum suorum licentia minime possint, sed ibidem per certos annos permanere debeant nonnulli tamen eo [easdem sic transmissis] suae famae et honoris prodigi Dei timore postposito, superiorum suorum licentia minime prout decens erat requisita, sed illa pauci pensa et neglecta ad Sedis Apostolicae refugium confugere minime dubitarint et ab ea licentia huiusmodi propterea extorta ex dicta provincia recesserint et quotidie recedant in grave ipsius provinciae detrimentum et animarum suarum periculum non modicum. Nos attendentes ob innumeras Romani Pontificis occupationes nonnumquam ab eo gratias reportari, quae a mente sua omnino alienae erant ac propterea nemini mirum videri debere si idem pontifex [illius melius conside]ratis ea quae per obreptionem et subreptionem extorta fuerunt iustis rationabilibus revocat, cassat et annullat quarumcumque licentiarum et facultatum redeundi tam a nobis et a Romanis pontificibus predecessoribus nostris, quam a Sede Apostolica et de communione nostra quomodolibet emanatarum veriores tenores causasque propter quas illae a nobis emanarunt presentibus pro expressis habentes motu proprio non ad tui vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione licentias et facultates redeundi huiusmodi, etiam ut prefertur concessas et adhuc plenum effectum non sortitas, ac prout eas concernunt omnia et singula in eis contenta quaecumque harum serie cassamus, irritamus, annullamus, viribusque evacuamus, ac ne in posterum contingat similium licentiarum et facultatum vigore scandala huiusmodi exoriri discretioni tuae mandamus quod si in posterum illae per nos vel Sedem eamdem concessae fuerint de illarum subreptione et obreptione summarie et extraiudicialiter cognoscas, et si illis per te examinatis sic tibi pro religionis bona et felici directione expedire videbitur illas nullo modo admittas, nec executioni mandari promittas sed eas tamquam contra mentem et intentionem nostras emanatas viribus non subsistere, auctoritate nostra declares, nec propterea aliquas censuras et poenas in eis quomodolibet contentas incurrisse dici aut censeri valeas. Decernimus et de[claramus] et ad praemissa omnia et singula tenore presentium plenam et liberam facultatem tibi concedimus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus ac litteris apostolicis in genere vel in specie quomodolibet eisdem fratribus conces-

sis, approbatis et innovatis, quibus omnibus etsi de illis, earumque tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda foret tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum presentibus inserti forent pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die VI decembris 1566, anno primo.

203

Piis fidelium

Reg. Vat. 2017 fol. 615r-617r — die 11 decembris 1566

LICENTIA CONSTRUENDI CONVENTUM

Ferdinandus de Torres in provincia *Parinacocha* in *Perú* domum seu conventum fundare desiderat ad evangelizandos Indos ibi habitantes. Quia autem episcopus hoc prohibuit, Ferdinandus Summum Pontificem supplicavit, ut ei facultatem concedat domum seu conventum pro usu et habitatione pro fratribus Ordinis Praedicatorum construere. Pius V absolvit Ferdinandum a poenis ecclesiasticis in quibus forsan incurrit, et apostolica auctoritate licentiam ei concedit domum seu conventum *cum ecclesia, campanili, campanis, sacristia, claustro, dormitorio, refectorio, hortis ortalitiis et convenienti clausura* construendi, ut fratres *personas indianas* doctrinam christianam docere et sacramenta ecclesiastica ac alia spiritualia ministrare possint. Ordinario loci vero prohibet Ferdinandum hac in re molestare. Episcopis de *Lima, Cuzco* et *Panamá* (Castellae Aureae) executionem huius decreti committit.

Pius V

Ad perpetuam rei memoriam. Piis fidelium votis que religionis propagationem divini quoque cultus augmentum respiciunt ut optatum sortiantur effectum libenter annuimus et ea favoribus prosequi-

mur opportunis. Sane pro parte dilecti filii Ferdinandi de Torres in provincia Parinacocha nuncupata in partibus Indiarum maris Oceani commorantis nobis nuper exhibita petitio continebat quod tempore cupiens terrena in celestia et transitoria in eterna bona felici commertio commutare pia devotione ac sacre religionis ordinis predicatorum propagande salutisque animarum zelo atque studio ductus unam domum seu unum conventum fratrum dicti ordinis in dicta provincia pro usu et habitatione fratrum dicti ordinis qui personas indianas in illis partibus commorantes sanctam doctrinam christianam doceant illisque sacramenta ecclesiastica et alia spiritualia ministrent fundari, construi et edificari facere summopere desiderat. Verum quia venerabilis frater noster episcopus illius loci ordinarius hoc vetat prefatus Ferdinandus desiderium suum in hac parte absque speciali Sedis apostolice licentia adimplere non valet. Quare pro parte dicti Ferdinandi nobis fuit humiliter supplicatum ut sibi in dicta provincia domum seu conventum huiusmodi pro usu et habitatione eorumdem fratrum predicatorum construi, fundari et edificari faciendi licentiam et facultatem concedere ac alias in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui divini cultus augmentum et religionis propagationem suppremis desideramus affectibus eundem Ferdinandum a quibusvis excommunicationis etc. censentes eidem Ferdinando sine alicuius alterius ordinis mendicantium preiudicio in dicta provincia et quocumque illius loco sibi beneviso unam domum seu unum conventum fratrum dicti ordinis predicatorum cum ecclesia, campanili, campanis, sacristia, claustro, dormitorio, refectorio, hortis ortalitiis et convenienti clausura aliisque officinis necessariis necnon tabernaculis etiam sanctissime Eucharistie ac sacro fonte baptismali et aliis ecclesiasticis sacramentis ac alias ad instar aliarum seu aliorum eiusdem ordinis domorum seu conventuum etiam in alma Urbe nostra consistentium pro perpetuis usu et habitatione fratrum ordinis predicatorum huiusmodi inibi iuxta regularia ipsius ordinis instituta introducendorum, immittendorum, recipiendorum et manutenendorum ita quod fratres domus seu conventus huiusmodi personas indianas doctrinam christianam docere et sacramenta ecclesiastica ac alia spiritualia ministrare possint et debeant construendi, edificandi, fundandi ac erigendi aliaque in premissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, disponendi, statuendi et ordinandi prefati ordinarii vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem. Et nihilominus potiori pro cautela domum seu conventum huiusmodi exnunc prout extunc et econtra postquam construi incepta aut inceptus fuerit in domum seu conventum eiusdem ordinis eadem

apostolica auctoritate perpetuo erigimus et instituimus illique pro eius dote omnia et singula mobilia et immobilia, oblationes, eleemosinas, legata et alia quecumque bona illi tam per dictum Ferdinandum quam alios quoscumque pro tempore relicta et donata existunt prout extunc et econtra perpetuo applicamus et appropriamus. Necnon eisdem domui seu conventui illiusque fratribus et personis inibi pro tempore degentibus quod omnibus et singulis ac quibuscumque privilegiis, facultatibus, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, prerogativis, antelationibus, favoribus, preeminentiis, indultis, indulgentiis etiam plenariis ac peccatorum remissionibus aliisque gratiis spiritualibus et temporalibus quibus alie et alii eiusdem ordinis domus et conventus illarumque et illorum fratres et personae de iure, consuetudine, privilegio vel alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum pariformiter et eque principaliter absque ulla penitus differentia uti, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant auctoritate apostolica et tenore prefatis de speciali gratia perpetuo indulgemus. Necnon prefato loci ordinario illiusque vicariis et officialibus seu visitatoribus pro tempore existentibus et quibusvis aliis personis in virtute sancte obedientie ac sub excommunicationis, suspensionis et interdicti ac mille ducatorum auri de Camera eidem domui seu conventui applicandorum per quemlibet contravenientem eo ipso incurrendis penis ne Ferdinandum aut domum seu conventum illiusque fratres et alias personas huiusmodi super premissis ac illorum occasione usu et possessione publice vel occulte, directe vel indirecte quovis quesito colore vel ingenio quomodolibet molestare, impedire aut perturbare audeant seu presumant districtius inhibemus et sic in premissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et diffiniri debere ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari irritum et inane decernimus. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Amerin. et del Cuzco ac Castelle Auree episcopis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios presentes literas ac in eis contenta quecumque ubi et quando opus fuerit ac quoties pro parte dicti Ferdinandi et aliorum quos ipse litere concernunt vel alicuius eorum super hoc fuerint requisiti solemniter publicantes eisque in premissis efficacis defensionis presidio assistentes faciant auctoritate nostra literas et in eis contenta huiusmodi firmiter observari ac Ferdinandum et alios quos ille concernunt ut prefertur et quomodolibet in futurum concernent illis pacifice gaudere non permittentes eos vel eorum aliquis per prefatos et alios quos-

cumque desuper quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per censuras et penas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris remedia appellatione postposita compescendo ac censuras et penas ipsas legitimis super his habendis servatis processibus etiam iteratis vicibus aggravando invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus premissis ac felicis recordationis Bonifacii papae VIII predecessoris nostri qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur seu ne iudices a Sede apostolica deputati extra civitatem vel diocesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere seu alii vel aliis vices suas committere presumant ac de duabus dietis in Concilio generali edita dummodo ultra tres dietas aliquis ad iudicium non trahatur etiam aliis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ac prefati ordinarii prohibitionibus necnon dicti ordinis et illarum domorum ac conventuum quorumcumque etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli etc. nostre absolutionis, concessionis, erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, indulti, inhibitionis, decreti et mandati infringere etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, tertio idus decembris pontificatus nostri anno primo.

204

Exponi nobis fecit

die 24 martii 1567

Appendix ad Bull. Pont. S. Congr. de Prop. Fide I 42-44
Bull. Rom. (ed. Taurinensis) VII 558-560
Bull. Praed. VII 176
Hernáez I 397-398
BM II 815

OFFICIUM PAROECIALE PRO RELIGIOSIS

Post vel contra praescripta et vetita a Concilio Tridentino de administrandis sacramentis et de verbo divino praedicando statuta imperator temporis supplices preces Summo Pontifici exhibuit, ut in partibus Indiarum maris Oceani religiosi, ob defectum presbyterorum in munere parochorum exercendo pergere rite possent. Summus Pontifex vero supplicationibus *ad divini cultus augmentum et animarum salutem tendentibus* annuens auctoritate apostolica concedit ut religiosi, qui in Indiarum partibus cum superiorum licentia commorantur, ibidem officium parochi *prout hactenus consueverunt* exercere valeant dummodo in sacramentis administrandis aliisque solemnitatibus dicti Concilii formam servent atque Indorum illarum partium idioma intelligant; quod facere queant de propriorum superiorum licentia (etiam quod ad audiendas confessiones attinet), *Ordinariorum locorum et aliorum quorumcumque licentia minime requisita.* Statuitur insuper, ne in locis, ubi sunt monasteria religiosorum, qui animarum curam exercent, aliquid per illorum episcopos innovetur.

Pius V

Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam Benedictionem. Exponi nobis fecit nuper Majestas tua Regia, quod licet iuxta sacri aecumenici Concilii Tridentini decreta, nulla matrimonia, nisi praesente Parocho, aut de illius licentia, contrahi, nullusque Religiosus absque Episcopi licentia, verbum Dei praedicare, ac secularium personarum confessiones audire, Episcopi vero novas Parochias in locis ab invicem longe distantibus constituere possint; quia tamen in partibus maris Oceani, Religiosi propter Presbyterorum defectum, hactenus officio Parochi functi fuerunt, et id quod ad conversionem Indorum attinet, exercuerunt et exercent; ex quo non modicos, sed maximos fructus, etiam verbum Dei eisdem Indis praedicando, et explicando, ac confessiones audiendo ad Fidei Catholicae propagationem fecerunt, dicta Majestas tua Nobis humiliter supplicare fecit, quatenus ipsis Religiosis, ut illi ad uberiores fructus, in dicta conversione Indorum reportandum incitentur, in locis eis assignatis, et assignandis officium Parochi matrimonia celebrando et Sacramenta Ecclesiastica ministrando, prout hactenus consueverunt, exercendi, et ab eorum Superioribus in Capitulis Provincialibus obtenta licentia, verbum Dei praedicandi, et saecularium confessiones de suorum Superiorum licentia audiendi, facultatem concedere, alias in praemissis opor-

tune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui singulorum praesertim Catholicorum Regum votis ad divini cultus augmentum, et animarum salutem tendentes, libenter annuimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis Religiosis quorumcumque etiam Mendicantium Ordinum Monasteriis, vel de illorum Superiorum licentia extra illa commorantibus, ut in locis ipsarum partium eis de simili licentia assignatis, et assignandis, officium Parochi hujusmodi matrimonia celebrando, et Ecclesiastica Sacramenta ministrando prout hactenus consueverunt (dummodo ipsi in reliquis solemnitatibus dicti Concilii formam observent) exercere, et verbum Dei (ut praefertur) quatenus ipsi Religiosi Indorum illarum partium idioma intelligant, de suorum Superiorum licentia, ut praefertur, in eorum Capitulis Provincialibus obtenta, praedicare, ac confessiones audire, Ordinariorum locorum, et aliorum quorumcumque licentia minime requisita, libere et licite valeant, licentiam et facultatem auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Et insuper ne in locis illarum partium, in quibus sunt Monasteria Religiosorum, qui animarum curam exercent, aliquid per praedictos Episcopos innovetur, eadem auctoritate, et tenore statuimus, et ordinamus, si per quoscumque judices, et commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere: Ac quidquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum et inane decernimus. Mandantes nihilominus dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae Generali Auditori, et Beatae Marie de Mercede, ac de Carmine, extra, et intra muros Hispalensis Monasteriorum per Priores gubernari solitorum, Prioribus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, eisdem Religiosis in praemissis, efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant eis, et eorum cuilibet concessione, indulto, statuto et ordinatione, ac aliis praemissis pacifice frui, et gaudere. Non permittentes eos per locorum Ordinarios, et alios quoscumque, contra praesentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari, contradictores quoslibet, et rebelles, per censuras Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias poenas, eorum arbitrio moderandas, et applicandas appellatione postposita compescendo. Ac censuras ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum ponendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus, et Synodalibus Conciliis, editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac Monasteriorum, et Ordinum praedictorum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudi-

nibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis, Monasteriis, et Ordinibus praedictis, eorumque Superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in eis tradita observata inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientibus plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et quia difficile foret praesentes literas ad singula quaeque loca, in quibus de eis fides forsan facienda foret, deferre, etiam volumus, et eadem auctoritate Apostolica decernimus, quod illarum transumptis manu Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis in judicio, et extra ubi opus fuerit eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesima quarta Martii anno millesimo quingentesimo sexagesimo septimo Pontificatus Nostri anno secundo.

205

Accepimus nuper

Sec. Brev. 4 fol. 328rv
Sec. Brev. 5 fol. 277r-278v

die 13 maii 1567

PROPTER ERRATUM IN NOMINE LITTERAE APOSTOLICAE NULLITATIS VITIO IMPUGNARI NON POSSUNT

Pius Papa IV Ioannem de los Barrios episcopum Ecclesiae Sanctae Marthae constituerat et sedem Ecclesiae ad oppidum Sanctae Fidei transtulit illamque in Ecclesiam Metropolitanam constituit. Ioannem vero ad Ecclesiam Sanctae Fidei transtulit. Sed in litteris Apostolicis per errorem scribentis ipse Ioannes «Martinus» nominabatur. Ne litterae ideoque subreptionis aut alio vitio obici possint, Summus Pontifex, supplicationibus Philippi Hispaniarum regis inclinans, declarat quod litterae Pii Papae IV valent, ac si in eis archiepiscopus electus non Martinus sed Ioannes nominatus fuisset et litterae proinde nullitatis vitio impugnari non possint.

Pius V

Ad futuram rei memoriam. Accepimus nuper quod alias, postquam ecclesiae Sanctae Marthae in partibus Indiarum maris Oceani certo modo pastoris solatio destitutae de persona dilecti filii Ioannis de los Barrios tunc presbiteri Ordinis fratrum minorum Sancti Francisci professoris apostolica auctoritate privisum, ipseque illi in episcopum praefectus eiusdemque ecclesiae regiminis et administrationis possessionem adeptus fuerat, felicis recordationis Pius papa IIII praedecessor noster ex certis rationabilibus causis tunc expressis Sedem episcopalem Sanctae Marthae cum episcopo Sanctae Marthae et capitulo, dignitatibus, canonicatibus et praebendis cumque episcopali et capitulari mensis, aliisque insigniis suis ad tunc oppidum Sanctae Fidei in dictis Indiarum partibus de S.R.E. cardinalium consilio dicta auctoritate Apostolica per suas sub plumbo desuper confectas litteras transtulit, illamque ibi in Metropolitanam ecclesiam cum solitis Metropolitanarum ecclesiarum praerogativis et insigniis eadem auctoritate erexit et instituit, necnon oppidum ipsum Sanctae Fidei metropolis titulo decoravit, ipsumque Ioannem episcopum nuper Sanctae Marthae ad ecclesiam ipsam Sanctae Fidei sic in Metropolitanam erectam similiter transtulit, ipsumque illi in archiepiscopum praefecit et pastorem curam et administrationem eiusdem ecclesiae Sanctae Fidei sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo et eidem Ioanni episcopo nuper Sanctae Marthae in archiepiscopum Sanctae Fidei electo, necnon canonicis et capitulo ipsius ecclesiae Sanctae Marthae liberam ad ecclesiam et civitatem Sanctae Fidei huiusmodi transeundi facultatem concedendo, prout in dictis Pii praedecessoris litteris, in

quibus per errorem scribentis quod ipse Ioannes episcopus in archiepiscopum, ut prefertur, electus Martinus [1] nominabatur cum re vera Ioannes nominetur et existat expressum fuit plenius continetur. Ne autem idem Ioannes in archiepiscopum electus dictarum litterarum effectu frustretur seu ab aliquibus de ipsarum litterarum subreptionis aut alio vitio obijci possit, opportune providere volentes tam eiusdem Ioannis in archiepiscopum electi, quam etiam charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis catholici, cui ius patronatus et presentandi nobis et Romano pontifici personam idoneam ad ipsam ecclesiam Sanctae Fidei cum pro tempore vacat ex privilegio Apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum pertinere dignoscitur, nobis humiliter porrectis in hac parte supplicationibus inclinati eidem Ioanni in archiepiscopum electo, quod Pii praedecessoris literae huiusmodi cum omnibus et singulis inde secutis valeant, ac ipsi et canonicis ac capitulo Sanctae Fidei predictis suffragentur in omnibus et per omnia perinde, ac si in eis quod dictus Ioannes in archiepiscopum electus non Martinus sed Ioannes nominatus fuisset; et propterea litterae ipsae de surreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu dicti Pii praedecessoris intentionis defectu notari vel impugnari non possint, sed perpetuo, valide et efficaces existant et suos plenarios effectus sortiantur, auctoritate apostolica tenore presentium concedimus pariter et indulgemus, sicque per quoscunque iudices et commissarios etiam Causarum Palatii Apostolici auditores et eiusdem Romanae ecclesiae cardinales sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et diffiniri debere, irritum quoque et inane quicquid secus a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon omnibus illis quae praefatus Pius praedecessor in dictis suis litteris voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die XIII maii 1567, anno 2°.

[1] Cfr. supra doc. 145 et 194.

206

Exponi nobis nuper

Sec. Brev. 4 fol 291rv
Sec. Brev. 5 fol. 252r-253r

die 16 maii 1567

LICENTIA ORDINANDI SACERDOTES SINE BENEFICIO AUT PATRIMONIO

Quia in regionibus Indiarum Orientalium et Brasiliae pauca beneficia et redditus ecclesiastici habentur, ex quibus personae ecclesiasticae sustentare possunt, Summus Pontifex licentiam episcopis concedit promovendi ad sacros ordines suos familiares beneficium aliquod aut patrimonium non habentes, si ad verbum Dei praedicandum utiles et necessarii sunt, praevio tamen examine.

Pius V

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Goan. et Cocchinen. et Malachan. necnon Sancti Salvatoris [1] episcopis.

Venerabiles fratres salutem etc. Exponi nobis nuper fecistis quod cum in partibus Indiarum orientalium et del Brasil, in quibus ecclesie vestre respective consistunt pauca admodum beneficia ac ecclesiastici redditus existant ex quibus ad sacros ordines pro tempore promovendi se sustentare possint, vosque propterea qui multam inibi messem agnoscentes operariorum paucitate oppressi estis desideraretis pro dominici gregis cure vestre commissi salute, ac ut quo facilius credita vobis dominica vinea coli posset vobis etiam familiares vestros ad sacros ordines promovendi licentiam concedi, nobis humiliter supplicari

[1] Episcopus Ecclesiae Sancti Salvatoris de *Bahia* in Brasilia erat Petrus Leitão, nominatus est die 23 martii 1558.

fecistis ut vobis in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremus. Nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati vobis et vestrum singulis ut quoscumque familiares vestros, quos ad id idoneos et ad verbum Dei predicandum seu ecclesiasticis vestris vel illis quomodolibet subiectis utiles et necessarios iudicaveritis quamvis per triennium servitiis vestris non institerint et beneficium aliquod aut patrimonium ex cuius fructibus se commode manuteneri queant, non habeant, previo examine, ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines dummodo vos et vestrum quilibet donec eis de competenti beneficio provideri, aut ipsi aliunde illud assecuti fuerint vel habeant unde commode vivere possint vos illis ad eorum sustentationem ducatos quadraginta quolibet anno solvere omnino teneamini promovere, ipsisque postquam, ut prefertur, promoti fuerint etiam in altaris ministerio observiendi liberam licentiam dare possitis plenam auctoritate apostolica per presentes facultatem et auctoritatem ex certa nostra scientia concedimus et impartimur. Non obstantibus premissis ac quibusvis apostolicis necnon in generalibus etiam regularibus celebratis ac provincialibus et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 16 maii 1567, anno 2°.

207

Vitae ac morum honestas

Reg. Vat. 1965 fol. 137r-138v — die 18 iunii 1567

COLLATIO BENEFICII PROPTER VACATIONEM SANCTAE SEDI DEVOLUTA

Petro de Barientos, clerico perpetuo beneficiato in oppido de *Saylizes de los Gallegos* specialem gratiam facere volens, Pontifex beneficium, quod *certo modo* vacat, ex auctoritate apostolica confert, dummodo ius alteri forte quae-

situm ne laedatur. Occasione huius provisionis Pontifex mentem propriam exprimit de vacatione beneficiorum necnon de ratione procedendi circa beneficia de quibus lites aguntur.

Pius V

Dilecto filio Petro de Barientos clerico perpetuo beneficiato dimidio portionario nuncupato in parrocchiali ecclesia Beatae Marie de Entrambos Alamos nuncupate, oppidi seu loci de Saylizes de los Gallegos, Civitaten. diocesis, salutem etc. Vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita super quibus apud nos fidedigno etiam ordinarii tui tamquam idoneus commendaris testimonio nos inducunt ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque sicut accepimus perpetuum simplex beneficium ecclesiasticum dimidia portio nuncupatum in parrocchiali ecclesia Beate Marie de Entrambos Alamos nuncupate, oppidi seu loci de Saylizes de los Gallegos, Civitaten. diocesis, certo modo vacet ad presens et tanto tempore vacaverit quod eius collatio iuxta Lateranen. statuta Concilii est ad Sedem Apostolicam legitime devoluta licet dilectus filius Christoforus Garcia pro clerico se gerens illud nullo titulo nullove iuris adminiculo sibi desuper suffragante, sed temeritate propria et de facto per annum et ultra detinuerit et adhuc detineat indebite occupatum. Nos qui dudum inter alia voluimus quod quicumque beneficium ecclesiasticum tunc per annum immediate precedentem pacifice possessum et quod certo modo vacare precederet extunc deinceps impetraret nomine gradum et nobilitatem possessoris eiusdem et quot annis ipse possessor illum pacifice possedisset ac specificam et determinatam causam ex qua clare constare posset quod nullum ibi possessorem dicto beneficio ius competeret in huiusmodi impetratione exprimere teneretur alioquin impetratio predicta et inde secuta quecumque nullius extraneus firmitatis tibi asserenti te venerabilis fratris nostri Ioannis [1] episcopi Cusquen. unum ex officiis scriptoris litterarum apostolicarum ex indulto apostolico obtinentis familiarem continuum commensalem existere, ac tibi in alio perpetuo simplici beneficio ecclesiastico dimidia portione nuncupato ecclesie Sancti Petri, loci de Lahinoiosa dicte diocesis,

[1] Episcopus Ecclesiae Cuschensis (*Cuzco*) erat Matthias Pinellus. Ioannes Solanus resignaverat.

cuius et illi forsan annexorum fructus, redditus et proventus sexaginta ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt vel ad illud ius competere premissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes teque a quibusvis excommunicationis etc., censentes; nec non verum et ultimum primodicti beneficii vacationis modum etiam si ex illo quevis generalis reservatio etiam in corpore iuris clausa resultet, ac gradum et nobilitatem dicti Garcie si que sint ac tempus per quod primodictum beneficium detinuit causamque quare ius ipsi in illo non competat presentibus pro expressis habentes primodictum beneficium cuius et illi forsan annexorum fructus, redditus et proventus quadraginta ducatorum similium secundum extimationem predictam valorem annuum, ut etiam asseris, non excedunt quovismodo et ex cuiuscumque persona seu per liberam resignationem cuiusvis de illo in Romana curia vel extra eam etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati seu quacumque collatione et provisione vel alia dispositione de illo, ut prefertur, vacante cuivis persone quavis etiam apostolica vel ordinaria aut alia auctoritate facta propter persone huiusmodi vel etiam simonie contractum seu incapacitatem vel inhabilitatem aut irregularitatem seu alias nulla et invalida existente, seu effectum sortiri nequeuntur, vel alias quomodocumque et qualitercumque ac ex quocumque capite non tamen per obitum vacet ac primodictum beneficium dispositioni apostolice specialiter vel generaliter reservatum existat et super eo inter quoscumque coram quocumque seu quibuscumque iudicibus tam ordinariis quam delegatis in dicta curia vel extra eam lis seu super eius possessorio molestia cuius statum ac merita cause nominaque et cognomina iudicum et collitigantis presentibus haberi volumus pro expressis pendeat indecisa dummodo tempore datum presentium non sit in eo alicui specialiter ius quesitum cum annexis huiusmodi ac omnibus iuribus et pertinentiis suis dicta apostolica tibi auctoritate conficimus et de illo etiam providemus et quatinus primodictum beneficium litigiosum sit, ut prefertur, et per eventum huiusmodi vel alterius litis monende constiterit neutri seu nulli litigantium predictorum, nec etiam tibi postquam lis ipsa etiam quoad te coram ipsis iudicibus legitime introducta fuerit in dicto beneficio vel ad illud ius competere tibi per eosdem iudices adiudicandum fore et adiudicari debite necnon exnunc si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit irritum et inane decernimus. Quocirca venerabili fratri nostro episcopo Amerin. et dilectis filiis archidiacono de Gabogal in ecclesia Civitaten. ac officiali Civitaten. mandamus quatinus ipsi vel duo aut unus eorum vocatis

dicto Christoforo et aliis qui fuerint evocandi per se vel alium seu alios te vel procuratorem tuum nomine tuo in corporalem possessionem primodicti beneficii ac annexorum iuriumque et pertinentiarum predictorum inducant auctoritate nostra et defendant inductum amoto exinde dicto Christoforo et quomodolibet alio illicito detentore facientes te vel pro te procuratorem predictum ad primodictum beneficium, ut est moris, admitti, tibique de illius et annexorum eorumdem fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores etc., non obstantibus priori voluntate nostra predicta ac felicis recordationis Bonifacii papae VIII predecessoris nostri et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisiones sibi faciendas de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint etiam super eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum. Quibus omnibus te in assecutione primodicti beneficii volumus anteferri sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari, seu si venerabili fratri nostro episcopo Civitaten. vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint. Quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem seu quamvis alias dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualiter alia dicte sedis indulgentia generaliter vel specialiter cuiuscumque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Volumus autem quod tu infra duos menses a die habite per te primodicti beneficii possessionis vel a tempore quo per te steterit quominus illam assequaris computandos illud aut ad quod ius, ut prefertur, habes quodque extunc dictis duobus mensibus elapsis vacare decernimus dimittere omnino tenearis. Nulli etc., nostre absolutionis, collationis, provisionis, decreti, mandati et posteriorum voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, quintodecimo kalendas iulii pontificatus nostri anno secundo.

208

Vitae ac morum honestas

Reg. Vat. 1965 fol. 15r-16v die 10 iulii 1567

COLLATIO BENEFICII VACANTIS
EX AUCTORITATE APOSTOLICA

Praemissa absolutione ab excommunicatione aliisve impedimentis canonicis gratiae speciali imploratae forsan obstantibus, Summus Pontifex clerico Petro Gutierez de Barientos perpetuo beneficiato dimidio portionario in parochiali ecclesia Sancti Petri in oppido de la *Hinoiosa* Civitatensis dioecesis beneficium confert, condicionibus sive circa vacationem talis beneficii ecclesiastici, sive circa lites de eiusmodi provisionibus amplius declaratis.

Pius V

Dilecto filio Petro Gutierez de Barientos clerico perpetuo beneficiato dimidio portionario aut alias nuncupato in parrocchiali ecclesia Sancti Petri oppidi seu loci de la Hinoiosa Civitaten. diocesis, salutem etc. Vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita super quibus apud nos etiam ordinarii tui tamquam idoneus fidedigno commendaris testimonio nos inducunt ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque postmodum perpetuum simplex beneficium ecclesiasticum portio dimidia aut alias nuncupatum in parrocchiali ecclesia Sancti Petri oppidi seu loci de la Hinoiosa Civitaten. diocesis, certo modo vacet ad presens et tanto tempore vacaverit quod eius collatio iuxta Lateranen. statuta Concilii ad sedem Apostolicam legitime devoluta licet dilectus filius Ferdinandus Gomez senior pro clerico se gerens beneficium predictum nullo titulo nullove iuris adminiculo sibi desuper suffragante sed temeritate propria et de facto per certum tempus citra tamen annum detinuerit et adhuc deti-

neat indebite occupatum. Nos tibi asserenti te venerabilis fratris nostri Ioannis Solani episcopi Cusquen. unum ex officiis scriptoris litterarum apostolicarum ex indulto apostolico obtinentis familiarem continuum commensalem existere premissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes teque a quibusvis excommunicationis etc., censentes necnon verum et ultimum dicti beneficii vacationis modum etiam si ex illo quevis generalis reservatio etiam in corpore iuris clausa non tamen per obitum resultet pro expresso habentes beneficium predictum quod personalem residentiam non requirit ac cuius et illi forsan annexorum fructus, redditus et proventus sexaginta ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum ut etiam asseris non excedunt; quovis modo aut ex dicti Ferdinandi senioris vel Ferdinandi etiam Gomez de Saa iunioris, aut alterius cuiuscumque persona facto culpa inhabilitate, incapacitate seu per liberam resignationem cuiusvis de illo in Romana curia vel extra eam etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati seu quacunque collatione, provisione aut alia dispositione de illo quovis modo vacante propter Ferdinandi aut persone huiusmodi inhabilitatem, incapacitatem aut irregularitatem aut natalium defectum seu cuiusvis provisionis seu collationis de eodem beneficio dicto detentori factam subreptionem et obreptionem aut alias ex quavis causa nulla et invalida existente seu effectum sortiri nequeunt aut alias quidcumque et qualitercumque non tamen per obitum vacet etiam si dispositioni Apostolice specialiter vel generaliter reservatum existat, et super eo inter quoscumque coram quocumque seu quibuscumque iudicibus ordinariis vel delegatis etiam earum palatii apostolici auditoribus seu locatenentis lis cuius statum et merita cause nominaque et cognomina iudicum et collitigantis presentibus haberi volumus pro expressis pendeat indecisa dummodo tempore datum presentium non sit in eo alicui specialiter ius quesitum cum annexis huiusmodi ac omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo etiam providemus et quatinus ipsum beneficium litigiosum sit, ut prefertur, et per eventum huiusmodi vel alterius litis monende constiterit neutri seu nulli collitigantium prefatorum nec etiam tibi postquam lis ipsa etiam quoad te coram ipsis iudicibus legitime introducta fuit in eodem beneficio vel ad illud ius competere tibi per eosdem iudices adiudicandum fore et adiudicari debere ac exnunc si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit irritum et inane decernimus. Quocirca venerabili fratri nostro episcopo Amerin. et dilectis filiis archidiacono de Gabogal in ecclesia Civitaten., ac officiali Civitaten. mandamus, quatinus ipsi vel duo aut

unus eorum per se vel alium seu alios vocatis dicto Ferdinando et aliis qui fuerint evocandi te vel procuratorem tuum nomine tuo in corporalem possessionem beneficii et annexorum iuriumque et pertinentiarum predictorum inducant auctoritate nostra et defendant inductum amoto exinde dicto Ferdinando et quibuslibet aliis illicitis detentoribus facientes te vel pro te procuratorem predictum ad beneficium huiusmodi, ut est moris, admitti, tibique de illius et annexorum predictorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores etc. non obstantibus felicis recordationis Bonifacii papae VIII predecessoris nostri et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisiones sibi faciendas de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum. Quibus omnibus te in assecutione dicti beneficii volumus anteferri sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari, seu si venerabili fratri nostro episcopo Civitaten. vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint. Quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem; et qualiter alia dicte sedis indulgentia generaliter vel specialiter cuiuscumque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio speciali. Nulli etc., nostre absolutionis, collationis, provisionis, decreti, mandati et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, sexto idus iulii, pontificatus nostri anno secundo.

209

Credimus allatas esse

Arm. XLIV 12 fol. 116rv; fol. 129r
Arm. XLIV 13 fol. 34r-35r
Sec. Brev. 21 fol. 54r

die 7 octobris 1567

EPISCOPI, UT INDOS AB INIURIIS MILITUM DEFENDANT, OBSECRANTUR

Summus Pontifex episcopos in partibus Indiarum maris Oceani de assumtione sua ad regimen Apostolicae Sedis certiores fecerat eisque volumina Concilii Tridentini miserat. Auxilium orationum eorum exposcit. Informationes de statu Ecclesiae et de necessitatibus expostulat. Participem esse vult et debet in opere propagationis fidei. Obsecrat episcopos, ut christifideles Indos a militum iniuriis defendant et protegant, *ne propter talia scandala nomen Dei in gentibus blasphemetur.*

Pius V

Venerabili fratri nostro Alfonso [1] archiepiscopo Mexicano in partibus Indiarum.

Venerabilis frater noster, salutem etc. Credimus allatas esse ad te literas nostras quibus te, sicut reliquos quoque istarum partium fratres anno proxime praeterito de nostra ad Apostolicae Sedis regimen assumptione fecimus certiores, eo erga te et illos officio fungentes quod fraternae charitati et suscepto muneri tali tempore conveniebat. Misimus etiam singulis singula sacri oecumenici Concilii Tridentini feliciter sub nostro praedecessore felicis recordationis Pio 4° peracti

[1] Archiepiscopus Ecclesiae Mexicanensis erat Alphonsus de Montúfar, OP.

volumina. Nuper autem literas abs te accepimus XII die martii datas, gratulantes nobis de officio ad quod vocati sumus, cuius nos oneris magnitudinem sentientes consolationem pariter et auxilium piarum precum a fratribus nostris exposcimus potiusque gratulationem expectamus. Illud cuperemus nos de statu provinciae tuae certiores fecisses et si quam ad rem huius Sanctae Sedis auxilio et auctoritate opus tibi et suffraganeis tuis esset id significasses. Non enim nec tibi, nec illis in iis quae ad bonum vestrarum ecclesiarum regimen et ad propagationem divini cultus ac Christianae fidei pertinebunt, deesse volumus nec debemus. Illud fraternitatem tuam coram Deo et Domino nostro Iesu Christo obtestamur, ut gentiles ad fidem Christianam conversos, a militum iniuriis quam diligentissime defendas ac protegas, et suffraganeos tuos nostro etiam nomine, ut idem faciant, sedulo admoneas et horteris. Verendum est enim ne propter talia scandala nomen Dei in gentibus blasphemetur et minus multi Christianam fidem suscipiant, christianorum peccatis offensi, iniuriisque deterriti. Stephanus Farrufinus, de quo ad nos scribis, non est ille quidem propinquus noster, tamen ex familia nobili, quam semper dileximus, curavimus, sicut petiit, ut Regi Catholico nostris verbis commendetur, literis de hac re ad nuncium nostrum, qui apud Regem residet, datis. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die VII octobris MDLXVII, pontificatus nostri anno secundo.

210

Te una cum dilecta

Arm. XLIV 13 fol. 35v-36r die 7 octobris 1567
Sec. Brev. 21 fol. 55r

ADHORTATIONES PRO PROREGI NOVAE HISPANIAE

Summus Pontifex de felici adventu proregis in Nova Hispania gaudet et Deum precatur, ut sub eius felici regimine Ecclesia in illis partibus propagetur. Proregem exhortatur, ut Indos christianos ab iniuriis militum defendat et

Indos gentiles ita tractet, *ne a suscipienda Christi fide deterreantur sed potius modis omnibus alliciantur*. Spiritualia munera misit. Stephanum Faruffinum ei commendat.

Pius V

Dilecto filio nobili viro marchioni de Falces Novae Hispaniae Proregi.

Dilecte fili nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Te una cum dilecta in Christo filia nobili muliere marchionissa coniuge tua prospera admodum navigatione in commissam tibi provinciam novam Hispaniam pervenisse, libenter admodum ex tuis literis cognovimus. Deum autem precamur, ut qui te istuc adeo foeliciter perduxit, ad istos populos regendos nobilitati tuae semper adsit, detque et concedat ut sancta Ecclesia in istis partibus sub tuo foelici regimine ad divini sui nominis gloriam et animarum salutem propagetur et crescat. Cui rei non dubitamus nobilitatem tuam toto animo intentam fore. Nullum certe tam Catholico Regi obsequium gratius praestare, nihil se ipsa dignius facere, nulla re divinae gratiae auxilium certius promereri poterit. Nihil autem aeque necessarium esse pro sua prudentia intelligit, ac christianos novos diligenter a militum et aliorum christianorum iniuriis tueri atque defendere et gentiles ita tractare, ut ne a suscipienda Christi fide deterreantur, sed potius modis omnibus alliciantur. Quia vero quam grata tibi et aliis fuerint superiora spiritualia munera significasti, mittenda ad te duximus alia inter eos quos tibi visum fuerit dispertienda. Quibus debita devotione gestatis adversus pericula muniamini. Stephanum Faruffinum, de quo ad nos scripsisti, non quidem propinquum nostrum, notum tamen nobis, et ex nobili familia ortum, quam semper dileximus. Curavimus datis ad nuncium nostrum literis Regi Catholico, sicut petiit, commendari, quem nobilitati tuae quoque commendamus. Omnipotens Deus te et nobilem mulierem uxorem marchionissam incolumes custodiat. Datum Romae ut supra.

211

Cum gratiarum omnium

Arm. XLIV 12 fol. 140r-141r — die 15 decembris 1567
Arm. XLIV 13 fol. 110r-111v
Monumenta Historica Societatis Iesu 87.
Monumenta Brasiliae 4, 430-433.

FACULTAS DISPENSANDI

Cum neophytis in omni gradu consanguinitatis et affinitatis, praeterquam a iure divino prohibito.

Pius V

Dilectis filiis Generali aliisque Praepositis et Praesbiteris Societatis Iesu.

Dilecti fili salutem etc. Cum gratiarum omnium largitor Altissimus vestris cordibus tantum honoris sui amorem, tantumque salutis animarum studium impresserit, ut ex Societate vestra plurimi propagandae religionis christianae et homines gentiles, idolorumque cultores ad sui Creatoris et Salvatoris agnitionem adducendi cupiditate flagrantes, non itinerum, non navigationum laboribus aut periculis territi, ex his Europae partibus in Aethiopiam, Persidem usque ad Moluccas, et Iappon, ac alias Orientis insulas, et regiones alias a nobis remotissimas, et in extremo orbe terrarum positas adire non dubitent; desideriis vestris libenter annuimus in iis, per quae scandala tolluntur, et infirmi ac recens in Ecclesiam ascripti, tanquam parvuli nondum habiles solidiori alimoniae lacte alendi molliusque tractandi sunt. Cum igitur, sicut nobis exponi curastis, accidere saepe soleat in re-

gionibus et locis, quae a gentilibus incoluntur, ut multi neophiti consanguinitate vel affinitate coniuncti in gradibus a iure prohibitis, propter pristinam consuetudinem suam, inter se matrimonia contrahant, dispensatione non petita, seu quia in eis locis Episcopi nondum fuerint constituti, a quibus eam petere possint, seu, si sint, commode eos adire non possint, qui sine gravi scandalo separari non possent.

Nos huiusmodi neophytis aliquid de rigore canonum remitti aequum esse censentes, vestrae Societatis Provincialibus et aliis praesbyteris, qui de vestra Societate a Generali vel Provincialibus vel eorum Vicariis fuerint deputati in Aethiopiae, Arabiae, Persidis, Indiae, regione Sinarum, in Iappon, Brasilia, et aliis continentis regionibus, aut Oceani insulis quibuscumque a gentilibus habitatis, ad quas eos pervenire contigerit, cum neophytis in quocumque, non tamen a iure divino prohibito, consanguinitatis et affinitatis gradu, ut matrimonia inter se contrahere vel in contractis permanere aut ea solemniter in facie Ecclesiae de integro contrahere, libere et licite possint, dispensandi absolvendique eos in utroque foro a sententiis, censuris et poenis in quas propterea inciderint, et prolem susceptam iam ac suscipiendam legitimam declarandi; ita demum tamen, si aut proprium Episcopum nondum habeant, aut si habeant, commode eum adire non possint, quod inde non minus ducentis milliaribus italicis distet, facultatem Apostolica auctoritate tenore praesentium damus atque concedimus, admonentes eos tamen, ut hac facultate ne utantur, nisi ubi expedire viderint, in quo eorum conscientiam oneramus, mandantesque, ut neophytos ipsi diligenter admoneant ut ab huiusmodi matrimoniis canonica lege prohibitis abstineant.

Non obstantibus praemissis et quibusvis Apostolicis ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem ut transumptis harum literarum, manu alicuius publici notarii, si adsit, vel alicuius eius Societatis Provincialis, Praepositive Collegii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, fides habeatur in iudicio et extra iudicium, perinde ac si praesentes exhibitae forent et ostensae. Quas post quinquennium ab hac die computandum minime valere, nulliusque roboris et momenti esse decernimus. Datum Romae apud Santum Petrum etc., die XV decembris MDLXVII, pontificatus nostri anno secundo.

212

Cupientes pro dispensatione

Arm. XLIV 13 fol. 118rv die 15 decembris 1567
Sec. Brev. 21 fol. 175rv
Monumenta Historica Societatis Iesu 87.
Monumenta Brasiliae 4, 433-434.

INDULGENTIAE SPECIALES IN FAVOREM SOCIETATIS IESU

Summus Pontifex concedit indulgentiam quadraginta dierum et aliam septem annorum et totidem quadragenarum omnibus fidelibus, qui ecclesias Societatis Iesu in India, Aethiopia, Brasilia et aliis locis erectas devote visitaverint et pias ad Deum preces pro conversione infidelium et pace ac tranquillitate Ecclesiae fuderint.

Pius V

Ad futuram rei memoriam. Cupientes pro dispensatione Nobis a Deo Omnipotente credita, licet supra vires et merita nostra, ecclesias et cappellas in honorem Dei et sanctorum eius erectas et alia pia loca a christifidelibus honore et devotione congrua visitari ac frequentari eorum devotionem eiusmodi praemiis vetere huius sanctae sedis instituto excitare et invitare consuevimus, quae ipsorum sint animabus profutura. Quocirca omnibus et singulis christifidelibus in partibus Aethiopiae, Indiae et Moluccis, et Iappon, et aliis quibuscumque Oceani insulis, aut in Sinarum regione, aut Brassilia constitutis praesentibus et futuris qui contriti ac confessi quamlibet ecclesiam et cappellam seu quodlibet xenodochium in eis partibus dilectorum filiorum praesbiterorum et ministrorum Societatis Iesu cura et opera erectum aut in posterum erigendum devote visitaverint, ac pias ad Deum preces pro conversione infidelium et pace ac tranquillitate ecclesiae fude-

rint, quotiescunque ea ita visitaverint quadraginta dies et semel quolibet anno alio die festo, quem minister provinciae eiusdem Societatis, qui pro tempore fuerit, constituerit; septem annos et totidem quadragenas de vera indulgentia Apostolica auctoritate in perpetuum misericorditer in Domino elargimur atque concedimus. Volumus autem, ut harum transumptis manu alicuius notarii publici vel alicuius eius ordinis provincialis aut collegii praepositi subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis fides perinde habeatur, ac si praesentes exhibitae forent et ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XV decembris MDLXVII, pontificatus nostri anno secundo.

213

Provisionis nostrae

Hernáez II 299-301 die 30 decembris 1567

ERECTIO ECCLESIAE CIVITATIS IMPERIALIS (*CHILE*)

Summus Pontifex, Philippo Hispaniarum rege Catholico exponente et supplicante perficit, quod ipsius praedecessor Pius Papa IV coeperat ut in locis dignioribus titulis decoratis provinciarum, quae ab infidelibus et barbaris nationibus recuperatae et adquisitae sint, plantetur christiana religio. Cum autem inter provincias in insulis Indiarum Maris Oceani repertas sit una de *Chile* nuncupata, in qua, licet in ea plures christiani habitent, nulla tamen Ecclesia Cathedralis existit, idem rex pium expressit desiderium, ut pro animarum salute propaganda oppidum, quod Civitas Imperialis nuncupatur, in civitatem et in ea Cathedralis Ecclesia erigatur et instituatur.

Proinde Pontifex praedictum oppidum in civitatem erigit atque in eadem Cathedralem Ecclesiam sub invocatione Sancti Michaelis pro uno episcopo, qui dictam ecclesiam construi faciat ac in ea et in dioecesi munera episcopalia exerceat, ut incolas infideles ad orthodoxae fidei cultum convertat, et conversos in eadem fide instruat et confirmet et sacramenta salutis ministret vel ministrari faciat. Episcopus in eadem civitate et dioecesi plenam auctoritatem habeat atque dignitates et beneficia ecclesiastica erigat et archiepiscopo Civi-

tatis Regum iure metropolitico subsit; decimas vero et alios proventus ad morem aliorum episcoporum in Hispaniis percipere vel exigere valeat, iure patronatus pro tempore existenti regi Castellae et Legionis reservato.

Pius V

Pius Episcopus, Servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Provisionis nostrae debet provenire subsidio, ut jus suum cuilibet conservetur. Hinc est quod nos tenorem quarumdam Litterarum felicis recordationis Pii, Papae IV, Praedecessoris nostri, in registro ipsius Praedecessoris repertum, pro eo quod Charissimus in Christo Filius noster Philippus, Hispaniarum Rex Catholicus, nobis exposuit, ipse hujusmodi tenore ex certis causis noscitur indigere de registro ipso de verbo ad verbum transcribi, et ad ipsius Philippi Regis instantiam praesentibus annotari fecimus, qui est talis: «Pius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Super specula militantis Ecclesiae, meritis licet imparibus, Divina dispositione locati, ad universas orbis provincias et loca praesertim Omnipotentis Dei misericordia per Catholicos Reges et Principes ab Infidelibus et barbaris nationibus recuperata et adquisita, aciem nostrae meditationis passim reflectimus, et ut in locis ipsis dignioribus titulis decoratis plantetur Christiana Religio, ac eorum incolae et habitatores Venerabilium Praesulum doctrina et auctoritate suffulti proficiant semper in Fide, et quod dicti Reges et Principes in temporalibus sunt adepti, non careat in spiritualibus incremento, opem et operam libenter impendimus efficaces.

Sane cum inter caeteras Provincias in Insulis Indiarum Maris Occeani auspiciis clarae memoriae Caroli V, Romanorum Imperatoris semper Augusti, tunc in humanis agentis, alias reperta sit una de Chile nuncupata, cujus incolae olim Divinae legis expertes existebant, et in qua, licet in ea plures Christiani habitent, nulla tamen Ecclesia Cathedralis adhuc erecta existit, et Charissimus in Christo Filius noster Philippus, Hispaniarum Rex Catholicus, pio affectu desideret in dicta Provincia ejus temporali ditioni, ratione Castellae et Legionis Regnorum subjecta, illius gloriosissimi nominis cultum, cujus est orbis terrarum et plenitudo ejus ac universi qui in eo habitant, ampliari ac incolas praedictos ad lucem veritatis adduci, animarumque salutem propagari, ac propterea Oppidum Civitatem Imperialem nuncupatum, in dicta Provincia situm, in Civitatem et in ea Cathedralem Ecclesiam

erigi et institui.

Nos, habita super his cum Fratribus Nostris deliberatione matura, de illorum consilio, praedicto Philippo Rege super hoc nobis humiliter supplicante, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam ac gloriosissimae ejus Genitricis Virginis Mariae, totiusque curiae coelestis honorem et ipsius Fidei exaltationem, Oppidum praedictum in Civitatem quae Civitas Imperialis nuncupetur, ac in ea Cathedralem Ecclesiam sub invocatione Sancti Michaelis pro uno Episcopo Civitatis Imperialis nuncupando, qui dictam Ecclesiam construi faciat, et in ea illiusque Civitate et Dioecesi verbum Dei procuret et predicet, ac eorum incolas Infideles ad Orthodoxae Fidei cultum convertat, et conversos in eadem Fide instruat et confirmet, eisque Baptismi gratiam impendat, ac tam illis sic conversis, quam aliis omnibus Fidelibus in Civitate et Dioecesi hujusmodi pro tempore degentibus, ac ad eas declinantibus Sacramenta Ecclesiastica et alia spiritualia ministret, ac ministrari etiam faciat et procuret: necnon in Ecclesia et Civitate ac Dioecesi prefatis Episcopalem jurisdictionem, auctoritatem et potestatem libere exercere valeat; ac Dignitates, Canonicatus, et Praebendas, aliaque Beneficia Ecclesiastica, cum cura et sine cura, erigat et instituat, ac alia spiritualia conferat et seminet prout Divini cultus augmento et ipsorum incolarum animarum saluti expedire cognoverit, et qui Archiepiscopo Civitatis Regum pro tempore existenti jure Metropolitico subsit, ac ex omnibus inibi pro tempore provenientibus, praeterquam ex auro et argento ac aliis metallis, gemmis et lapidibus pretiosis, quae pro tempore existentibus Castellae et Legionis Regibus, quoad hoc libera esse decernimus decimas et primitias de iure debitas, caeteraque Episcopalia jura, prout alii in Hispaniis Episcopi de jure vel consuetudine exigunt et percipiunt, exigere et percipere libere et licite valeat, cum Sede et mensa ac aliis insigniis et jurisdictionibus Episcopalibus; necnon privilegiis, immunitatibus et gratiis, quibus aliae Cathedrales Ecclesiae, ac illarum Praesules in eisdem Hispaniis de jure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum; Auctoritate Apostolica, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus: ac eidem Ecclesiae Oppidum praedictum, sic per nos in Civitatem erectum, pro Civitate, et partem dictae Provinciae, quam ipse Philippus Rex, positis limitibus, dum et quando ac quoties sibi expedire videbitur, in toto vel in parte augere, extendere et mutare libere et licite valeat, pro Dioecesi statuerit et statui mandaverit, ipsarumque Civitatis et Dioecesis incolas pro Clero et Populo concedimus et assignamus. Necnon illius mensae Episcopali praedictae [pro] ejus dote redditus annuos ducentorum ducatorum auri de Camera per ipsum Philippum Regem

ex redditibus annuis ad eum in dicta Provincia de Chile spectantibus assignandos; donec fructus ipsius mensae ad valorem ducentorum ducatorum similium ascendant annuatim ex nunc prout ex tunc, et e contra, postquam assignati fuerint, applicamus et appropriamus. Et insuper jus patronatus et praesentandi infra annum, propter loci distantiam, personas idoneas ad erectam Ecclesiam praefatam, quoties illius vacatio (hac prima vice excepta) occurrerit, Romano Pontifici pro tempore existenti, et per eum ejusdem Ecclesie Episcopum et Pastorem ad praesentationem hujusmodi praeficiendum: necnon ad Dignitates ac Canonicatus et Praebendas, necnon Beneficia erigenda, tam ab eorum primaeva erectione hujusmodi, quam postquam erecta fuerint, quae ex tunc deinceps pro tempore vacantia, Episcopo Civitatis Imperialis pro tempore existenti, similiter per eum ad presentationem hujusmodi in ipsis Dignitatibus, Canonicatibus et Praebendis ac Beneficiis instituendos praedicto Philippo, et pro tempore existenti Castellae et Legionis Regi, de simili consilio, auctoritate et tenore supradictis in perpetuum reservamus, concedimus et assignamus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, applicationis, appropriationis et reservationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, XI Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno quinto».

Ceterum ut Litterarum praedictarum tenor praedictus, sic insertus, rei seu facti certitudinem faciat, auctoritate Apostolica decernimus, ut illud idem robur, eamque vim eumdemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quae haberent originales Litterae supradictae et eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocumque et ubicumque, sive in judicio, sive alibi, ubi fuerit exhibitus vel ostensus, et eidem tenori firmiter stetur in omnibus, sicuti eisdem originalibus Litteris adhiberetur et staretur, si forent exhibitae vel ostensae. Per hoc autem nullum jus cuique de novo adquiri volumus, sed antiquum, si quod sit, tantummodo conservari.

Nulli ergo omnino liceat hanc paginam nostri decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, III Kalendas Januarias, Pontificatus nostri anno secundo.

214

Provisionis nostrae

Hernáez II 301-303 die 30 decembris 1567

CONFIRMATIO EPISCOPI A PRAEDECESSORE INSTITUTI

Pontifex ut certam reddat provisionem Ecclesiae Civitatis Imperialis (*Concepción*) in *Chile* a praedecessore Pio IV factam petitioni obsecundat ab episcopo electo Antonio de Sancto Michaeli Ordinis Fratrum Minorum ipsi porrectae atque litteras apostolicas eiusdem proprio decreto inserendas curat cum plena auctoritate et vi, quam haberent originales litterae Pii IV XI Kalendas Aprilis anni 1564 datae.

Pius V

Pius Episcopus, Servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Provisionis nostrae debet provenire subsidio, ut jus suum cuilibet conservetur. Hinc est quod nos, tenore quarumdam Litterarum felicis recordationis Pii, Papae IV, Praedecessoris nostri, in registro ipsius Praedecessoris repertarum pro eo quod, sicut exhibita nobis nuper pro parte Dilecti Filii Antonii de Sanct Miguel [1], electi Civitatis Imperialis Episcopi, petitio continebat: ipse hujusmodi tenoribus ex certis causis noscitur indigere, de registro ipso de verbo ad verbum transcribi, et ad ipsius Antonii electi instantiam, praesentibus annotari fecimus, qui est talis: «Pius Episcopus Servus Servorum Dei: Di-

[1] Antonius de Sancto Michaele, OFM, inter primos missionarios erat, qui in provinciam *Perú* venerunt. Bullae nominationis suae anni 1564 perditae sunt. Anno 1568 in dioecesim suam pervenit. Anno 1588 translatus est ad sedem dioecesis Quitensis; mortuus est mense novembris 1590. *Egaña* 219-223.

lecto Filio Antonio de Sanct Miguel electo Civitatis Imperialis, Salutem et Apostolicam benedictionem. Apostolatus Officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini Divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes ut, cum de Ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant, non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi Ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare.

Dudum siquidem provisiones Ecclesiarum omnium apud Sedem Apostolicam tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinatione et dispositione nostrae reservationis decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari; postmodum vero Ecclesia Civitatis Imperialis, quam nos hodie in Provincia, de Chile nuncupata, in insulis Maris Occeani consistente, ex certis causis, de Fratrum nostrorum consilio, Apostolica auctoritate, ereximus et instituimus: et ad quam jus patronatus et praesentandi Romano Pontifici pro tempore existenti, infra annum, propter loci distantiam, personam idoneam, quoties illius vacatio, ea prima vice excepta, pro tempore occurrerit, Charissimo in Christo Filio nostro Philippo, Hispaniarum Regi Catholico, et pro tempore existenti Castellae et Legionis Regi, de simili consilio, dicta auctoritate reservavimus, prout in nostris inde confectis Litteris plenius continetur, ab ejus primaeva erectione hujusmodi, apud Sedem praefatam vacante:

Nos ad provisionem ejusdem Ecclesiae celerem, et felicem, de qua nullus praeter nos, hac vice, se intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne Ecclesia ipsa longae vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem Ecclesiae personam utilem et etiam fructuosam, cum eisdem Fratribus habuimus diligentem: demum ad te Fratrem Ordinis Minorum, Ordinem ipsum expresse professum, in Presbyteratus Ordine constitutum, ac verbi Dei praedicatorem, cui apud nos de litterarum scientia, vitae munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis, fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis et dictis Fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, praedictae Ecclesiae de simili consilio, dicta auctoritate providimus: teque illi in Episcopum praefecimus et Pastorem, curam et administrationem ipsius Ec-

clesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo, qui dat gratias et largitur praemia, confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, praefata Ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod Ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissa, tuque praeter aeternae retributionis praemium, nostram et dicte Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, XI Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno quinto».

Caeterum, ut singularum Litterarum praedictarum tenores praedicti, sic inserti, rei seu facti certitudinem faciant; auctoritate Apostolica decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, eum denique vigorem dicti tenores per omnia habeant, quae haberent originales Litterae supradictae, ac eadem prorsus eisdem tenoribus fides adhibeatur quandocumque vel ubicumque, sive in judicio, sive alibi, ubi fuerint exhibiti vel ostensi, et eisdem tenoribus firmiter stetur in omnibus, sicuti eisdem originalibus Litteris adhiberetur et staretur, si forent exhibitae vel ostensae. Per hoc autem nullum jus cuique de novo adquiri volumus, sed antiquum, si quod sit, tantummodo conservari. Et insuper volumus quod tu, juxta voluntatem dicti Praedecessoris in eisdem Litteris annotatam, eamdem Fidei professionem, juxta formam, quam sub Bulla nostra mittimus introclusam, emittere omnino tenearis, ipsamque formam juramenti professionis a te tunc factae, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes Litteras, tuo sigillo munitas, quantotius destinare procures.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, III Kalendas Januarias, Pontificatus nostri anno secundo.

215

Cum nos dudum

Sec. Brev. 9 fol. 23v-26r die 23 ianuarii 1568

EPISCOPUS CUBENSIS A FALSIS IMPUTATIONIBUS ABSOLVITUR

Ioannes de Castillo, episcopus Cubensis, a nonnullis de concubinatus crimine accusatus est. Pius IV duobus cardinalibus mandaverat, ut processum contra episcopum ex Hispania Romam transmissum inspicerent. Qui Pio V, praedecessore suo mortuo, retulerunt, testes in illo processu productos nulliter examinatos fuisse. Pius V ideoque novas informationes exquisivit et novum processum conficiendum iussit. Ex quo clare apparuit innocentia episcopi. Pius V ideoque Ioannem episcopum ab imputationibus iniquis et falsis liberat et ad pristinos honorem et famam reintegrat, inhibens iudicibus tam ecclesiasticis quam saecularibus, ne in posterum eum molestare audeant.

Pius V

Venerabili fratri Ioanni [1] episcopo Cuben.

Venerabilis frater salutem etc. Cum nos dudum postquam alias felicis recordationis Pius Papa quartus praedecessor noster Ecclesia Cuben. quae de iure patronatus charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici ex privilegio apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum existit de persona tua apostolica auctoritate sub certis modo et forma providerat, teque illi in episcopum prefecerat et pastorem, curam et administrationem ipsius Ecclesiae ti-

[1] Ioannes de Castillo, episcopus Ecclesiae Cubensis 1568-1569. Cfr. supra doc. 200. *Lopetegui-Zubillaga* 485-486.

bi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur, nonnullique te odio prosequentes, licet falso te de concubinatus crimine seu quod cum quadam mulieri carnalem copulam habuens accusaverant, negotioque huiusmodi ad eundem Pium predecessorem delato idem Pius predecessor dilectis filiis nostris Ioanni Baptiste Sancti Clementis et Ludovico Sancti Ciriaci in Thermis titulorum presbiteris cardinalibus vive vocis oraculo commiserat et mandaverat, ut processum ex Hispaniarum partibus contra te ad Romanam Curiam transmissum super falsa accusatione huiusmodi diligenter inspicerent illiusque tenorem eidem predecessori referrent, prefatique Ioannes Baptista et Ludovicus cardinales in causa huiusmodi ad nonnullos actus et forsan totalem illius conclusionem citra tamen illius relationem processerant, eodemque predecessori sicut Domino placuit de medio sublato iidem Iohannes Baptista et Ludovicus cardinales nobis divina favente clementia ad summi apostolatus apicem assumptis retulerant, testes in dicto processu productos nulliter examinatos fuisse, ac propterea nullum veritatis testimonium perhibere, nosque ideo per quasdam nostras in forma brevis confectas litteras venerabili fratri archiepiscopo Rossanen. nostro et Sedis Apostolicae in partibus illis apud eundem Philippum Regem Nuncio dederamus in mandatis quatenus se super praemissis una cum venerabili fratri archiepiscopo Ispalen. diligenter informaret, informationemque huiusmodi ad nos eo ipso transmitteret idemque archiepiscopus Rossanen., cum archiepiscopus Ispalen. huiusmodi ex certis causis se in praemissis intromittere recusasset, vocato ad hoc venerabili fratri episcopo Conchen. una cum ipso informationes super praemissis per testes et alias sumpsisset ac processum super illis confecisset, eumque ad nos transmisisset, nos processum ac negocium predictum dilectis filiis Vincentio Fuscherio et Lucio Saxo utriusque signaturae referendariis et prelatis nostris domesticis audiendum et nobis referendum commiseramus ex eisdem Vincentio et Lucio qui servatis de iure servandis ultimum processum diligenter et legaliter inspexerunt acceperimus ex scripturis coram ipsis ventilatis satis nobis clare constare te innocentem et in nullo eorum de quibus accusatus fueras culpabilem esse, omniaque contra te minus iuridice acta fuisse. Nos itaque praemissis attentis volentes innocentiae tuae plenum testimonium perhibere, ac ne ullo unquam tempore contingat te denuo super praemissis indebite molestari providere, omnium et singulorum processuum informationum et aliarum scripturarum super praemissis contra te quomodolibet confectorum tenores presentibus pro expressis habentes, illaque tanquam nulla, invalida et iniusta facta harum serie cassantes et annullantes motu proprio non ad tui vel

alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera deliberatione et certa scientia nostris te ab imputationibus huiusmodi, ut prefertur, iniquis et falsis omnino absolvendum et liberandum esse decernimus, ita ut super illis nullo unquam tempore post hac molestari queas prout nos harum serie te ab illis omnino absolvimus et penitus liberamus, necnon te ad pristinos honorem, formam et eum in quo antequam de praemissis accusatus esses, eras statum plenarie restituimus et reintegramus districtius inhibentes quibusvis iudicibus tam ecclesiasticis quam secularibus et aliis quibuscunque personis quavis auctoritate fungentibus, ne de caetero praemissorum occasione quomodolibet molestare, inquietare vel perturbare audeant vel presumant; mandantes quoque illis ac quibusvis aliis ut tibi in praemissis efficacis defensionis presidio assistentes faciant tibi litteras apostolicas provisionis ecclesiasticae huiusmodi penes quoscunque existentes ac quocunque sequestratos necnon omnes et singulos fructibus dicte Ecclesiae hactenus decursos tibi integraliter et cum effectu consignari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia appellatione postposita compescendo, et nihilominus legitimus super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas et iteratis vicibus aggravando, invocato et ad hoc si opus fuerit auxilio branchii secularis, non obstantibus felicis recordationis Bonifacii papae octavi praedecessoris nostri de uno et concilii generalis de duabus dietis dummodo non ultra tres dietis quis vigore presentium ad iudicium extrahatur et aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis quibuscunque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XXIII ianuarii 1568, anno 3°.

216

De benignitate apostolicae Sedis

Reg. Vat. 2002 fol. 340r-342r — die 7 martii 1568

FACULTAS CONDENDI TESTAMENTUM

Summus Pontifex concedit archiepiscopo Ecclesiae Sanctae Fidei, Ioanni de los Barrios, ut ultra bona patrimonialia et alia, de quibus de iure communi testari et disponere valet, etiam de proventibus quibuslibet, qui ipsi qualicumque titulo ecclesiastico obvenerunt vel debentur necnon de fructibus et redditibus exinde vel etiam ex industria et labore proprio acquisitis vel acquirendis usque ad summam quinque millium scutorum auri in auro per viam testamenti vel donationis tam inter vivos quam etiam causa mortis libere et licite disponere possit, idque pluries quoque tam in pias causas quam in alias quascumque et in favorem personarum etiam inhabilium ad succedendum, sive fuerint affines vel consanguinei aut alias ipsi attinentes. Convalidantur pariter testamenta vel donationes aut dispositiones iam peractae cum omnibus quae exinde sequentur, non obstantibus litteris apostolicis aliisque, nisi in iisdem de oratoris nomine et cognomine mentio facta sit. Irrita habenda sunt quaecumque diversa iudicentur, et singuli tam iuris quam facti defectus quicumque a Pontifice supplentur, adiectis clausulis derogatoriis circa contraria quaecumque.

Pius V

Venerabili fratri Iohanni [1] archiepiscopo Sancte Fidei salutem et apostolicam benedictionem. De benignitate apostolice Sedis provenire dignum est ut prelatis ecclesiasticis presertim pontificali dignitate preditis de bonis que viventes possident libera sit tam ultima voluntate quam alias disponendi attributa potestas et ordinata per eos perpetua roboris firmitate persistat. Cum itaque sicut accepimus tu diem tue peregrinationis extremum disponendi testamentaria praevenire desideras nos itaque volentes te tuis exigentibus meritis favore prosequi gratiae specialis et a quibusvis excommunicationis etc. censentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut ultra patrimonialia et alia quecumque bona de quibus de iure communi aut alias quomodolibet libere testari et disponere potes de aliis omnibus et singulis immobilibus et mobilibus et semoventibus bonis necnon suppellettilibus et pecuniarum summis localibus ac fructibus, redditibus, proventibus ecclesiasticis etiam cuiuscumque qualitatis et quantitatis fuerint ac iuribus et actionibus quibuscumque necnon rebus aliis per te tam etiam ex Sanctae Fidei cui nunc prees et cui antea preeras Sanctae Marthe in

[1] De Ioanne de los Barrios cfr. supra doc. 145.

partibus Indiarum maris Oceani consistentibus ecclesiis quam quibuscumque aliis cum cura vel sine cura secularibus vel regularibus ac etiam dignitatibus in cathedralibus maioribus et in collegiatis principalibus ac parrochialibus ecclesiis aliisque quibusvis beneficiis ecclesiasticis qualitercumque qualificatis per te pro tempore obtentis et imposterum obtinendis necnon tam ex illorum quam quibusvis aliis tibi reservatis et assignatis ac reservandis et assignandis fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis etiam per te nominandi perceptis tibi tamen debitis et in futurum etiam post obitum tui debendis ac etiam tam tuis propriis labore et industria quam alias quomodolibet acquisitis et acquirendis ad te nunc et pro tempore quomodolibet spectandis et pertinendis ubique locorum existentibus et consistentibus quorum omnium qualitates et denominationes ac causas et occasiones ac si specifice et sigillatim hic exprimerentur et denotarentur etiam si talia forent que in generali bonorum vel supellectilium appellatione non venirent presentibus pro sufficienter expressis et specificatis habentes usque ad summam quinque millium scutorum auri in auro per viam testamenti nuncupativi aut in scriptis codicillorum seu donationis tam inter vivos quam etiam causa mortis et in infirmitate ac mortis articulo constitutus ac alias quovis modo et in quasvis pias et non pias causas et alios quoscumque etiam non pios alias tamen licitos usus necnon in quascumque etiam prohibitas et ad succedendum quomodolibet et qualitercumque inhabiles et incapaces personas sive fuerint familiares affines vel etiam consanguinei aut alias attinentes tui sive non ac etiam monasteria, hospitalia et alia pia loca semel vel pluries quoties tibi placuerit testari, ordinare, legare illaque relinquere, erogare, donare et alias prout tibi placuerit et videbitur etiam in ultima et quavis alia voluntate, ut prefertur, etiam pro libito et libera voluntate tui disponere libere et licite possis et valeas apostolica auctoritate tenore presentium indulgemus plenamque et liberam facultatem concedimus et elargimur, ac exnunc prout extunc testamenta, donationes, dispositiones, erogationes huiusmodi ac quicquid aliud per te super hoc fieri et ordinari contigerit ac omnia et singula que inde sequentur valida et efficacia fore ac perpetue roboris firmitati subsistere necnon presentes litteras vim validi contractus inter te et Sedem eandem stipulati et statuti perpetui habere et per quascumque alias litteras apostolicas aut Camere apostolicae regulas etiam per nos et quoscumque Romanos pontifices predecessores nostros ad sedem predictam etiam ad perpetuam rei memoriam editas et edendas revocari vel suspendi aut sub illis comprehendi vel illis derogari non posse neque eas revocatas suspensas vel illis derogatum esse vel censeri debere nisi de tuis nomine et cognomine et earumdem litterarum specifica data

dispositive mentio facta fuerit ac exnunc prout extunc et econtra heredibus legatariis et donatariis tuis ac quibus bona huiusmodi legata vel relicta seu donata fuerint aut tibi successerint ius in illis et ad illa quesitum fore et esse sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et diffiniri debere ac quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptari contigerit irritum et inane decernimus omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus si qui forsan intervenerint in eisdem etiam si tales fuerint de quibus specialis specifica et expressa mentio habenda esset supplemus. Non obstantibus premissis ac Cancellariae apostolicae regulis etiam ut prefertur editis et edendis necnon quibusdam litteris felicis recordationis Alexandri sexti per quas inter alia statuit et ordinavit quod tertia pars omnium et singulorum bonorum eorum quibus similes facultates testandi a dicta sede pro tempore concesse essent ac de quibus ipsi testati forent Camere prefate applicaretur et applicata censeretur eo ipso ac pie memoriae Iulii papae III romanorum pontificum predecessorum nostrorum super spoliis personarum ecclesiasticarum et beneficiorum ecclesiasticorum fructi, redditi et proventi ac alias quomodolibet disponendi ac quibusvis illarum invocationis et aliis similium vel dissimilium facultatum limitationis, restrictionis et revocationis etiam per nos et sedem predictam quomodolibet factis et faciendis ac litteris apostolicis desuper pro tempore confectis et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac Sancte Fidei et Sancte Marthe et aliarum ecclesiarum in quibus secularia necnon monasteriorum seu aliorum regularium locorum in quibus regularia beneficia predicta forsan fuerint et ordinum quorum illa extiterint iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis etiam per nos et successores nostros predictos sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis hactenus concessis et imposterum concedendis quibus omnibus etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quevis expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores presentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, indulti, concessionis, elargitionis, decreti, suppletionis et derogationis infringere etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno incarnationis domini-

ce millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, nonis martii pontificatus nostri anno tertio.

217

Hodie venerabili fratri

Reg. Vat. 2002 fol. 342v-344r die 7 martii 1568

CAUTIONES PRO EXECUTIONE TESTAMENTI

Pontifex imprimis facultatem declarat, quam in aliis litteris eadem die datis Ioanni archiepiscopo Sanctae Fidei elargitus est, vi cuius ultra bona patrimonialia libere et licite disponere vel testari possit etiam de bonis ac iuribus et actionibus quibuscumque, per eundem pro tempore obtentis vel imposterum obtinendis, et quidem usque ad summam quinque millium scutorum auri, sive per viam testamenti sive diversi generis donationibus, in causas pias vel alias necnon in familiares vel alias personas ipsi attinentes, semel vel pluries, quoties ipsi placuerit.

Hisce vero litteris Pontifex duobus viris ecclesiasticis inscriptis mandat, ut praedictas litteras et quaecumque in eis contenta, ubi et quando opus fuerit, sollemniter publicare satagant iisque, a quibus requisiti fuerint, heredibus vel donatariis efficaciter assistentes faciant, ut quaecumque archiepiscopus Ioannes vigore litterarum apostolicarum testabitur vel alias disponet, per Ordinarios locorum et Camerae Apostolicae collectores ac alios quoscumque firmiter observentur, contradictores vero vel rebelles per poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, auctoritate apostolica compescantur.

Pius V

Venerabili fratri episcopo Amerin. [1] et dilecto filio decano ecclesie Sanctae Fidei salutem et apostolicam benedictionem. Hodie venerabili fratri nostro Iohanni archiepiscopo Sanctae Fidei ut ultra patrimonia-

[1] *Amelia* in Italia.

lia et alia quecumque bona de quibus de iure communi aut alias quomodolibet libere testari et disponere possit et aliis omnibus et singulis immobilibus ac mobilibus et semoventibus bonis necnon supellettilibus et pecuniarum summis iocalibus ac fructibus, redditibus, proventibus ecclesiasticis cuiuscumque qualitatis et quantitatis fuerint, ac iuribus et actionibus quibuscumque necnon rebus aliis per eundem Iohannem archiepiscopum tum etiam ex Sanctae Fidei cui nunc preest et cui antea preherat Sanctae Marthae ecclesiis quam quibuscumque aliis cum cura vel sine cura secularibus vel regularibus ac etiam dignitatibus in cathedralibus maioribus et in collegiatis ecclesiis provincialibus ac parrochialibus ecclesiis aliisque quibusvis beneficiis ecclesiasticis qualitercumque qualificatis per eundem Iohannem archiepiscopum pro tempore obtentis et imposterum etiam obtinendis necnon tam ex illorum quam quibusvis aliis sibi reservatis et assignatis ac reservandis et assignandis fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis etiam per eum nondum perceptis sibi tamen debitis et in futurum etiam post eius obitum debendis ac etiam tam suis propriis labore et industria quam alias quomodolibet acquisitis et acquirendis ad eum nunc et pro tempore quomodolibet spectandis et pentinendis ubique locorum existentibus et consistentibus quorum omnium qualitates et denominationes ac causas et occasiones ac si specifice et sigillatim hic exprimerentur et denotarentur etiam si talia forent que in generali bonorum vel supellectilium appellatione non venirent pro sufficienter expressis et specificatis haberi voluimus usque ad summam quinque millium scutorum auri in auro per viam testamenti nuncupativi aut in scriptis codicillorum seu donationis tam inter vivos quam etiam causa mortis et in infirmitate ac mortis articulo constitutus ac alias quovis modo et in quasvis pias et non pias causas et alios quoscumque etiam non pios alias tamen licitos usus necnon in quascumque etiam prohibitas et ad succedendum quomodolibet et qualitercumque inhabiles et incapaces personas sive fuerint familiares sive affines vel etiam consanguinei aut alias attinentes sui sive non ac etiam monasteria, hospitalia et alia pia loca semel vel pluries quoties sibi placuerit testari, ordinare, legare illaque relinquere, erogare, donare et alias de illis prout eidem Iohanni archiepiscopo placuerit et videbitur etiam in ultima et quavis alia voluntate ut prefertur etiam pro libito ac libera voluntate sui disponere libere et licite posset et valeret per alias nostras litteras indulsimus plenamque et liberam facultatem concessimus prout in dictis litteris plenius continetur. Quocirca etc. discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel alter vestrum si et postquam dicte littere vobis presentate fuerint per vos vel alium seu alios litteras predictas et in eis contenta quecumque, ubi et quando opus fuerit ac

quoties pro parte dicti Iohannis archiepiscopi et quorumcumque donatariorum, legatariorum, heredum et successorum suorum predictorum desuper fueritis requisiti solemniter publicantes eisque et eorum cuilibet in premissis efficacis defensionis presidio assistentes faciatis auctoritate nostra omnia et singula de quibus dictus Ioannes archiepiscopus vigore litterarum predictarum usque ad summam predictam testabitur disponet ordinabit et que erogabit per locorum ordinarios et Camere apostolice collectores commissarios aut deputatos ac alios quoscumque firmiter observari non permittentes desuper per eosdem ordinarios collectores, commissarios seu quoscumque alios contra presentium tenorem quomodolibet indebite molestari contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas ac alia iuris remedia eadem auctoritate nostra appellatione postposita compescendo legitimis super his habendis servatis processibus censuras et penas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando invocato etiam ad hoc si opus sit auxilio bracchii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii papae VIII predecessoris nostri que cavetur ne quis extra civitatem vel diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede predicta deputati extra civitatem vel diocesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere aut alii vel aliis vices suas committere presumant et de duabus dietis in Concilio generali edita dumodo ultra tres dietas aliquis auctoritate presentium non trahatur, necnon omnibus que in dictis litteris voluimus non obstare aut si locorum ordinariis commissariis et collectoribus predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, nonis martii pontificatus nostri anno tertio.

218

Meritis tuae devotionis

Sec. Brev. 9 fol. 112r-113r die 18 martii 1568

DE PALLII ASSIGNATIONE

Pius Papa IV sedem episcopalem Sanctae Marthae ad oppidum Sanctae Fidei transtulerat, Ioannem de los Barrios eidem Ecclesiae in archiepiscopum praefecerat. Ioannes per nuntium suum pallium a Summo Pontifice postulavit. Pius V pallium ei assignavit, per episcopos de *Popayán* et de *Cartagena* ei destinandum, post recepto ab eo iuramento fidelitatis. Ioannes autem Summo Pontifici exposuit, episcopos praedictos propter nimiam distantiam et ingravescentem eorum aetatem et quia unus eorum in Hispaniam proficiscitur, mandato respondere non posse. Ideoque alias personas ecclesiasticas loco eorum surrogare supplicavit. Summus Pontifex decanum Ecclesiae Sanctae Fidei vel aliam personam in dignitate ecclesiastica constitutam a Ioanne eligendam, in locum episcoporum surrogat.

Pius V

Venerabili fratri Ioanni [1] archiepiscopo Sanctae Fidei.

Venerabilis frater salutem etc. Meritis tuae devotionis inducimur, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Dudum siquidem postquam felicis recordationis Pius Papa IIII praedecessor noster Sedem episcopalem Sanctae Marthae cum dilectis filiis illius capitulo, dignitatibus, canonicatibus et praebendis episcopali et capitulari mensis aliisque insigniis ad tunc oppidum Sanctae Fidei in partibus Indiarum maris Oceani de fratrum suorum, de quorum numero tunc eramus consilio per quasdam suas transtulerat illamque ibi in Metropolitanam Ecclesiam cum solitis Metropolitanarum Ecclesiarum praerogativis et insigniis eadem auctoritate erexerat et instituerat, nec non oppidum ipsum Metropolis titulo decoraverat ac te tunc episcopum Sanctae Marthae eidem ecclesiae Sanctae Fidei sic recte in archiepiscopum praefecerat et pastorem curam et administrationem eiusdem Ecclesiae Sanctae Fidei tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo tibique in archiepiscopum electo cum pallium insignae videlicet plenitudinis pastoralis officii ex parte tua fuisset a nobis per tectum Nuncium tuum cum ea qua decebat instantia postulatum, nos tuis in ea parte supplicationibus annuentes pallium ipsum de corpore beati Petri sumptum per venerabiles fratres Popaian. et Carthaian. episcopos tibi assignandum per predictum Nuncium tuum duximus

[1] De Ioanne de los Barrios cfr. supra doc. 145.

destinandum quibus et desuper mandavimus, ut iidem capituli seu alter eorum illud tibi assignarent et a te, nostro et Romanae ecclesiae nomine subiecta tunc expressa forma fidelitatis debite solitum reciperent seu reciperet iuramentum, prout in dicti praedecessoris ac variis nostris super destinatione et assignatione pallii necnon mandato huiusmodi confectis litteris plenius continetur. Cum autem nuper sicut exponi nobis nuper fecisti Papaian. et Carthaian. civitatis in quibus dicti episcopi solent residentiam fatice per ducentas leucas et amplius a civitate Sanctae Fidei distent, ac propterea dicti episcopi partim ob civitatum huiusmodi nimiam distantiam et itinerum varia pericula partim ob ingravescentem eorum aetatem, partim quia unus ipsorum episcoporum tam in Hispaniam profectus est vel profecisci speratur, pallium tibi assignare iuramentumque predicta a te dicto nomine recipere vix queant in grave tui tuaeque ecclesiae praeiudicium. Quare nobis humiliter supplicari fecisti quatinus ne litterarum predictarum frustreris effectu, alias personas in dignitate ecclesiastica constitutas loco dictorum episcoporum in praemissis surrogare aliasque tibi opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur honestis votis tuis praesertim utilitatem ecclesiae tuae concernentibus quantum cum Deo possumus annuere volentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati dilectum filium decanum Ecclesiae Sanctae Fidei vel in eius absentia aliam personam in dignitate ecclesiastica constitutam, quam ad hoc duxeris eligendam in dictorum episcoporum locum quoad praemissa, surrogamus, ac decano et eo absente alteri personae predictis per presentes mandamus quatinus unus eorum pallium ipsum iuxta praemissam formam assignare curet ac a te nostro et dictae Romanae Ecclesiae nomine sub forma predicta fidelitatis debitae solitum recipiat iuramentum iuxta dictarum nostrarum litterarum pertinentiam et tenorem perinde ac si illae decano et seu alteri personae huiusmodi a principio nulla dictorum Papaja. et Carthaian. episcoporum facta mentione directe fuissent aliaque omnia et singula ad praemissa necessaria faciat et exequatur. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die XVIII martii 1568, anno 3°.

219

Supernae dispositionis arbitrio

Sec. Brev. 9 fol. 156v-158r die 23 aprilis 1568

PRO CONSTRUENDIS DOMIBUS LICENTIA EPISCOPI NON NECESSARIA

Propagatio fidei praesertim apud exteras nationes et salus animarum inter maximas sollicitudines Summi Pontificis est. Magna cum laetitia Pius V, qui olim professus erat Ordinis Fratrum Praedicatorum, de operibus eiusdem Ordinis pro propagatione fidei usque ad fines terrae et ampliatione Ordinis notitiam accepit. Per litteras apostolicas voluit, licentias pro construendis domibus religiosis gratis per episcopos dari debere. Si autem sodales Ordinis domos erexerunt, petita primo licet non obtenta a locorum Ordinariis licentia, liberi in domibus sic aedificatis habitare et christifidelibus praedicare possunt. Sodales Ordinis a quibusvis poenis ecclesiasticis, si quibus innodati sunt, absolvit. Districte omnibus personis tam ecclesiasticis quam saecularibus, sub excommunicationis poena, prohibet, ne deinceps fratres Ordinis Praedicatorum molestare praesumant.

Pius V

Dilectis filiis prioribus, provincialibus, vicariis seu curam pro tempore habentibus provinciarum et congregationum Ordinis Praedicatorum maris Oceani Indiarum tam occidentalium quam orientalium.

Dilecti filii salutem etc. Supernae dispositionis arbitrio gregi dominico presidentes inter alias animi sollicitudines, quae ex pastoralis officii ministerio nobis incumbunt, illius nobis potissimum amplectendam esse putavimus per te quam undique salus proveniat animarum, divinus cultus suscipiat incrementum, Sanctaque Ecclesia Romana

presertim apud exteras nationes orthodoxaeque fidei ignaras propagationem vesterque ordo, quem in minoribus constituti expresse fuimus professi et sincero semper fuimus prosequti affecto dilatationem et cum sicut ex multorum relatione et praesertim referente dilecto filio fratre Vincentio Iustiniano vestri ordinis magistro generali cum animi nostri laetitia accepimus vos bene satisque et feliciter solertique et pia diligentia in unica domini continuo serere rectaque fidei catholicae et sancta semina spargere Ecclesiae propagationem et vestri ordinis ampliationem curare non cesseris cum Deo nihil charius nihilque praetiosius offerri possit quam christifidelium coetum augere Ecclesiamque catholicam et cultum divinum usque ad fines terrae propagare, nos qui dudum per nostras sub plumbo expeditas litteras voluimus licentias pro conservandis domibus regularibus gratis omnino per ordinarios dari debere et non nisi legitima subsistente causa superioribus explicanda illas recusari posse attendentes quam difficile et laboriosum foret ex trasmarinis et tam remotis partibus nos te seu superiores consulere, de vestris integritate, religione et sinceritate plurimum confidentes sperantesque, quam vestro ministerio opera et industria divina disponente clementia in his partibus non parum susceptura sit Christiana religio incrementum, vosque plurimum hortantes ut quod bonum opus coepistis virtute perseverante facti animo catholicam doctrinam inter gentes distribuentes prosequamini ut studiosius et audentius vos exhibere valeatis volentes de opportuno remedio providere et vobis quod possumus adiutorium prestare dictas nostras litteras in hac parte in Indiarum locis tam ex speciali dono declarantes, vosque a quibusvis excomunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodati estis harum serie ad effectum presentium absolventes et absolventes fore censentes motu proprio et ex certa nostra scientia et de apostolicae potestatis plenitudine vobis et vestris in provinciis quibus nunc praeestis dictarum partium Indiarum et tam charissimis in Christo filiis nostris Catholico Hispaniarum quam insitanorum respective Regibus subiectis successoribus provincialibus necnon congregationum vicariis sive curam, regimen et administrationem provinciarum huiusmodi obtinentibus pro tempore existentibus pro christifidelium commoditate et faciliori instructione in quibuscumque civitatibus, oppidis sive locis ubi quotiens et quando vobis expediens visum fuerit et tam intra, quam extra menia illorum novas domos, conventus, ecclesias et coenobia dicti vestri ordinis erigere non tenere et edificare et construi erigi et edificari facere ad Dei optimi maximi beatique dominici vestri ordinis fundatoris laudem et gloriam, petita prius et reverenter requisita licet

non obtenta a locorum ordinariis licentia libere et licite et postquam constructa, erecta et edificata sive construi, erigi et edificari coepta fuerint inibi stare, habitare et commorari et secundum vestri ordinis instituta famulatum Deo exhibere in illisque verbum Dei christifidelibus praedicare, confessiones audire, ac omnibus et singulis aliis privilegiis, gratiis, praerogativis, immunitatibus et exemptionibus quibus aliae domus et conventus vestri ordinis coetum possint et gaudent uti, potiri et gaudere libere et licite possitis et valeatis licentiam, auctoritatem et facultatem concedimus et impartimur districtius inhibentes quibuscumque locorum ordinariis et omnibus et singulis aliis personis tam ecclesiasticis quam secularibus quacumque auctoritate, honore sive dignitate fungentibus, ne deinceps vos aut successores vestros in dictis provinciis contra presentium tenorem sub excommunicationis latae sententiae et indignationis nostrae penis videant sive praesumant molestare, perturbare sive inquietare aut contravenire. Quocirca dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori committimus et mandamus in premissis vobis efficacis defensionis auxilio assistens faciat auctoritate nostra presentes nostras litteras et in illis contenta firmiter observari et vobis illis libere uti, frui et gaudere non permittens vos aut vestrum quemlibet a quoquam desuper contra praesentium tenorem molestari contradictores quoslibet auctoritate nostra appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis non obstantibus praemissis ac aliis apostolicis necnon provincialibus et synodalibus ac generalibus conciliis editis specialibus et generalibus, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, ac Bonifacii papae VIII de non extrahendis extra suam civitatem vel diocesim personis nisi in certis casibus et concilii generalis de duabus dietis dummodo non ultro tres dietas privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis dictis vel quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus et formis et cum quibusvis aliis fortissimis clausulis et irritantibus decretis in genere vel in specie concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis et specifica mentio habenda foret pro sufficienter expressis habentes hac vice illis alias in suo robore permansuris latissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 23 aprilis 1568, anno tertio.

220

Ex universali pastoralis officii

Sec. Brev. 10 f. 411rv — die 9 maii 1568

CONFIRMATIO APOSTOLICA DONATIONIS EPISCOPALIS

Episcopus Antequerensis (*Oaxaca*) fratribus Ordinis Praedicatorum provinciae Sancti Iacobi domum in oppido *Çapotecas* concessit. Provincialis Papam supplicavit, ut concessioni robur apostolicae firmitatis adiiceret. Summus Pontifex supplicationibus inclinans omnes concessiones et donationes domorum, ecclesiarum, monasteriorum et collegiorum auctoritate apostolica confirmat et approbat et mandat, ut praesentes litterae solemniter publicentur.

Pius V

Ad perpetuam rei memoriam. Ex universali pastoralis officii nobis divinitus iniuncti debito ad ea libenter intendimus per quae concessiones et donationes in favorem religiosarum personarum presertim monasteriorum ordinum mendicantium factae suam stabilem ac solidam obtineant firmitatem. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii provincialis, priores et fratres Ordinis Praedicatorum provintiae Sancti Iacobi Indiarum maris Oceani, a venerabili fratre Bernardo [1] episcopo Antequeren. domus sive ecclesia in oppido Sancti Illefonsi de los Çapotecas, Antequeren. diocesis consistens, ipsis ordinis Praedicatorum fratribus concessa fuerit, propterea nobis humiliter supplicari fecerunt ut concessioni huiusmodi apostolicae firmitatis robur adiicere, aliasque in premissis opportune providere de

[1] Bernardus de Albuquerque, OP, ab anno 1561 episcopus Antequerensis (*Oaxaca*).

benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem provincialem, priores et fratres a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet inodati existunt ad effectum praesentium duntaxat consequentes harum serie absolventes etiam absolutos fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati, donationem et concessionem domus sive ecclesiae in oppido Sancti Illefonsi huiusmodi consistentis per dictum Bernardum episcopum ut praefertur factam necnon alias quascumque donationes et concessiones domorum, ecclesiarum, monasteriorum, collegiorum aut alias nuncupatorum eisdem provinciali et fratribus quomodolibet per quoscumque loci ordinarios illarum partium et alios ad quos ipsarum domorum, ecclesiarum, monasteriorum, collegiorum aut alias nuncupatorum donatio, distributio vel traditio de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet pertinet etiam factas et concessas auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, donationibusque et concessionibus huiusmodi perpetuae firmitatis robur adiicimus; ita quod provincialis et fratres predicti illis spoliari vel privari per quascunque personas quavis auctoritate fungentes et functuras minime possint, sicque per quoscunque iudices et commissarios sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et difiniri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Quocirca dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori et venerabilis fratris episcopi Antequeren. pro tempore existentis, officiali seu vicario in spiritualibus generali per presentes committimus et mandamus quatinus ipsi vel alter eorum per se vel alium seu alios, ubi et quando opus fuerit, praesentes nostras literas solenniter publicantes efficacisque defensionis praesidio dictis provinciali et fratribus assistentes faciant easdem presentes literas et in eis contenta quaecumque ab omnibus ad quos spectat et in futurum spectabit inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet et rebelles per poenas etiam peccuniarias ac demum per sententias et censuras ecclesiasticas aliaque opportuna iuris remedia appellatione postposita conpescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii papae VIII predecessoris nostri de una et concilii generalis de duabus non tamen tribus dietis et quibusvis aliis apostolicis ac provincialibus et sinodalibus constitutionibus et ordinationibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus. Quibus omnibus eorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur, pre-

sentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 9 maii 1568, anno 3°.

221

Ex universali pastoralis officii

Sec. Brev. 10 fol. 414r die 9 maii 1568

CONFIRMATIO APOSTOLICA
QUARUMCUMQUE DONATIONUM

Fratribus Ordinis Praedicatorum provinciae Sancti Vincentii Civitatis Regalis (*Chiapas*) a nonnullis personis donationes et concessiones factae sunt. Summus Pontifex precibus provincialis inclinans omnes concessiones domorum, ecclesiarum etc. auctoritate apostolica confirmat et approbat.

Pius V

Ad perpetuam rei memoriam. Ex universali pastoralis officii nobis divinitus iniuncti debito ad ea libenter intendimus per quae concessiones et donationes in favorem religiosarum personarum presertim monasteriorum ordinum mendicantium factae suam stabilem ac solidam obtineant firmitatem. Cum itaque sicut nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii provincialis, priores et fratres ordinis praedicatorum provinciae Sancti Vincentii Civitatis Regalis de Chiapa nuncupatae Indiarum maris Oceani, a nonnullis personis illarum partium quaedam donationes et concessiones factae fuerint, propterea nobis humiliter supplicari fecerunt ut concessionibus huiusmodi apostolicae firmitatis robur adijcere aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem provincialem, priores et fratres a quibusvis excommunicationis etc. censentes

huiusmodi supplicationibus inclinati, quascunque donationes et concessiones domorum, ecclesiarum, monasteriorum collegiorum aut alias nuncupatas eisdem provinciali et fratribus quomodolibet per quoscunque loci ordinarios illarum partium et alios ad quos ipsarum domorum, ecclesiarum, monasteriorum, collegiorum aut alias nuncupatas donatio, distributio vel traditio de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet pertinet factas et concessas auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus etc. ut in praecedenti usque ad finem, mutato solum nomine episcopi in clausula executorum ubi enim in praecedenti dicitur et venerabilis fratris episcopi Antequeren. pro tempore existenti officiali seu vicario in spiritualibus generali dicatur et venerabilis fratris episcopi Chiapen. pro tempore existenti officiali etc. Datum ut supra.

222

Cum oporteat nos

Arm. XLIV 12 fol. 166v-167v [1] — die 17 augusti 1568
Arm. XLIV 13 fol. 257r-258r
Hernáez I 104

EXHORTATIO AD FIDEM PROPAGANDAM

Gaudet Summus Pontifex de nominatione rectorum idoneorum in partibus Indiarum maris Oceani et eos hortatur, ut propagationi fidei intenti sint. Hac de causa enim illa orbis terrarum pars regibus Hispaniae concessa est, ut bonis exemplis eorum qui christianam doctrinam tradent infideles ad fidem christianam suscipiendam alliciantur. Ex propagatione fidei etiam regnum firmabitur.

---

[1] Exemplum huius bullae exstat: Sevilla, Archivo General de Indias, Patronato, legajo 3, ramo 7.

Pius V

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Cum oporteat nos pro officio pastorali quod nobis, licet indignis, commissum fuit, curam habere non solum eorum qui fidem christianam susceperunt, sed eorum etiam qui ad eam suscipiendam facile adduci possunt, veluti populorum Indiae, qui ad Hispaniae regnum nostris temporibus adiuncti fuerunt, magnopere in Domino laetamur, te uti Regem Catholicum sicut a foelicis recordationis praedecessoribus nostris optatum fuit, qui eam orbis terrarum partem maioribus tuis subigendam attribuerunt eosque populos illorum fidei commiserunt curasse, ut sacrum Evangelium in eis provinciis praedicaretur ac fides catholica propagaretur. Quod etsi eo studio atque ea sedulitate actum fuit, ut maiestas tua eo nomine magnopere in Domino collaudari potius debeat, quam hortationibus excitari, convenire tamen officio nostro duximus, postquam certiores facti fuimus de rectoribus admodum idoneis earum provinciarum regimini nuper destinatis, maiestatem tuam rogare, ut populos illos ditionis suae hac occasione oblata eis quam diligentissime commendare velit, ac praecipue mandare, ut propagationi sanctae fidei et animarum saluti intenti sint, quarum rerum causa ea orbis terrarum pars ab initio ipsis maioribus tuis concessa fuit, ut cum ex eorum laudabili regimine, qui illis praeerant, tum bonis exemplis eorum qui christianam illis doctrinam tradent iugum Christi suave et leve esse sentiant, neque ab illis ipsis opprimantur, qui eos tanquam teneras in vinea Domini plantas alere ac fovere et amorem in eis christianae religionis accendere atque augere debent et ea omnia caveantur quibus ipsi offendi et christiana religio detrimentum capere posset, qui autem nondum Christi fidem susceperunt ad eam suscipiendam charitate ac dexteritate adhibita alliciantur. Certum enim habeat maiestas tua, ex propagatione religionis suum quoque in illis partibus regnum, Deo propitio et favente, firmatum et auctum iri, et sibi talium in eos populos et religionem meritorum non solum in hac vita, sed in altera etiam praemium paratum fore. De his autem rebus mandavimus venerabili fratri archiepiscopo Rossanensi, ut cum tua ipse quoque maiestate loquatur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima septima augusti millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus nostri anno tertio.

223

Magnopere in Domino

Arm. XLIV 12 fol. 168rv; 13 fol. 259v-260v — die 18 augusti 1568
Sec. Brev. 21 fol. 412rv
Hernáez I 105

EXHORTATIO AD FIDEM PROPAGANDAM

Pius V

Dilecto filio nobili viro Francisco a Toledo proregi provinciae Peru in partibus Indiae.

Dilecte fili, nobilis vir salutem etc. Magnopere in Domino gavisi sumus ac Deo gratias egimus, cuius instinctu factum non dubitamus, ut charissimus in Christo filius noster Hispaniarum Rex Catholicus te ad regendam provinciam Peru destinaverit adeo praeclara de tua virtute et in catholicam religionem studio testimonia habuimus. Non solum enim fideliter, ac sedulo executurum te esse confidimus quaecunque a tam pio Rege mandata habueris, sed facturum praeterea tua sponte, quicquid praesens ipse expedire cognoveris, ad fidem orthodoxam in illis partibus propagandam, et quam plurimas animas Christo lucrandas. Ut vero et qui adhuc infirmi sunt in fide confirmentur, et qui idolorum cultores Christi fidem suscipiant, necesse esse pro tua prudentia intelligis illos ita regi, atque tractari ut ipsi quidem divinae erga se misericordiae beneficium in dies magis agnoscant, infideles autem atque idolatrae eorum exemplo atque imitatione ad veritatem agnoscendam invitentur. Illud quoque quantum fieri potest providendum est, ne eorum qui ex his Occidentis partibus in eas provincias commigrarunt, pravis moribus offendantur. Quibus in rebus exequendis et curandis Nobilitas Tua etiam tacentibus nobis intelligi, quan-

tam habitura sit facultatem inserviendi Dei Omnipotentis honori simul et Regis gloriae sibi autem ingentis ab hominibus laudis comparandae nec minoris a Deo gratiae ineundae. Nostram autem paternam benedictionem tibi impertientes, venerabili fratri archiepiscopo Rossanen. nostro mandato tibi pluribus verbis desiderium nostrum expositiuro, fidem ut habeas abs te petimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die XVIII augusti 1568, anno 3°.

224

Magnopere gavisi sumus

Arm. XLIV 12 fol. 168v; 13 fol. 260v-261r — die 18 augusti 1568
Sec. Brev. 21 fol. 412v
J.G. Shea, The Catholique Church in colonial days (New York 1886) 145-146 (lingua anglica)

EXHORTATIO AD FIDEM PROPAGANDAM

Pius V

Dilecto filio nobili viro Petro Menendez provinciae Floridae proregi in partibus Indiae.

Dilecte fili, nobilis vir salutem etc. Magnopere gavisi sumus te a charissimo in Christo filio nostro Hispaniarum Rege Catholico ad regendam Novam Hispaniam in partibus Indiae destinatum fuisse. Adeo enim praeclara de te testimonia habuimus, ut non solum te fideliter, ac sedulo etc. usque fidem suscipiant, necesse esse pro tua prudentia intelligis, et illos ita regi atque tractari, etc. usque in finem, ut supra.

Scriptum fuit eodem exemplo Martino Enriquez Novae Hispaniae proregi in partibus Indiae.

225

Cogit nos munus

Arm. XLIV 13 fol. 261r-262r; 12 fol. 168v-169r — die 18 augusti 1568
Hernáez I 106

EXHORTATIO AD FIDEM PROPAGANDAM

Pius V

Dilectis filiis nobilibus viris Consilio regio Indiae.

Dilecti filii nobiles viri salutem et Apostolicam benedictionem. Cogit nos munus quod licet indignis nobis a Deo commissum fuit cura omnium salutis habere, qui in grege Dominico numerantur, nec minus de eorum salute esse sollicitos, qui longissime absunt, quam de eorum qui prope sunt cum omnes unum in Christo corpus sint et pro omnibus Christus sit mortuus. Qua in re quo magis officio nostro satisfacere cupimus eo libentius audivimus charissimum in Christo filium nostrum Regem Catholicum lectissimos quosdam et probatissimos viros ad regendas Indiae ditionis suae provincias destinasse. Itaque praeterire non potuimus quin vos in Domino hortaremur ut sicut adhuc pie ac fideliter admodum fecistis, perseverare velitis in admonendo ipso Rege de omnibus rebus quas pertinere pro vestra prudentia intelligetis ad confirmandos illarum partium homines in fide Catholica, quam susceperunt, et idolorum cultores ad veram et salutarem Christi Religionem suscipiendam alliciendos, religione enim Christiana in illis orbis terrae partibus constituta ac propagata simul Regis quoque regnum, Deo favente, firmabitur ac propagabitur. Ut populi autem illi fidem christianam a se susceptam fuisse laetentur, oportet eos charitate et clementia adhibita regi, et si quibus gravioribus oneribus adhuc gravantur, ita levari ut sicut Christi iugum suave et leve

est, ita Regis quoque Christiani imperium clemens esse sentiant, quae mansuetudo reliquos quoque ad suscipiendam fidem catholicam incitabit. Mandato autem nostro venerabilis quoque frater archiepiscopus Rossanensis vobiscum pluribus aget.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima octava augusti millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus nostri anno tertio.

226

Quantoquidem Domino placuit

Arm. XLIV 13 fol. 258r-259v
Sec. Brev. 21 fol. 411rv
Hernáez I 105

die 18 augusti 1568

EXHORTATIO AD FIDEM PROPAGANDAM

Pius V

Dilecto filio nostro Didaco cardinali Spinosae nuncupato.

Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Quantoquidem Domino placuit, ut te in partem curarum et solicitudinis nostrae vocaremus communicandum tecum duximus de re ad commissum nobis, licet indignis, munus et propterea ad tuum quoque vel maxime pertinent. Quid enim aeque ad officium nostrum pertinet ac curare ut Orthodoxa religio quam latissime divini honoris et salutis animarum causa propagetur, ut qui eam quidem iam susceperunt, confirmentur, qui vero adhuc idolorum sunt cultui dediti, relictis errorum tenebris, lucem veritatis aspiciant. Cuius quidem quo maiore desiderio tenemur, eo libentius audivimus charissimum in Christo fi-

lium nostrum Regem Hispaniarum Catholicum lectissimos quosdam et probatissimos viros ad regendas Indiae ditionis suae provincias destinasse. Qua in re plane declaravit dignam Rege vere Catholico voluntatem etsi autem Regem tanta pietate et clementia praeditum non egere hortatione nostra scimus quippe quem audimus sua ipsum sponte et pro ingenita sibi clementia multos illos populos oneribus sublevasse, quibus antea vexari et opprimi miserandum in modum consueverant, tamen volumus ut eum post laudem debitam nostris verbis hoc nomine tributam, dexteritate, qua decet, horteris ad perseverandum in tam sancto proposito suo propagandae religionis Orthodoxae. Quae quidem ut propagetur maiestas eius pro sua sapientia intelligit oportere, si qua onera restant, quae tollenda sint tolli, eosque populos ita tractari ut gaudere in dies magis debeant relictum a se idolorum cultum et Christi iugum suave et leve susceptum fuisse. Illud quoque quantum fieri potest, curandum esse, ut christianorum qui ex hic occidentis partibus profecti in illas provincias commigrarunt, vita et mores illos populos aedificent. Ita enim et ipsi in fide catholica confirmabuntur, et bonis eorum exemplis caeteri ad agnoscendam veritatem allicientur. Quibus de rebus maiestatem suam nostris verbis hortaberis ut pia mandata sua renovare dignetur. Quae quanto magis in hanc curam incumbet, tanto magis non solum divini honoris cultum, sed suum quoque regnum, Deo favente, stabiliet atque etiam propagabit. Mandato autem nostro venerabilis frater archiepiscopus Rossanensis desiderium hoc nostrum pluribus exponet, cuius orationi fidem habebis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima octava augusti millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus nostri anno tertio.

227

Oblatae nobis nuper

Sec. Brev. 25 fol. 60rv die 26 septembris 1568
Sec. Brev. 26 fol. 56r-57v



DISPENSATIO IN SECUNDO MULTIPLICI GRADU CONSANGUINITATIS

Indi olim inter se fratres et sorores germani invicem matrimonialiter copulari consueverant. Philippus Ingas et Beatrix etiam Ingas in secundo multiplici gradu consanguinitatis coniuncti sunt et matrimonium inire cupiunt. Pater et mater Beatricis religionem catholicam amplexi sunt. Pater et mater Philippi autem in infidelitate persistunt et cum ceteris infidelibus in provincia Perri dioecesis de *Cuzco* christianos maximis damnis afficiunt. Per matrimonium inter Beatricem et Philippum bellis et incommodis finis imponi potest et ducenta millia hominum et forsan ultra sacrum baptismatis lavacrum suscipient. Summus Pontifex ideoque specialibus favoribus et gratiis Beatricem et Philippum prosequitur et dispensationem in secundo multiplici gradu consanguinitatis de contrahendo matrimonio in forma gratiosa concedit.

Pius V

Dilecto filio nobili puero Philippo Ingas et dilectae in Christo filiae nobili puellae Beatrici etiam Ingas naturalibus de Perri diocesis de Cuzco.

Dilecti filii salutem etc. Oblatae nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat, quod olim homines in Indiis maris Oceani de Perri gentili aut alio non tamen christiano more viventes et precipue illorum reges, quos Ingas vocant inter se fratres et sorores germani invicem matrimonialiter copulari consueverant et propterea vos qui duplici seu quadruplici 2° et forsan 3°, ac aliis etiam forsan duplicatis et triplicatis consanguinitatis et etiam forsan affinitatis gradibus, non tamen primo gradu inter vos invicem coniuncti estis, seu attinetis matrimonialiter copulari desideratis; nam debellatis ipsis Indiis et sub ditione charissimi in Christo filii nostri Hispaniarum Regis Catholici pro maiori parte redactis, illarumque incolis ad sanctam fidem catholicam et maximum numerum Deo cooperante conversis, pater et mater tui in Christo filia Beatrix infidelitate demum deposita, sacrosanctam Domini nostri Iesu Christi religionem amplexi fuerunt; pater vero et mater tui fili Philippe in eadem infidelitate persistentes, ac dicti Regis catholici ditionis rebelles hactenus fuerunt, magna infidelium illarum partium eorum infidelitatem sectantium comitante caterva in quadam provincia de Perri nuncupata christianos assidue maximis damnis et inquietationibus affecerunt, tandem ut bellis et incommodis huiusmodi per alicuius affinitatis inter vos contrahendae nexum finis

aliquando imponi possit inter christianos ex una et tui fili Philippe patrem et matrem aliosque infideles eorum partes sequentes ex alia parte conventum fuit, quod vos qui in nono vel circa vestrae aetatis anno constituti estis, matrimonium inter vos contrahatis, quo facto tui fili Philippe pater et mater omnesque eorum partes huiusmodi sequentes, qui ducenta millia hominum et forsan ultra existunt Sacrum Baptismatis lavacrum suscipient, catholicamque fidem omnino profitebuntur et inter caetera etiam pro maiori praemissorum observatione concordatum existit, quod tu fili Philippe in manibus ipsorum christianorum ad effectum ut te baptizari faceres et sanctam fidem catholicam edocearis consignari deberes, prout postmodum baptizatus fuisti. Cum autem hoc ad maximam Dei laudem populi praefati animarum salutem et christianae religionis augmentum, pacemque et tranquillitatem eiusdem provinciae maiorem in modum tendere dignoscatur, propterea nobis humiliter supplicari fecistis ut vobis in praemissis de opportunae dispensationis beneficio, aliasque paterne providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur praemissis de causis vos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes huiusmodi supplicationibus inclinati, intuitu quoque charissimi in Christo filii nostri Philippi dictarum Hispaniarum Regis Catholici vobiscum ut duplici seu quadruplici et aliis consanguinitatis et affinitatis gradibus huiusmodi et quibuscumque aliis non obstantibus matrimonium inter vos contrahere, illudque in facie Sanctae Matris Ecclesiae solemnizare, ac carnali copula consumare et in eo quoad vixeritis remanere libere et licite possitis et valeatis, dummodo tu in Christo filia Beatrix ob hoc ab aliquo rapta non fueris auctoritate apostolica tenore presentium misericorditer dispensamus, prolemque exinde suscipiendam legitimam fore et esse, vosque desuper per quosvis molestari vel alias quomodolibet inquietari non posse, sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpraetandi facultate iudicari et diffiniri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus et declaramus. Non obstantibus praemissis ac quibusvis apostolicis constitutionibus et ordinationibus, statutisque et consuetudinibus locorum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 26 septembris 1568, anno 3°.

228

Exponi nobis nuper

Sec. Brev. 22 fol. 275v-277r die 15 iunii 1569
Sec. Brev. 23 fol. 273v-274v

CONTRA EPISCOPUM DE *GUATEMALA* CONCUBINUM ET SIMONIACUM PROCESSUS INSTITUITUR

Philippus Hispaniarum rex exposuit, quod episcopus Bernardinus de Villalpando de *Guatemala* mulierem concubinam in domo sua retinet, beneficia ecclesiastica modo simoniaco confert, presbyteros probos et religiosos Ordinum Fratrum Sancti Dominici et Sancti Francisci de praedicatione verbi Dei benemeritos ex diversis oppidis expulit et clericos saeculares incapaces pecunia ab ipsis recepta in eorum locum substituit ac alia crimina commisit. Summus Pontifex archiepiscopo Mexicano mandat, ut de praemissis diligenter se informet et processum faciat ac quantocius Romam transmittat.

Pius V

Ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, qui etiam Indiarum maris Oceani Rex existit, quod venerabilis frater Bernardinus de Villalpando [1] episcopus Goatinalen. suae salutis et honoris penitus immemor, Deique timore postposito a nonnullis annis citra quamdam mulierem concubinam suam in eius domo penes se retentam cuidam suo familiari in uxorem dedit et ut illa commodius frue-

[1] Bernardinus de Villalpando, Ordinis can. reg. Sancti Augustini, die 27 iunii 1561 nominatus est episcopus Cubensis, die 28 aprilis 1564 translatus est ad Ecclesiam Guatemalensem; mortuus est mense augusti 1569.

retur dicto suo familiari ab eius domo expulsò eamdem concubinam etiam apud se retinere non erubuit et etiam desuper legitime monitus fuit a premissis tamen se abstinere noluit, etiam nonnulla beneficia ecclesiastica in civitate seu diocesi Goatinalenus consistentia quibusdam personis simoniaca pravitate interveniente et pecunia per eum ab eisdem personis recepta conferre, ac etiam nonnullos presbiteros probos et idoneos ad inserviendum beneficiis curatis necnon fratres Sancti Dominici et Sancti Francisci regularis observantiae ordinum verbi Dei praedicatores in diversis oppidis et locis dictae diocesis ad verbum Dei praedicandum et Indos noviter ad ipsam fidem conversos in eadem fide instruendum deputatos, ac maximos in dies fructus in agro Domini reportantes absque ulla legitima causa inde expellere, nimiaque avaritia ductus quosdam clericos seculares idiotas et incapaces pecunia etiam per eum ab ipsis clericis propterea recepta in locum eorumdem fratrum etiam simoniaca pravitate interveniente deputare, ac nonnulla alia crimina, excessus et delicta in non modicum eius animae periculum ac multorum scandalum perpetrare hactenus non erubuit, neque erubescit. Quare idem Philippus Rex nobis humiliter supplicari fecit quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de praemissis certam notitiam non habentes et alia conniventibus oculis pertransire nolentes, ac venerabili fratri Alphonso archiepiscopo Mexicano cuius idem Bernardinus episcopus suffraganeus existit, plenam in Domino fiduciam obtinentes huiusmodi supplicationibus inclinati eidem Alfonso archiepiscopo per presentes committimus et mandamus quatenus de praemissis se diligenter informet, omnesque et singulas diligentias et informationes desuper necessarias capiat et super praemissis processum formet et faciat, illumque postmodum ad nos et sedem predictam suo sub sigillo fideliter quantocitius fieri poterit transmittat ut nos omnibus diligenter inspectis quid iustitiae suadeat deliberare possimus; nos enim predicto Alphonso archiepiscopo omnes et singulas diligentias et informationes desuper necessarias ac processus huiusmodi faciendi et formandi, ac quoscumque testes de praemissis examinandos interrogandi et examinandi eosque per omnia opportuna iuris et facti remedia ad perhibendum veritati testimonium cogendi et compellendi, ac brachii secularis auxilium ad hoc si opus fuerit invocandi, caeteraque in praemissis et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, auctoritate apostolica per presentes plenam et liberam licentiam et facultatem concedimus. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac litteris, privilegiis, indultis, libertatibus et exemptionibus apostolicis eidem Bernardino episcopo et quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam motu

proprio ac alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus illorum tenores praesentibus pro expressis habentes hac vice specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 15 iunii 1569 anno quarto.

229

Etsi fraternitatem tuam

Arm. XLIV 14 fol. 146v-148r; 17 fol. 248r-249r — die 6 iulii 1569
Bull. Patr. I 220
Hernáez I 106-107

ADHORTATIO APOSTOLICA

Quamvis id necessarium non habeat, Pontifex episcopum Sancti Salvatoris in provincia Brasiliae admonet atque hortatur, ut muneris sui officia magna cum cura adimplere studeat, maxime quidem erga neophytos, quos *a ferino victu atque cultu ad mitiores mores civilemque vitae rationem revocare* contendat necnon ab infidelitatis tenebris ad veritatis lucem traducere nitatur.

Pius V

Venerabili fratri Petro [1] episcopo Sancti Salvatoris in provincia Brasilia.

Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Etsi fraternitatem tuam in gubernando grege fidei tuae commisso, eam adhibere prudentiam ac vigilantiam existimamus, ut, ad explendas officii sui partes, hortationibus admonitionibusque nostris non indigeat: tamen quia et Ecclesiarum omnium curam et sollicitudinem nostram ab Omnipotenti Deo commissam gerimus, et eos etiam qui in perfec-

[1] De Petro Leitão cfr. supra doc. 206.

tae virtutis studio currunt, paternis nostris vocibus adiuvari posse credimus; idcirco te, quem tanto marium terrarumque spatio disiunctum, christianae charitatis vinculum et pastoralis officii societas nobiscum coniungit, paterno primum debitae salutationis officio prosequentes, studiose in Domino hortamur, ut Neophytorum, qui recenter ad fidem nostram catholicam, eorum caecitatis miserente Domino, conversi sunt, paternam curam gerere velis; sic ut eos, et boni prudentisque rectoris officio gubernatos, et fidelis sapientisque doctoris disciplina institutos, ad coelestem patriam perducere possis. Illud quoque te curare volumus, ut, quantum in te est, gentem istam, et praecipue eos, qui in fidem christianam adiuvante Domino, recepti sunt, a ferino victu atque cultu ad mitiores mores civilemque vitae rationem revocare contendas, eique persuadere studeas, ut relicta ea, cui assueti esse dicuntur, corporis turpi nuditate, convenientem christiano pudori, civilique cultui vestitutum assumant. Quod, ut obtinere possis, nullum praetermittes eorum officiorum, quae vel apud istius provinciae rectorem, vel apud alios quoscumque opus fuerit utilia fore iudicaveris. Et quoniam te Deus Omnipotens in illis regionibus animarum Pastorem constituit, unde multum afferre fructum possis, ideo divini in hoc beneficii gratiam recognoscens, in munere tibi commisso diligenter vigila, terrenisque negotiis relictis, uni congregandarum in aeterna ovilia animarum coelesti negotio incumbe. Sit in lingua tua sermo, qui quasi gladius acutus vel durissimos gentis istius ad religionem christianam animos perrumpere possit: sit charitatis ardor in animo, ut in eorum numero esse merearis, super quos igneas consedisse linguas legimus: vere enim supra nos igneae resident linguae, cum aut in fratribus nostris ab infidelitatis tenebris ad veritatis lucem traducendis, aut his, qui traducti iam sunt, magis magisque in dies instruendis et in fide catholica retinendis laborantes, divini spiritus ardore incendimur. Creditum tibi Dominicum agrum, dum licet, fortiter exercere: semen tuum, dum tempus est, semina, certo sciens te eorum quae seminaveris fructum, tempore suo esse percepturum: ut cum operae tuae beneficio pestiferae caecitatis caligine depulsa, vera isthic fides serenitatis suae radios aperuerit, illud te ante Redemptoris nostri oculos coeleste praemium expectet, quod omnibus bonis, fidelibusque Pastoribus in coelo repositum esse scimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die sexta Julii millesimo quingentesimo sexagesimo nono, pontificatus nostri anno quarto.

230

Qui terrenis regnis

Arm. XLIV 14 fol. 145r-146v; 17 fol. 247rv — die 6 iulii 1569
Bull. Patr. I 221
Hernáez I 107
BM II 1293

EXHORTATIO APOSTOLICA

Summus Pontifex scribit viceregi Brasiliae super conversione illarum gentium ad fidem christianam, exhortans eum ad populos illos a ferino victu ad mansuetiores mores traducendos et ad procurandum ut relicta corporis nuditate decentem victum vestitumque assumant.

Pius V

Dilecto filio nobili viro Ferdinando de Vasconcello provinciae Brasilis in partibus Indiarum pro Rege Portugalliae gubernatori.

Dilecte fili nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Qui terrenis regnis gubernandis aut provinciis regendis praepositi sunt, tanto propensiores esse debent ad bene de omnipotentis Dei cultu religioneque Christiana merendum, quanto maiorem piae coeteris hominibus hoc faciendi facultatem a Deo acceperunt, ut bonorum operum fructu non solum eorum quibus serviunt Principum gratiam promereri, sed coelestis etiam Regni praemium accipere possint. Hac bene de fide Catholica merendi voluntatem quamvis nobilitati tuae, Deo adiuvante, minime deesse arbitremur ac propterea te sponte tua ad omnia quae iuvandae religioni utilia sunt exequenda paratum esse putemus, tamen quia paternae vocis hortatio bonis mentibus semper aliquid adiicere solet omnes eos, qui nuper isthic ad Christi fidem conversi sunt et cuncta quae ad fidem Christianam sive propagandam, sive retinendam, in ista, cui praees, provincia pertinent tibi universe eo, quo maiore possumus, animi nostri studio diligenter agenda commendamus hortantes nobilitatem tuam ut quotiescunque opportunum iuvandae religionis tempus adfuerit id quod pro Dei laude animarumque

salute in istis locis exequendum erit, exequi ne differat. Illud autem in primis efficere stude ut homines istius provinciae, ac praecipue illi qui abdicato a se coecitatis errore, Christianam veritatem, Deo miserante, cognoverunt ferinum vitae cultum deserentes ad mansuetiorem vivendi modum civilemque morum rationem, quantum fieri potest, per te traducantur utque relicta corporis hominibus christianis indecora nuditate convenientem pudori Christiano victum vestitumque assumant, in quo non solum si quid huius rei causa agendum fuerit ne id praetermittere velis, hortamur, sed etiam ut venerabili fratri nostro istius provinciae episcopo auxilium tuum impertias ad hoc et coetera omnia exequenda quae officio suo isthic exercendo utilia fore iudicaverit vehementer rogamus ut et ipse in his rebus quas pro animarum salute agendas susceperit paratum sibi esse auxilium tuum re ipsa intelligat et tu boni operis fructum eternae vitae praemium a Redemptore nostro merearis accipere. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die sexta iulii millesimo quingentesimo sexagesimo nono, pontificatus nostri anno quarto.

231

Exigit incumbentis

A.A.Arm. I-XVIII 1822
Bull. Patr. I 219
BM II 1289

die 4 augusti 1569

FACULTATES PRO EPISCOPIS INDIARUM ORIENTALIUM ET BRASILIAE

Summus Pontifex, quia non ubique pro salute animarum intervenire potest, partes sui officii coepiscopis suis tribuit. Episcopi Indiarum Orientalium, Brasiliae et de *Cabo Verde* de insufficientia facultatum iam concessarum conquesti sunt, quia adhuc multi fideles in peccatis et censuris ligati decedunt. Summus Pontifex cum neophytis illarum terrarum qui *adhuc iugum Domini plene sufferre non didicerunt* mitius agere volens, episcopis ampliores facultates concedit, quas etiam subdelegare possunt, ita ut ab omnibus peccatis, criminibus, censuris etc. etiam illis Sedi Apostolicae reservatis, absolvere possint, praeterquam a crimine conspirationis in personam Pontificis aut Cardinalium,

falsificationis litterarum apostolicarum et homicidii voluntarii. Quae facultates etiam relate ad personas ecclesiasticas extenduntur, sed episcopi, ut parce eis utentur, monentur.

Pius V

Ad futuram rei memoriam. Exigit incumbentis nobis Apostolicae servitutis officium ut cum nos ipsi ubique interesse nequeamus ut exinde fidelium quorumlibet optata facilius possit provenire salus, officii nostri partes venerabilibus fratribus coepiscopis salubriter demandemus aliusque desuper disponamus prout locorum et temporum ac personarum qualitate pensata conspicimus in Domino salubriter. Exponi sane nobis nuper fecerunt venerabiles fratres nostri archiepiscopi Goan. necnon Cochinen. et Malachan. ac Sancti Salvatoris de Brasil et de Capo Viridi episcopi, quod licet nos, et nonnulli alii Romani Pontifices predecessores nostri diversas licentias, facultates et indulta ipsis et eorum singulis concesserimus pro populis eorum curae commissis, qui a Romana curia adeo distant, ut ad illam non sine maximis difficultatibus et periculo accedere possint commodiori gubernio, nihilominus quia nondum satis eorum necessitatibus est consultum, ne ex eo, quia dilecti filii christifideles illarum partium maxime ad fidem Christi noviter conversi, propter itineris a dicta curia longitudinem periculosamque navigationem, aut illorum paupertatem ad nos et sedem Apostolicam nequeunt venire, contingat illos oportunis remediis et dictae sedis benignitate destitutos in peccatis, censurisque ligatos decedere. Nos tam praemissis de causis quam etiam attendentes sedem predictam cum eis, qui adhuc neophiti existunt, et adhuc iugum Domini plene sufferre non didicerunt, mitius agere convenisse. Cupientesque propterea ipsorum commoditatibus quantum in nobi est consulere, eosdem archiepiscopum et episcopos ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis etc. censentes. Necnon facultatum, indultorum et licentiarum praedictorum tenores praesentibus pro expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati eisdem archiepiscopo et episcopis, de quibus in his et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, omnibusque et singulis modernis et pro tempore existentibus Administratoribus in partibus illis ordinariam et quasi episcopalem iurisdictionem habentibus, et per se vel alium seu alios quos pro tempore duxerint deputandos quoscunque utriusque sexus christifideles eas partes inhabitantes et incolentes cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis sint ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis quantumvis gravibus et enor-

mibus etiam Sedi praedictae reservatis in Bulla Coena Domini contentis praeterquam conspirationis in nostram et Romani Pontificis pro tempore existentis, aut alicuius ex sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus personam, iniectionis manuum violentarum in episcopos aut praelatos maiores, praesbytericidii ac falsificationis litterarum Apostolicarum de quibus corde contriti et ore confessi fuerunt, iniuncta eis pro modo culpae paenitentia salutari, necnon excommunicationis, suspensionis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, etiam de quibus Sedes ipsa foret consulenda, in quas pro tempore inciderint quoties illis expedire videbitur, Apostolica auctoritate in foro conscientiae absolvere, necnon cum eisdem christifidelibus super irregularitate per eos quomodolibet et ex quavis causa, praeterquam homicidii voluntarii tamen causa pro tempore contracta. Quodque illa et praemissis non obstantibus ad omnes etiam sacros et praesbyteratus ordines promoveri et in iam susceptis etiam in altaris ministerio ministrare, necnon beneficia quaecumque, quotcumque et qualiacumque, cum cura et sine cura se invicem compatientia, etiam si canonicatus et praebendae seu dignitates et personatus administrationes vel officia et dignitates ipsa in cathedralibus etiam metropolitanis post pontificales maiores seu collegiatas ecclesiasticas principales fuerint et ad illas consueverint qui per electionem assumi, eisque cura imineat animarum si illis alias canonice conferantur aut eligantur, presentantur aut assumantur ad illa ut instituantur in illis recipere et retinere libere et licite valeant omnemque infamiae notam sive maculam ab eis penitus abolere, eosque in pristinum statum restituere et plenarie reintegrare. Ac denique super omnibus et singulis casibus et negociis pro tempore contingentibus in quibus quoad ipsos christifideles iuris canonici positivi relaxatio seu super illo dispensatio illis necessaria et expediens videbitur, super quo eorum conscientias oneramus dispensare libere et licite possint et valeant ad decennium auctoritate Apostolica tenore presentium licentiam et facultatem concedimus et impartimur. Hortantes nihilominus eos et eorum singulos ut in casibus et negociis gravioribus hac posteriori facultatem parce utantur. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris 1569, pridie nonas augusti, pontificatus nostri anno quarto [1].

---

[1] Cfr. supra doc. 179 *In supereminenti* diei 28 ianuarii 1561.

232

Magnopere gavisi sumus

Shea 145-146 die 18 augusti 1569

EXHORTATIO AD FIDEM PROPAGANDAM

Dilecto filio nobili viro Petro Menendez provinciae Floridae proregi in partibus Indiae [1].

[1] Cfr. supra doc. 224. Auctor *Shea* hoc idem documentum hac die refert.

233

Cum sicut nuper

Sec. Brev. 13 fol. 6r-7r die 12 ianuarii 1570

SYNODI PROVINCIALES
SINGULIS QUINQUENNIIS CELEBRANDI

Iuxta decreta Concilii Tridentini singulo triennio synodi provinciales celebrandi sunt. Episcopi Indiarum maris Oceani Summo Pontifici exposuerunt quod propter magnam distantiam dioecesium maxima pars triennii in itinere consumaretur, excessivae expensae sustineri deberent et cura animarum notabile damnum pateretur. Ideoque Summus Pontifex triennium ad aliud biennium prorogat, ita ut synodi provinciales non singulo triennio sed singulis quinquenniis celebrari debeant.

Pius V

Ad futuram rei memoriam. Cum sicut nuper venerabiles fratres archiepiscopi et episcopi Indiarum maris Oceani, quarum charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus dominus existit, nobis exponi fecerunt, dicti episcopi iuxta decreta sacri Concilii Tridentini ad predictos archiepiscopos ipsorum episcoporum Metropolitanos singulo triennio pro celebratione synodorum provincialium accedere obligati existant; et propter magnam distantiam que ab Ecclesiis ipsorum episcoporum ad archiepiscoporum predictorum Ecclesias, ad quas pro celebratione synodorum huiusmodi accedere tenentur, consistit in eundo et redeundo maxima pars tempus triennii huiusmodi consumitur et in itinere quam plures et excessivas expensas facere et sustinere cogantur, necnon ex absentia dictorum episcoporum ab eorum Ecclesiis hominibus dictarum Indiarum, quos predicti episcopi in fide catholica instruere debent et tenentur, notabile et fere irreparabile damnum inferatur, ideo predicti archiepiscopi et episcopi, ut in instauratione predictorum in fide catholica continue et melius vacare valeant, nobis humiliter supplicari fecerunt quatinus praemissis de opportuno remedio de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur supplicationem huiusmodi iustam et piam esse considerantes, triennium predictum ad aliud biennium prorogamus, extendimus et ampliamus, predictosque nunc et pro tempore existentes perpetuo dictarum Indiarum episcopos ad dictos archiepiscopos nunc et pro tempore existentes pro predictorum synodorum celebratione non singulo triennio, sed singulis quinquenniis adire et accedere teneri volumus, sibique tenore presentium ex certa nostra scientia et de apostolice potestatis plenitudine concedimus et indulgemus. Non obstantibus praemissis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis per quoscunque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem Apostolicam quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus illorum tenores presentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris per presentes derogamus et derogatum esse decernimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 12 ianuarii 1570, anno V°.

234

Cunctorum mortalium

Reg. Vat. 2012 fol. 1r-2v, 235r-236r die 12 martii 1570

ERECTIO CONFRATERNITATIS IN CIVITATE MEXICANENSI

In civitate Mexicanensi domus monialium convertitarum existit sub regula sanctae Clarae. Didacus de San Roman, laicus, in eadem domo confraternitatem instituere intendit, cuius sodales curam monialium habeant. Precibus eius annuens Summus Pontifex confraternitatem apostolica auctoritate erigit et confratribus gubernium eiusdem domus in temporalibus committit.

Pius V

Pius Episcopus Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Cunctorum mortalium animas Deo lucri fieri satagentes, ad ea libenter considerationis nostrae aciem dirigimus, per que christifideles piis operibus vacare, suamque exinde valeant salutem promereri, ac fidelium ipsorum ad id tendentia vota grato admittimus favore, aliasque desuper disponimus, prout locorum, temporum et personarum qualitatibus pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire. Exhibita sane nobis nuper pro parte dilecti filii Didaci de San Roman civis Mexien. petitio continebat quod cum in civitate Mexien., quae in partibus Indiarum in regnis Hispaniarum consistentium existit, dante Domino una domus monialium convertitarum, alias de «Las Recogitas» nuncupata, Ordinis Fratrum Minorum sub regula Sanctae Clarae iam erecta existat, seu de proximo erigi speretur, in dictaque civitate maximus adsit quod non sine dolore referimus mulierum inhonestae vitae numerus, plurimumque intersit, aliquos ibi probos viros existere, qui dictarum mulierum conversioni et postquam conversae fuerint,

illarum gubernio et regimini specialiter et ex professo incumbant. Ac tam propterea quam ex summa, quem erga Deum optimum maximum gerit, devotionis affectu ductus, idem Didacus cupiat unam inibi utriusque sexus christifidelium confraternitatem sub invocatione Sanctae Luciae in dicta domo si iam erecta existat, ut prefertur, alias ex nunc prout ex tunc et e contra cum erecta fuerit aut illius ecclesia erigi et institui ad hoc ut illius confratres pro tempore existentes mulierum pro tempore conversarum specialem curam, regimen et gubernium habeant. Quare pro parte eiusdem Didaci asserentis se et plures alios ex eiusdem civitatis civibus multas eleemosinas ad premissa ipsius Didaci intercessione contribuere, intendere nobis fuit humiliter supplicatum, ut in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos qui honestis fidelium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunius eundem Didacum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum presentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati in ecclesia huiusmodi, si iam erecta existit, alias ex nunc prout ex tunc et e contra postquam erecta fuerit, unam utriusque sexus christifidelium confraternitatem sub invocatione predicta, apostolica auctoritate tenore presentium perpetuo erigimus et instituimus, illiusque sic erecte confratribus pro tempore existentibus eiusdem domus, dilectarumque in Christo filiarum illius monialium, ac quaruncunque mulierum, ut prefertur, conversarum curam, regimen et gubernium in temporalibus perpetuo committimus, illisque ut pro foelici regimine, gubernio et directione confraternitatis et domus huiusmodi, quoscumque officiales quomodolibet nuncupatos etiam qualificatos, prout sibi videbitur, modisque et formis benevisis constituere, ac quecunque capitula, statuta et ordinationes sacris canonibus non contraria condere, et condita prout temporum, locorum et personarum qualitas suadebit, mutare, alterare vel etiam in totum abrogare ac etiam illorum loco alia toties, quoties opus fuerit de novo condere, quae postquam condita, mutata, alterata, et in totum abrogata, ac etiam de novo condita, et per loci Ordinarium approbata fuerint, eo ipso dicta auctoritate confirmata sint, et esse censeantur, aliaque omnia et singula in premissis et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna facere et exercere libere et licite possint et valeant auctoritate et tenore predictis indulgemus decernentes sic in premissis ab omnibus censeri et ita per quoscunque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate, iudi-

cari debere. Irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quod cura et administratio dictarum mulierum in spiritualibus ad loci Ordinarium per ipsum vel alias personas ecclesiasticas ad id per eum deputandas exercenda perpetuo spectet et pertineat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, erectionis, institutionis, commissionis, indulti, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quarto idus Martii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

235

Exigit incumbentis

Reg. Vat. 2012 fol. 3rv, 240rv — die 12 martii 1570

APPROBATIO FUNDATIONIS MONASTERII MONIALIUM

Religionis cuiuslibet augmentum libenter procurans, Summus Pontifex benigne excipit petitionem ipsi ex civitate Mexicanensi oblatam ac domum Ordinis Fratrum Minorum sub regula sanctae Clarae ibi fundatam auctoritate apostolica perpetuo confirmat et approbat omnesque tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in scripturis supplet, supplicantibus ad hunc dumtaxat effectum a quibusvis censuris absolutis. Regimen et curam eiusdem domus et in illa existentium monialium in spiritualibus et temporalibus fratribus Ordinis Minorum de Observantia nuncupatorum committit et demandat; ipsis vero monialibus sub eius domus clausura decedentibus indulgentiam plenariam in mortis articulo elargitur, fidelibus autem ecclesiam dictae domus in festo sanctae Clarae pie visitantibus et preces pro Sancta Romana Ecclesia effundentibus indulgentiam partialem concedit.

Pius V

Pius Episcopus Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Exigit incumbentis nobis Apostolicae servitutis officium ut ad fidelium salutem sedulo prospicientes, non modo ea, que per christifideles ad hunc effectum comperimus approbationis nostre munimine roboremus verum fideles ipsos ad viam salutis per talia inquirendum, monasteria et alia pia loca spiritualibus muneribus decorando libenter invitamus, prout locorum et personarum qualitate pensata conspicimus in Domino salubriter expedire. Exhibita sane nobis nuper pro parte dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis Mexien. petitio continebat, quod ipsi nuper in civitate predicta, quae in partibus Indiarum in Regnis Hispaniarum consistentium existit, unam domum Ordinis Fratrum Minorum sub regula Sancte Clare accedentibus ad hoc etiam auctoritate et interventu venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Mexien. fundaverunt et instituerunt, prout in diversis scripturis publicis desuper forsan confectis plenius dicitur contineri, quodque ipsi desiderabant fundationem et institutionem huiusmodi Apostolica auctoritate approbari. Quare pro eorundem communitatis et hominum parte nobis fuit humiliter supplicatum, ut in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos, qui religionis cuiuslibet augmentum, quantum cum Deo possumus libenter procuramus, eosdem communitatem et homines, eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum presentium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon fundationis et institutionis ac scripturarum desuper confectarum tenores presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fundationem et institutionem, ac scripturas huiusmodi, et in eis contenta necnon inde secuta et sequenda quecunque dicta auctoritate Apostolica tenore presentium perpetuo confirmamus et approbamus, omnesque et singulos tam iuris, quam facti defectus, si qui intervenerint quomodolibet in eisdem supplemus, necnon curam, regimen et gubernium dictae domus, et in illa pro tempore existentium monialium in spiritualibus et temporalibus dilectis filiis fratribus Ordinis minorum de observantia nuncupatorum eisdem auctoritate Apostolica et tenore committimus et demandamus. Ac insuper de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis domus huiusmodi monialibus tam professis quam non pro-

fessis et novitiis inibi sub illius clausura pro tempore decedentibus in ipsarum et cuiuslibet earum mortis articulo si poenitentes sint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concedimus et elargimur. Universis vero et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam dicte domus in festo Sanctae Clarae a primis vesperis usque ad occasum solis diei eiusdem festi inclusive annuatim devote visitaverint, et inibi aliquas ad Deum preces pro Sanctae Romanae Ecclesiae conservatione, heresum extirpatione, infidelium conversione et pace inter Principes christianos servanda, vel alias prout unicuique suggeret devotio effuderint, quoties id fecerint, toties septem annos, et totidem quadragenas de iniunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad indulgentiam perpetuis futuris temporibus quo ad relaxationem vero usque ad decennium tantum valituris. Nulli etc. nostrae absolutionis, confirmationis, approbationis, suppletionis, commissionis demandationis, concessionis, elargitionis et relaxationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quarto idus Martii, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

236

De salute gregis dominici

Ep. ad Princ. 3 fol. 110r — die 1 aprilis 1570
Arm. XLIV 15 fol. 62r-63r

CONCESSIO INDULGENTIARUM

Indulgentia septem annorum et septem quadragenarum ad decennium duratura cappellae Rosarii in ecclesia sancti Dominici civitatis Mexicanae instante Petro Lopez medico eiusdem civitatis conceditur.

Pius V

Universis, et singulis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem etc. De salute gregis dominici sollicite cogitantes ad ea pietatis opera exercenda, libenter christifideles spiritualibus muneribus invitamus, per quae Divina suffragante clementia facilius possint ad coelestis patriae beatitudinem pervenire. Cupientes igitur, ut capella Rosarij, quae est in ecclesia Sancti Dominici, civitatis Mexicanae, in partibus Indiarum novae Hispaniae ab eisdem christifidelibus congruis frequentetur honoribus, et devotius visitetur, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus, vere poenitentibus, et confessis, qui dictam capellam, in festo assumptionis beatae Mariae Virginis, a primis vesperis, usque ad occasum solis eiusdem festi, singulis annis, ad decennium proxime futurum, devote visitaverint et ibi pro pace inter Principes Christianos conservanda, ac haeresum extirpatione, sanctaeque matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint septem annos, et totidem quadragenas de iniunctis eis, seu quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus, contrariis non obstantibus quibuscumque, praesentibus post dictum decennium minime valituris. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die primo Aprilis MDLXX Anno quinto.

237

Quotiescunque viros bonos

Ep. ad Princ. 3 fol. 111rv — die 2 aprilis 1570
Arm. XLIV 15 fol. 63r-64r

LITTERAE COMMENDATITIAE PRO STEPHANO FARUFFINO

Summus Pontifex regi Philippo Stephanum Faruffinum commendat, qui oriundus ex *Alessandria* in Italia in civitate *México* domicilium suum colloca-

vit, uxorem duxit et filios suscepit, rogans ut eum in numerum nobilium assumat et auctoritatibus mexicanis commendet.

Pius V

Regi Hispaniarum Catholico.

Charissime etc. Quotiescunque viros bonos, nobiles ac pios ad nostram opem auxiliumque confugientes, vel Maiestati tuae vel caeteris principibus christianis et catholicis commendamus toties et divinum praeceptum, quo proximorum cura nobis committitur, observamus et naturae ipsi nostrae ad similium hominum commoda adiuvanda propensae obsequimur. Inter eos dilectum hunc filium Stephanum Faruffinum, qui Maiestati tuae has litteras reddet, dignissimum Apostolica commendatione existimavimus, hominem probum, modestum, atque Alexandriae, ut ipsi compertum habemus, ex nobili admodum familia in Italia natum, qui relicta patria propinquis civibusque suis in civitate Mexicana, quae in nova Hispania ad Maiestatis tuae ditionem pertinente posita est, iam diu sedem domiciliumque suum collocavit et in ea uxorem duxit, filiosque suscepit, cui ut in eadem civitate aliquod beneficentiae tuae munus pro sua liberalitate impertiri iubeat, Maiestatem tuam vehementer in Domino rogamus, quicquid in eum beneficii commendationis nostrae causa contulerit, grato, libentique animo accepturi. Illud etiam a maiestate tua petimus et eundem in numero nobilium habere, ministrisque tuis, qui in nova Hispania et praesertim in civitate Mexicana vices tuas obtinent, commendare velint ut eum quibuscumque rebus recte potuerint, liberaliter et honorifice tractent, in eorumque numero qui illic nobiles sunt et ipsi habeant et ut a caeteris habeatur curent. Praestabimus nos hoc Maiestati tuae quaecunque in eum beneficia commendatione nostra adducta contulerit ea apud hominem liberalitate tua dignissimam collocaturam esse, cui commendationem nostram apud Maiestatem tuam prodesse, quemadmodum speramus valde certe cupimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 2 aprilis 1570, anno quinto.

238

Quo magis Maiestatis tuae

Ep. ad Princ. 3 fol. 114r
Arm. XLIV 15 fol. 64r-65r
Raynaldus 37 p. 196-197

die 2 aprilis 1570

LITTERAE SUPPLICES AD REGEM PRO ECCLESIA ANTEQUERENSI

Ecclesia Antequerensis in Nova Hispania ob exiguos redditus magna inopia laborat, ideoque Seminarium ab episcopo institutum absolvi non potest et divinus cultus detrimentum accipit. Summus Pontifex Philippum regem Hispaniae vehementer hortatur, ut inopiam Ecclesiae sublevet temporalia bona *sine quibus Ecclesiarum status consistere non potest,* suppeditando. [1]

Pius V

Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

Charissime etc. Quo magis Maiestatis tuae eximia in Deum omnipotentem pietas et singulare catholicae religionis studium nobis perspectum est, eo libentius ad eius opem confugimus in his rebus, quas ad divini cultus observantiam pertinentes auxilio, favoreque suo indigere cognoscimus. Quia vero nuper ad nos allatum est Ecclesiam Antequerensem, quae est in partibus Indiarum in nova Hispania ad Maiestatis tuae ditionem spectante, ob exiguos illius redditus magna inopia laborare, sic ut ob eam causam neque institutum ab eius episcopo, ex Tridentini Concilii decreto, seminarium hucusque absolvi potuerit et divinus illic cultus non parvum detrimentum accipere cogatur; idcirco visum est nobis Maiestatem tuam quemadmodum his litteris facimus vehementer in Domino hortari, ut qua commodiori poterit ratione eius inopiam ecclesiae sublevare, animarumque illarum saluti consulere velit ut enim nos pro officio nobis quamvis indignis

ab omnipotenti Deo commisso, omnibus ecclesiis spiritualia quaecunque cum Domino possumus officia libenter prestamus, sic Maiestatem tuam decet pium hoc nostrae voluntatis studium pro sua parte adiuvantem, temporalia bona sine quibus ecclesiarum status consistere non potest, indigentibus ecclesiis his praesertim, quae in regnis suis constitutae sunt, suppeditare ut hac maxime ratione et Maiestatis tuae erga omnipotentem Deum merita augeantur et sacerdotes ipsi tuae benignitatis auxilio adiuti pro Maiestatis tuae salute regnorumque suorum incolumitate pias ad Deum preces fundere possint. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 2° aprilis MDLXX anno quinto.

239

Stephanum Faruffinum

Ep. ad Princ. 3 fol. 115r
Arm. XLIV 15 fol. 65r-66r

die 2 aprilis 1570

LITTERAE COMMENDATITIAE PRO MISSIONARIO LAICO

Summus Pontifex commendat proregi Novae Hispaniae, Martino Enriquez, et senatui urbis *México* Stephanum Faruffinium, qui Romam venerat et nunc in Novam Hispaniam ad uxorem suam et liberos suos revertitur, et quem magnis laudibus cumulat.

Pius V

Dilectis filiis Martino Henrichez novae Hispaniae proregi et senatui Mexicano.

Dilecti filii, salutem etc. Stephanum Faruffinum, qui vobis has litteras nostras reddet, hominem ut ipsi quoque perspectum habemus,

non minus probitate morum, quam familiae nobilitate insignem pro nostra erga eiusmodi homines paterna benevolentia, praecipuoque erga illum amore, valde diligimus, quem quidem isthuc ad vos, uxoremque suam ac liberos tamquam civem vestrum et Apostolica commendatione dignissimum, vobis maiorem in modum commendamus. Vir certe dignus est quem vos omnibus humanitatis, benignitatisque vestrae officiis complectamini illumque cunctis quibus potestis rebus amanter atque honorifice tractetis, est enim probus, modestus et valde pius, et Alexandriae in Italia honestissima familia natus. Quibus de causis adducti vobis significandum his nostris litteris putavimus quaecunque in eum beneficia nostra commendatione adducti contuleritis, ea nos grato admodum animo accepturos. Cupimus hanc illi nostram apud vos commendationem, quemadmodum aequum est, et nos speramus vehementer prodesse. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 2° aprilis 1570, anno quinto.

240

Lectis litteris tuis

Ep. ad Princ. 3 fol. 118rv — die 2 aprilis 1570
Arm. XLIV 15 fol. 66r-67v
Raynaldus 37 p. 194
BM II 862

DE PROGRESSU EVANGELIZATIONIS IN *MÉXICO*

Summus Pontifex de zelo religioso populi mexicani et de progressu propagationis fidei in illis regionibus gaudet. Se una die quinque millia hominum baptizavisse archiepiscopus ei scripserat. Populi qui in Europa suggerente diabolo Ecclesiae subtrahuntur, in illis partibus quamplurimis conversionibus compensantur. Papa archiepiscopum ad pastorale officium et ad fovendas vocationes sacerdotales hortatur, clausuram Ordinis religiosi mulierum sanctae Clarae confirmat, indulgentias concedit, Stephanum Faruffinum nuntium archiepiscopi ei commendat.

Pius V

Venerabili fratri Alphonso [1] archiepiscopo Mexicano.

Venerabilis frater, salutem etc. Lectis litteris tuis quas XXX martii die superioris anni datas, per dilectum filium Stephanum Faruffinum fraternitas tua ad nos misit magnas omnipotenti Deo gratias egimus quod de populorum istorum pio devotionis affectu et catholice religionis studio, atque ad christianam doctrinam percipiendam propensione ea ad nos scripsit, quae vehementer cupiebamus, quaeque cognita magnam in Domino laetitiam merito nobis attulerunt, quod enim in istis regionibus ita augetur sanctae Ecclesiae populus, ut quandoque (sicut scribit) quinque millia hominim una die a fraternitate tua baptizati sint, hoc divinae misericordiae preclarum munus esse dignoscitur quae quod in variis orbis christiani partibus hisce calamitosissimis temporibus, suggerente diabolo, christiani nominis hoste, Ecclesiae Dei subtrahitur hoc tot tantisque istic animarum lucris sarcire ac compensare dignatur, quam in re fraternitatem tuam iam solum monemus, diligenter operam det ut qui baptizandi sunt antequam baptismum suscipiant, ea quae fidei christianae sunt, edoceantur, et quantum satis est, cathechizentur, ne si illotis, ut aiunt, manibus ad tale tantumque sacramentum accedant ad infidelitatem rursus revertantur; quamquam vero ubi plurimae segetes sunt, ibi manifesta sit fortitudo boum ob eamque causam supervacaneum esse videatur te ad pastorale officium Ecclesiae tuae praestandum incitare, tamen pro officio nobis quamvis indignis, ab omnipotenti Deo commisso, fraternitatem tuam in Domino hortamur ut presbyterorum inopiae, qua laborare istam ecclesiam scribit quibus potest remediis mederi conetur, quod fieri potest tum his qui ad religionem christianam propensiores videntur ad suscipiendum sacerdotium excitandis tum eorum ipsorum, qui adsunt, sacerdotum industria acuenda. Quod autem a nobis postulas ut quarundam istic mulierum, quae habiturm Sanctae Clarae susceperunt, clausuram confirmare eisque professionis faciendae potestatem permittere velimus, id libenter fraternitati tuae concessimus, confirmationisque litteras nostras Apostolicas scribi atque ad te muti mandavimus. De indulgentia quoque quam tibi ad maiorem istius ec-

---

[1] Alphonsus de Montúfar natus est anno 1498 in oppido *Loja,* Hispania, Ordini Fratrum Praedicatorum nomen dedit, anno 1551 archiepiscopus Ecclesiae Mexicanensis nominatus et anno 1553 in *Granada* episcopus ordinatus est; mortuus est anno 1569. BM II 671; *Lopetegui- Zubillaga* 438.

clesiae frequentationem a nobis concedi vis morem gessimus voluntati tuae tibique decem annorum indulgentiam concessimus. Stephanum vero ipsum Faruffinum, quem nobis commendas probitate sua testimonioque tuo adducti, libenter vidimus et ea, qua decuit, benignitate audivimus, paternam erga eum benevolentiam voluntatemque nostram quibuscumque cum Domino poterimus indiciis semper declaraturi quem nos vicissim fraternitati tuae multum et ex animo commendamus; quicquid in eum beneficii nostra inductus commendatione contuleris, grato animo accepturi, cuius etiam orationi in his qui tibi exponet, fidem habebis. Omnipotens Deus te venerabilis in Christo frater pro nobis orantem semper custodiat. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 2 aprilis MDLXX, anno quinto.

241

Quae dilectus filius

Ep. ad Princ. 3 fol. 119r — die 2 aprilis 1570
Arm. XLIV 15 fol. 67v-68r
Raynaldus 37 p. 196

LITTERAE COMMENDATITIAE PRO STEPHANO FARUFFINO

Summus Pontifex episcopo et capitulo Ecclesiae Tlaxcalensis nuntiat, se relationem Stephani Faruffini attente audivisse, eumque Stephanum eis commendat.

Pius V

Episcopo et Capitulo Ecclesiae Tlaxcalen.

Venerabilis frater et dilecti filii, salutem etc. Quae dilectus filius Stephanus Faruffinus ad istam Ecclesiam pertinentia fraternitatis tuae capitulique tui nomine nobis exposuit attente, et ea qua decuit beni-

gnitate audivimus, eumque ipsum Stephanum a vobis commendatum, virum bonum et catholicae religionis admodum studiosum cognovimus, cui etiam nostram quibuscumque rebus cum Domino possumus tum sua, tum vestra quoque causa, gratificandi voluntatem significavimus ei autem ad vos revertenti mandavimus, ut super eisdem rebus, de quibus vestro nomine nobiscum egit, animi nostri sensum uberius ad vos deferat. Itaque eius orationi in his, quae vobis nostro nomine, adiuvante Domino, expositurus est, fidem sine ulla haesitatione praestabitis, pro certo habentes nos in his, quae ad obsequium omnipotentis Dei vestraeque Ecclesiae utilitatem pertinebunt quemadmodum debemus, nullo vobis unquam loco defuturos. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 2° aprilis 1570, anno V°.

242

Dilectum filium Stephanum Faruffinum

Ep. ad Princ. 3 fol. 122rv
Arm. XLIV 15 fol. 68v-70r
Raynaldus 37 p. 197-198
BM II 861

die 2 aprilis 1570

DE REBUS DIOECESIS ANTEQUERENSIS

Litteras episcopi dioecesis Antequerensis (*Oaxaca*) a Stephano Faruffino Romam delatas, Summus Pontifex recepit, nuntium de rebus dioecesis libenter accepit et Deo gratias egit. Dolet vero inopiam religiosorum et monet episcopum, ut vocationes ad sacerdotium et formationem sacerdotum foveat et fideles ad studium religionis catholicae verbo et exemplo excitet. Gratissimum ei est, episcopum seminarium triginta virorum instituisse. De inopia redditus Ecclesiae Summus Pontifex iam regi Hispaniae scripsit et etiam Nuntio suo in Madrid, *ut eadem de re apud Maiestatem suam Catholicam nostro nomine diligenter ageret.*

Pius V

Venerabili fratri episcopo Antequeren. [1] in partibus Indiarum in nova Hispania.

Venerabilis frater, salutem etc. Dilectum filium Stephanum Faruffinum, qui fraternitatis tuae litteras XII die martii superioris anni datas, nobis reddidit, libenter admodum vidimus et nobiscum loquentem ea qua decuit benignitate audivimus, virumque bonum et pium quemadmodum fraternitas tua eisdem litteris testificata est iudicavimus, cui etiam et testimonio tuarum litterarum adducti, et commendationis tuae eam, quam debemus, rationem habere volentes, quibuscunque rebus cum Domino poterimus libenter gratificabimur. Te autem in regenda ista, cui omnipotentis Dei providentia praepositus es, ecclesia nihil earum quas potes rerum omittere, gregemque fidei tuae creditum salutari doctrinae pabulo diligenter pascere adeo libenter accepimus, ut et ipsi magna ex ea re laetitia in Domino affecti fuerimus, et ob eam causam Redemptori nostro gratias egerimus, qui sicut te ad animarum curae tuae commissarum salutem sedulo providendam excitavit, sic etiam laboris tui meritum non deserat. Quae vero ad nos scripsisti de religiosorum inopia, de his qui vel propter locorum longinquitatem sine extremae unctionis sacramento e vita discedunt vel propter fidei imbecillitatem sanctissimam Eucharistiam sumere et sacros ordines suscipere praetermittunt, ea nobis, ut par est, molesta fuerunt, fraternitatemque tuam hortamur, et quo maiore animi nostri studio possumus, rogamus, ut quantum fieri potest, his incommodis mederi conetur confessorum inopia vel excitandis ad sacerdotium his, qui ad pietatem christianam propensiores videbuntur sublevari vel eorum ipsorum, qui adsunt, sacerdotum accuratiori diligentia sarciri potest; imbecillitati autem fidei succurrendum est populis istis frequenter monendis, cohortandis et ad religionis catholicae studium verbo et exemplo quoad eius fieri potest excitandis atque inflammandis; nam quia, ut scribis, doctrinam christianam et libenter percipiunt et perceptam memoria retinent, desperandum non est eos adhibita quae adhiberi debet, diligentia ad perfectiorem pietatem, adiuvante Domino, proficere posse. Gratissimum quoque nobis fuit te seminarium, quod scribis, triginta virorum ex sacri Tridentini Concilii decreto instituisse in eaque re studium tuum divinique honoris zelum vehementer in Domino commendamus, Quod vero ob exiguos istius

[1] Bernardus de Albuquerque, OP. De eo cfr. supra doc. 220.

ecclesiae tuorumque canonicorum redditus vereri te scribis ne opus hoc a te institutum deserere cogaris, ob eamque causam nostrum auxilium favoremque imploras; nos ea de re ad charissimum in Christo filium nostrum Hispaniarum Regem Catholicum scripsimus eumque ad sublevandam ecclesiae tuae inopiam, religionisque catholicae cultum apud istos populos quibus potest facultatibus adiuvandum diligenter hortati sumus; scripsimus etiam eodem tempore venerabili fratri Ioanni Baptiste archiepiscopo Rossanensi, nostro et Sedis Apostolice apud eum nuntio, ut eadem de re apud Maiestatem suam catholicam nostro nomine diligenter ageret; speramusque eam ob eximiam suam in Deum omnipotentem pietatem tuis ecclesiaeque tuae incommodis aliquam opem esse allaturum. Reliquis de rebus ad ecclesiarum istarum statum pertinentibus predicto Stephano mandavimus ut tibi coeterisque fratribus coepiscopis nostris animi nostri sensum copiosius significaret, cuius orationi fraternitas tua fidem habebit. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 2° aprilis 1570, anno V°.

243

Quod a nobis litteris vestris

Ep. ad Princ. 3 fol. 123r
Arm. XLIV 15 fol. 70rv
Raynaldus 37 p. 196

die 2 aprilis 1570

CLAUSURA MONASTICA AUCTORITATE APOSTOLICA CONFIRMATUR

Mulieres in civitate *México* habitum Ordinis Sanctae Clarae susceperunt et Summum Pontificem supplicaverunt, ut clausuram earum apostolica auctoritate confirmaret. Quod Pius V concedit, litteras confirmationis per Stephanum Faruffinum transmittens.

Pius V

Civitatis Mexicanae.

Dilecti filii, salutem etc. Quod a nobis litteris vestris XXX martii die superioris anni datis postulavistis ut quarundam in ista civitate foeminarum quae habitum Sanctae Clarae susceperunt, clausuram confirmare, litteris nostris Apostolicis velimus eisque faciendae professionis potestatem permittere, id libenter tum vestro, tum venerabilis fratris nostri archiepiscopi vestri testimonio adducti fecimus, confirmationisque litteras dilecto huic filio Stefano Faruffino ad vos perferendas dedimus quem quia virum bonum et pium cognovimus, idcirco dilectionibus vestris commendamus, cuius orationi in his quae vobis exponet fidem habere poteritis. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 2° aprilis MDLXX, anno quinto.

244

Magno cum animi nostri dolore

Ep. ad Princ. 3 fol. 126rv — die 2 aprilis 1570
Arm. XLIV 15 fol. 71rv
Raynaldus 37 p. 197

PRO SUBLEVANDA INOPIA ECCLESIAE ANTEQUERENSIS

Magno cum animi dolore Summus Pontifex notitiam accepit, Ecclesiam Antequerensem tanta inopia materiali laborare, ut episcopus neque seminarium perficere neque missionarios sustentare poterit, ideoque cultus divinus non parvum detrimentum accipit, et hoc idcirco fieri *quoniam quod populi illi decimarum nomine solvere solebant, id in tributum regium conferre coguntur.* Summus Pontifex, nolens immediate regi Philippo de hac miseria referre, Nuntium suum in Hispania obtestatur, ut *adhibita quadam quae adhiberi potest dexteritate,* cum rege de hac re diligenter ageret.

Pius V

Venerabili fratri archiepiscopo Rossanen., nostro et Sedis Apostolicae apud regem Hispaniarum nuntio [1].

Venerabilis frater salutem etc. Magno cum animi nostri dolore nuper cognovimus, venerabilem fratrem nostrum, Episcopum Antequerensem, cuius ecclesia est in partibus Indiarum in nova Hispania ad charissimi in Christo filii nostri Hispaniarum Regis Catholici ditionem pertinente, magna ob exiguos illius ecclesiae, canonicorumque suorum redditus inopia laborare, sic ut neque institutum a se ex Concilii Tridentini decreto seminarium hucusque perficere potuerit, et alia multa, ad animarum fidei suae commissarum salutem necessaria, praetermittere cogatur, quo fit ut divinus illic cultus, religiosis ob eandem causam deficientibus, non parvum quotidie detrimentum accipiat. Hoc autem idcirco fieri intelligimus, quoniam quod populi illi decimarum nomine solvere solebant, id in tributum regium conferre coguntur. Quarum rerum calamitate, atque indignitate, non secus ac aequum est commoti, his tot, tantisque eiusdem ecclesiae incommodis qua ratione possumus mederi volumus. Sed quia, si haec a te ita uti ad nos delata sunt, serenissimo regi Catholico exponerentur, maiestati suae odiosa, et nimis molesta fore videbamus, ideo quanquam te haec ipsa scire voluerimus; tamen eadem maiestati suae ita dicere nolumus; sed adhibita quadam, quae adhiberi potest dexteritate, cum maiestate sua diligenter agere iubemus, ut qua commodiori potest ratione, eius ecclesiae inopiam velit sublevare; cuius quidem officii fungendi nullam ipsi fraternitati tuae rationem praescribimus; sed totam ipsam rem solertiae, ac prudentiae tuae gubernandam relinquimus. Hoc tamen maiestatem suam intelligere cupimus, eiusmodi negotium, perinde ac aequum est, nobis cordi esse. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die secunda Aprilis MDLXX Pontificatus Nostri Anno quinto.

[1] Ioannes Baptista Castagna.

245

Litteras tuas

Ep. ad Princ. 3 fol. 127rv
Arm. XLIV 15 fol. 72rv

die 2 aprilis 1570

INDULGENTIAE PRO SACELLO IN ECCLESIA SANCTI AUGUSTINI

Stephanus Faruffinus litteras Ludovici Villanovae Summo Pontifici tradidit ac de rebus gestis in *México* retulit, quem Papa libenter audivit. Indulgentias a Ludovico pro sacello in ecclesia sancti Augustini aedificato postulatas, Summus Pontifex benigne concedit aliosque favores spirituales largiri paratum se declarat.

Pius V

Dilecto filio Ludovico Villanovae Auditori et regio apud Mexicum consiliario.

Dilecte fili salutem etc. Litteras tuas, ultima die Martii superioris anni scriptas dilectus filius Stephanus Faruffinus nobis reddidit, quem ob probitatem suam, testimoniumque tuum, et alias, quas scribis, causas et libenter vidimus, et de rebus istis nobiscum loquentem benigne atque attente audivimus, cui etiam, si quibus rebus cum Domino poterimus, libenter tum tua, tum ipsius causa gratificabimur. Quod autem a nobis postulasti, ut sacello a te in ecclesia Sancti Augustini aedificato aliquas indulgentias concederemus, id libenter fecimus, tibique literis nostris Apostolicis septem annorum, et septem quadragenarum indulgentiam ad decennium duraturam concessimus eandem nostram erga te paternam benevolentiam, quibuscunque aliis rebus cum Domino poterimus, declarare semper parati. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die secunda Aprilis MDLXX Pontificatus Nostri Anno quinto.

246

Omnipotentis Dei

Ep. ad Princ. 3 fol. 129rv
Arm. XLIV 15 fol. 72v-74r

die 2 aprilis 1570

PRIVILEGIA RELIGIOSORUM IURISDICTIONEM EPISCOPORUM TOLLERE NON POSSUNT

Ante erectionem sedium episcopalium in partibus Indiarum Occidentalium missionariis Ordinis Sancti Augustini magna privilegia a Summis Pontificibus concessa sunt, quae ipsi nunc quoque post nominationem episcoporum conservare volunt, ita ut episcopi iurisdictionem suam exercere nequeant; visitatores, correctores, confessores et praedicatores ab episcopis missos non admittunt, ab episcopis excommunicatos absolvunt, scandalum excitant et propagationem fidei impediunt. Summus Pontifex provincialem Ordinis Sancti Augustini paterne monet et hortatur *ut ne quid eiusmodi posthac a fratribus tuis fieri, neve ordinariorum officiorum ab eis usurpari patiaris.*

Pius V

Dilecto filio fratri Ordinis Sancti Augustini in partibus Indiarum Novae Hispaniae Provinciali.

Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Omnipotentis Dei Redemptorisque nostri providentia ob eam causam in ecclesia sua distinctos esse voluit honorum gradus dispertitaque uniuscuiusque officiorum munera ut cum unusquisque in vocatione sua perseverans officii sui limitibus contineretur nemo alterius partes sibi vindicaret sicque per mutuam membrorum concordiam eiusdem ecclesiae corpus eo ipso qui illius caput est adiuvante coalesceret et conservaretur. Hoc quo verius esse intelligimus, eo magis doluimus, tua fratrumque tuorum causa fieri, ne talis, tamque salutaris ordo in ecclesiis istius

Provinciae servetur. Ipsi enim fratres, quemadmodum ad nos allatum est, privilegiorum, ante constitutos in istis partibus episcopos, sibi concessorum conservationem praetexentes, ac propterea animarum curam, ordinariorumque officium sibi sumentes, omnia confundunt, atque perturbant, quippe qui episcopos ipsos, in locis ad temporalem suam ditionem spectantibus, nullas officii sui partes exercere permittunt, visitatores, correctores, confessores, praedicatores ab eis missos nullos admittunt; quin etiam ab illis excommunicatos magno cum istorum populorum scandalo ipsi absolvunt, eorumque decreta passim contemnunt, ipsi neque visitari se permittunt in his, quae ad ecclesiarum decorum, divinumque cultum pertinent, neque eorum confessores, qui pro animarum eis creditarum multitudine pauci admodum sunt, examini se subiicere volunt; quibus rebus fit, ut Religionis Christianae apud eas gentes propagatio maxime impediatur. Quae si vera sunt, quoniam et divinis praeceptis, et canonum decretis valde repugnant; idcirco dilectionem tuam paterne monemus et hortamur, ut ne quid eiusmodi posthac a fratribus tuis fieri, neve ordinariorum officium ab eis usurpari patiaris. Est enim indignum, post constitutos in istis locis episcopos, eorum iurisdictionem, ac potestatem ab inferioribus administrari, nulla enim privilegia possunt, aut debent esse tanti, ut propter ea episcoporum potestas vel tollatur, vel impediatur, vel tantopere labefactetur; te autem, fratresque tuos putamus, nostris paternis vocibus admonitos, ab eiusmodi rebus in posterum temperaturos, quod nisi fieret, cogeremur certe, pro officii nostri munere exequendo, aliquam rationem inire, qua et aequitati et episcoporum istius Provinciae indemnitati, uno, eodemque tempore consuleretur. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die secundo Aprilis MDLXX Anno quinto [1].

---

[1] In margine notatur: «Sanctissimus noluit expediri».

247

Ex litteris tuis

Ep. ad Princ. 3 fol. 130rv
Arm. XLIV 15 fol. 74r-75v
Raynaldus 37 p. 198-199

die 2 aprilis 1570

DE PROGRESSU EVANGELIZATIONIS IN DIOECESI *MECHOACÁN*

Summus Pontifex magna cum laetitia notitiam de fervore religioso populi indigenae accepit et gaudet quod aliqui sacerdotes coeternis suis evangelium materna lingua praedicant, ac propterea Deo gratias agit, qui omnes homines ad imaginem suam creavit et ad fidem vocat. Exhortatur episcopum ad pastorale officium fideliter praestandum. Privilegia Augustiniensium, de quibus episcopus conquestus erat, restringere non vult, quia ipsi de prima evangelizatione in illis regionibus bene meriti sunt et episcopus propter inopiam sacerdotum ministerio eorum indiget. Stephanum Faruffinum nuntium litterarum ei commendat.

Pius V

Venerabili fratri episcopo Mecuacanen. [1].

Venerabilis frater, salutem etc. Ex litteris tuis XXI die martii superioris anni ad nos datis, magna cum animi nostri laetitia cognovimus id, de quo venerabilis quoque frater noster archiepiscopus Mexicanus suis litteris eodem fere tempore scriptis nos certiores fecit populos istos scilicet quaecunque fides nostra catholica credenda proponit ea omnia fideliter ac firmiter credere, doctrinamque christianam

[1] Episcopus Ecclesiae Mechuacan. erat Antonius (Ruiz) de Morales (1566-1572).

memoriter tenere, aliquos vero ex his, etiam fidem nostram materna ac vernacula illorum lingua caeteris praedicare. Cuius rei nomine omnipotenti Deo eas, quas debuimus gratias egimus, qui homines ad imaginem, similitudinemque suam genitos non passus est in errorum tenebris infidelitatisque caecitate permanere. Quamvis autem pro certo habeamus, te gregi fidei tuae credito pastorale officium diligenter praestare, tamen memores omnium ecclesiarum solicitudinem nobis quamvis indignis esse a Deo impositam, praetermittere pro officio nostro non possumus, quin te ad idem fraternis quoque nostris hortationibus excitemus, quam quidem ad rem plurimum conferre videtur divinae charitatis cogitatio; nam si qua Christus universam Ecclesiam charitate dilexerit, tecum reputabis admirabilem quandam exardescere in te senties erga tuam ecclesiam benevolentiae magnitudinem, si vero quae bonis fidelibusque pastoribus reposita sit in coelo merces cogitabis omnia tibi in terris vilescent de coelestibus praemiis cogitanti. De fratribus autem Augustinianis animarum curam ordinariique officium sibi vindicare scribis, nos, etsi eos episcopis eam, quam decet, reverentiam prestare volumus, eis tamen privilegiorum suorum ius adimere nolumus, nos enim de religione catholica quam in istis locis primi omnium ante constitutos omnino episcopos, longe lateque propagaverunt sic meriti sunt, ut illis favere non debeamus. Quin potius miramur fraternitatem tuam sacerdotum paucitatem ecclesiasticorumque ministrorum inopiam in suis ad nos litteris deplorantem, fratrum ipsorum presentium operam aspernari quae tibi ceterisque fratribus coepiscopis nostris in ecclesiasticarum rerum ministerio utilis esse potest, absentium requirere, qui non sine summa difficultate haberi possunt. Coeteris in rebus quaecumque cum Domino poterimus fraternae nostrae voluntatis indicia libenter tibi tribuemus Stephanum aut Faruffinum qui nobis tuas litteras attulit, fraternitati tuae commendamus cuius orationi in his quae tibi exponet fidem habebis. Omnipotens Deus te venerabilis in Christo frater pro nobis orantem custodiat. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 2° aprilis MDLXX, anno V°.

248

Quorundam istius provinciae

Ep. ad Princ. 3 fol. 133r
Arm. XLIV 15 fol. 75v-76r
Raynaldus 37 p. 194-195

die 2 aprilis 1570

DE VERSICULO «GLORIA PATRI» ALTA VOCE CANTANDO

Ad satisfacendum zelo et desiderio fidelium, Summus Pontifex archiepiscopo Mexicano mandat, ut versiculus «Gloria Patri et Filio...» in fine trium canticorum «Nunc dimittis», «Magnificat» et «Benedictus» non organi sono modulari, sed in tota Mexicana provincia chori vocibus in ecclesiis cantari praeciperet. Illud siquidem moleste ferentes aliqui, sed praecipue Petrus López medicus, ea de re apud Pontificem conquesti erant.

Pius V

Venerabili fratri Alfonso archiepiscopo Mexicano [1].

Venerabilis frater salutem etc. Quorundam istius provinciae piorum hominum divini honoris zelo devotionique quantum in nobis est et ratio postulat, satisfacere volentes qui hunc versiculum Gloria Patri et Filio in fine trium canticorum, hoc est: Nunc dimittis, Magnificat et Benedictus, cantari solitum in diebus praecipue festis, submissa voce a choro recitari ob eamque causam illo devotionis affectu, quem ex eius auditu alioqui percepturi fuerant, se privari moleste admodum ferunt, fraternitati tuae mandamus ut posthac in omnibus ecclesiis istius provinciae, in quibus divina officia celebrantur, eundem versiculum non quemadmodum hucusque factum esse audivimus submissa

[1] Alphonsus de Montúfar, OP.

sed alta chori voce cani iubeas atque constituas quod ita demum commode fieri continget, si primus quisque eorundem canticorum versus chori vocibus cantuque inchoabitur non autem eum organi sonus modulabitur quemadmodum re ipsa fraternitas tua experiri poterit. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 2 aprilis MDLXX, anno quinto.

249

Litteras tuas

Ep. ad Princ. 3 fol. 134r
Arm. XLIV 15 fol. 76v-77r
Raynaldus 37 p. 195 (ex parte)

die 2 aprilis 1570

DE VERSICULO «GLORIA PATRI» CANENDO ET INDULGENTIIS CONFIRMANDIS

Medicus Petrus López Summum Pontificem supplicavit ut versiculum «Gloria Patri et Filio...» in tribus canticis «Nunc dimittis», «Magnificat» et «Benedictus» canere non autem sono organi modulari iubeat; ut indulgentias societatis Rosarii confirmet, novasque concedat. Papa ei respondet se quoad primum archiepiscopo Mexicano opportuna praecepta dedisse, indulgentias autem confirmare et novas concedere non posse, quia López indulgentias non significavit. Utprimum hoc fecerit, ei satisfaciet. Interea autem indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum ad decennium concedit.

Pius V

Dilecto filio Petro Lopez medico.

Dilecte fili salutem etc. Litteras tuas, superiore anno XXII die Martii ad nos datas, libenter legimus, et postulatum tuum de hoc versiculo, Gloria Patri, in tribus, quae scribis, canticis, ipsius chori voci-

bus humanis canendo, non autem organi sono modulando, libentissime cognovimus. In ea re pietatis tuae studium amavimus, piumque istud erga omnipotentem Deum tuae devotionis affectum vehementer in Domino commendavimus et commendamus. Scribimus autem super ea re venerabili fratri nostro archiepiscopo Mexicano, eique mandamus, ut posthac in omnibus sive ecclesiis, sive monasteriis in quibus divinorum officiorum laudes cantu celebrantur, eum, quem scribis, morem servari iubeat. Symbolum quoque in omnibus ecclesiis religiosorum vocibus cani volumus. De confirmandis autem societati Rosarii istius civitatis indulgentiis, novisque insuper concedendis, quod a nobis postulas, id facere fortasse potuissemus, si quae, et quot indulgentiae confirmandae, concedendaeque nobis essent, adscripsisses. Nunc vero quid, aut quatenus confirmandum, vel concedendum sit cum nobis non significaveris, voluntati tuae morem gerere non possumus, quod si feceris, operam dabimus, ut et in hac ipsa, et in caeteris rebus, quantum cum Domino poterimus, tibi gratificemur. Ut tamen desiderio tuo eo, quo possumus, modo satisfaciamus, concessimus tibi in die Assumptionis Beatae Mariae semper Virginis, in Cappella Rosarii, quae est in ecclesia Sancti Dominici, civitatis Mexicanae, indulgentiam septem annorum, et septem quadragenarum quolibet anno, ad decennium duraturam, cuius indulgentiae literas Apostolicas dilecto huic filio Stephano Faruffino ad te perferendas dedimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die secunda Aprilis MDLXX Anno quinto.

250

Oblatae nobis nuper

Sec. Brev. 25 fol. 247rv; 26 fol. 237r-238r die 8 maii 1570

DISPENSATIO IN SECUNDO GRADU CONSANGUINITATIS

Christophorus de la Cerda et Catherina de Miranda non obstante impedimento secundi gradus consanguinitatis in linea aequali matrimonium clande-

stine inierunt. Nunc autem supplicant absolutionem et dispensationem apostolicam. Summus Pontifex eos a quibusvis sententiis ecclesiasticis auctoritate apostolica in utroque foro absolvit, gratiam dispensationis concedit, ita ut publice, servata forma Concilii Tridentini, matrimonium in facie Ecclesiae de novo contrahere et solemnizare possint, ac prolem iam susceptam legitimam declarat.

Pius V

Dilecto filio Christophoro de la Cerda laico et dilectae in Christo filiae Catherinae de Miranda mulieri incolis civitatis vel diocesis Mexican. in partibus Indiarum maris Oceani.

Dilecte fili et dilecta in Christo filia salutem etc. Oblatae nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat quod vos, tu videlicet fili Christophore, qui Sebastiani de Miranda et Annae de la Cerda coniugum natus et tu in Christo filia Catherina, quae Gasparis de Miranda et Ruffinae Fernandez etiam coniugum nata estis alias scientes vos secundo consanguinitatis gradu in linea aequali invicem esse coniunctos, matrimonium inter vos per verba de presenti clandestine de facto contraxistis, illudque carnali copula consumastis ante tamen diem 26 mensis ianuarii anni Domini 1564, et prolem postmodum exinde procreastis. Cum autem vos in huiusmodi matrimonio remanere non possitis absque nostra et Sedis Apostolicae dispensatione, nobis humiliter supplicari fecistis ut vobis in praemissis de opportunae absolutionis beneficio et dispensationis gratiae, aliasque paterne providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur vos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes huiusmodi supplicationibus inclinati vos et vestrum quemlibet a quibusvis excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et etiam temporalibus corporis afflictivis et bonorum districtivis poenis, quas propter praemissa quomodolibet incurristis et pati deberetis, nec non incestus reatu et excessibus huiusmodi auctoritate apostolica tenore presentium in utroque foro absolvimus et totaliter liberamus; ac vobiscum quod impedimento secundi gradus consanguinitatis huiusmodi non obstante matrimonium inter vos de novo publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite possitis et valeatis, dummodo tu in Christo filia Catherina ob hoc ab aliquo rapta non fueris auctoritate et tenore praedictis dispensamus, prolem susceptam et suscipiendam exinde le-

gitimam decernendo. Non obstantibus praemissis et apostolicis in provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, legibusque Regni, pragmaticis sanctionibus et iuribus municipalibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod poenitentiam a confessore per vos eligendo vobis propter praemissa iniungendam adimplere omnino teneamini aliter praesentes quoad forum conscientiae nullae sint. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die VIII maii 1570, anno quinto.

251

Super specula

Hernáez II 320-321 die 14 maii 1570

ERECTIO ECCLESIAE CATHEDRALIS IN OPPIDO *TUCUMÁN* (*PERÚ*)

Summus Pontifex benigne suscipit desiderium ipsi a Philippo rege Catholico Hispaniarum expressum, ut in provincia de *Perú* ad divini nominis cultum ampliandum atque incolas eiusdem regionis ad lucem veritatis adducendos, oppidum quod *Tucumán* nuncupatur, in civitatem atque in ea Cathedralis Ecclesia erigatur. Pontifex oppidum in civitatem et in ea Cathedralem Ecclesiam sub invocatione SS. Petri et Pauli erigit, pro uno episcopo, qui ecclesiam construi faciat atque verbum Dei praedicari procuret ac illius incolas infideles ad orthodoxae fidei cultum convertat, et conversos in eadem fide instruat et confirmet. Praeterea canonicatus aliaque beneficia ecclesiastica erigat. Iure metropolitico archiepiscopo Civitatis Regum subsit ac ex omnibus ibi pro tempore provenientibus praeterquam ex auro aliisque metallis et lapidibus pretiosis regi adiudicatis decimas et primitias de iure debitas ceteraque episcopalia iura ad modum aliorum in Hispaniis episcoporum percipere valeat aliisque illorum gratiis et privilegiis aequo iure gaudeat, dum ius patronatus, exceptis primis nominationibus, ipsi regi Castellae et Legionis perpetuo assignatur.

Pius V

Pius Episcopus Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Super specula militantis Ecclesiae, meritis licet imparibus, Divina dispositione locati, ad universas Orbis provincias et loca, praesertim Omnipotentis Dei misericordia per Catholicos Reges et Principes ab infidelibus et barbaris adquisita, aciem nostrae meditationis passim reflectimus, et ut in locis dignioribus titulis decoratis plantetur Christiana Religio et, ut eorum incolae Venerabilium Praesulum auctoritate et doctrina suffulti, proficiant in Fide, et quod in temporalibus sunt adepti, non careant in spiritualibus incremento, opem et operam libenter impendimus efficaces. Sane, cum inter caeteras provincias in Insulis Indiarum Maris Occeani, auspiciis clarae memoriae Caroli V, Romanorum Imperatoris, tunc in humanis agentis, una (sit) Tucuman nuncupata, in Provincia del Perú, cujus incolae Divinae legis expertes existunt, et in qua licet plures Christiani habitent, nulla tamen Ecclesia Cathedralis erecta existit, et Charissimus in Christo Filius noster Philippus, Rex Catholicus Hispaniarum, pio affectu desideret in dicta Provincia, ejus temporali ditioni ratione Castellae et Legionis Regnorum subjecta, illius gloriosissimi nominis cultum, cujus est orbis terrarum et plenitudo ejus ac universi qui habitant in eo, ampliari, et incolas praedictos ad lucem veritatis perduci animarumque saluti consuli, ac propterea oppidum Tucuman nuncupatum in eadem Provincia in Civitatem, et in ea Cathedralem Ecclesiam erigi et institui; Nos, habita super his cum Fratribus nostris deliberatione matura, de illorum consilio, praedicto Philippo Rege super hoc humiliter supplicante, ad Omnipotentis Dei laudem et gloriam, gloriosissimae Dei Genitricis Mariae totiusque Curie Coelestis honorem, et ipsius Fidei Catholicae exaltationem oppidum praedictum in Civitatem, quae Civitas Tucuman nuncupetur, et in ea Cathedralem Ecclesiam sub invocatione SS. Petri et Pauli pro uno Episcopo [1] Tucuman. nuncupando, qui dictam Ecclesiam construi faciat, ac in illa illiusque Civitate et Dioecesi verbum Dei praedicari procuret, ac illius incolas Infideles ad Orthodoxae Fidei cultum convertat, et conversos in eadem Fide instruat et confirmet, eisque Baptismi gratiam impendat, ac tam illis sic conversis quam aliis omnibus Fidelibus in Civitate et Dioecesi ejus-

---

[1] Primus episcopus Ecclesiae Tucumanensis nominatus est Franciscus de Veamonte (Beaumont), Ordinis Fratrum Minorum. De hac provisione non exstant documenta in Archivo Vaticano. Cfr. *Egaña* 111.

modi degentibus ac ad eas declinantibus Sacramenta Ecclesiastica et alia spiritualia ministret ac ministrari etiam faciat et procuret; necnon in Ecclesia, Civitate et Dioecesi praedictis alias Episcopalem jurisdictionem et potestatem et auctoritatem libere exercere valeat: ac Dignitates, Canonicatus, Praebendas, aliaque Beneficia Ecclesiastica cum et sine cura erigat et instituat, et alia spiritualia conferat et seminet, prout Divini cultus augmento et ipsorum incolarum animarum saluti expedire cognoverit, et qui Archiepiscopo viciniori Civitatis Regum pro tempore existenti jure Metropolitico subsit, ac ex omnibus ibi pro tempore provenientibus, praeterquam ex auro, argento et aliis metallis, gemmis et lapidibus pretiosis, quae pro tempore existentibus Castellae et Legionis Regibus quoad hoc libera esse decernimus, decimas et primitias de jure debitas, caeteraque Episcopalia jura, prout alii in Hispaniis Episcopi de jure vel consuetudine percipiunt, exigere et percipere libere et licite valeat, cum Sede et mensa ac aliis insignibus ac jurisdictionibus Episcopalibus, necnon immunitatibus, privilegiis et gratiis, quibus aliae Cathedrales Ecclesiae et earum Praesules in eisdem Hispaniis de jure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, erigimus et instituimus. Ac eidem Ecclesiae oppidum praedictum, sic in Civitatem erectum, pro Civitate, et partem dictae Provinciae, quam ipse Philippus Rex positis limitibus (quorum mutationem dum, quando et quoties expedire videbitur, Nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus reservamus) statuerit et statui mandaverit pro Dioecesi: ipsarum Civitatis et Dioecesis incolas et habitatores pro Clero et Populo concedimus et assignamus. Necnon illius mensae Episcopali praedictae pro ejus dote redditus annuos ducentorum ducatorum auri de camera per ipsum Philippum Regem ex redditibus annuis ad ipsum in dicta Provincia spectantibus assignandos, donec fructus ejusdem mensae ad valorem ducentorum ducatorum similium ascendant annuatim, et nunc prout ex tunc, et e contra, postquam assignati fuerint, applicamus et appropriamus. Et insuper jus patronatus et praesentandi infra annum, propter loci distantiam, personas idoneas ad erectam Ecclesiam praedictam, quoties illius vacatio, hac prima vice excepta, pro tempore occurrerit, Romano Pontifici pro tempore existenti per eum in ejusdem Ecclesiae Episcopum et Pastorem ad praesentationem ejusmodi praeficiendum: necnon ad Dignitates, Canonicatus et Praebendas ac Beneficia erigenda, tam a primaeva eorum erectione postquam erecta fuerint, quam ex tunc deinceps pro tempore vacantia, Episcopo Tucuman, pro tempore existenti similiter per eum ad praesentationem ejusmodi in ipsis Dignitatibus, Canonicatibus et Praebendis ac Beneficiis instituendas,

praedicto Philippo et pro tempore existenti Castellae et Legionis Regi ex simili consilio, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo reservamus, concedimus et assignamus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam etc. Datum Romae, anno 1570 pridie Idus Maji.

252

Cum sicut exponi

Sec. Brev. 14 fol. 300r; 15 fol. 176rv — die 11 augusti 1570

LICENTIA SEPELIENDI DEFUNCTOS PAUPERES IN ECCLESIA CONFRATERNITATIS

Rector et deputati confraternitatis Sanctissimi Sacramenti in Civitate *México* Summum Pontificem supplicaverunt, ut defunctos pauperes pietatis causa in ecclesia collegii confraternitatis beatae Mariae Caritatis sepelire possent. Summus Pontifex precibus huiusmodi annuit et apostolica auctoritate permittit, ut christifideles pauperes in ecclesia praedicta sepeliri possint, *de licentia tamen ordinarii et sine parrochorum praeiudicio.*

Pius V

Dilectis filiis rectori et deputatis confraternitatis Sanctissimi Sacramenti in civitate Mexican. Indiarum existentibus.

Dilecti filii salutem etc. Cum sicut exponi nobis fecistis vos cupiatis confratres confraternitatis vestrae necnon quoscumque alios utriusque sexus christifideles pauperes pro tempore in dicta civitate decedentes, pietatis causa in ecclesia collegii confraternitatis beatae Mariae charitatis dictae civitati vestrae unitae sepelire posse; propterea nobis humiliter supplicari fecistis ut vestro pio voto huiusmodi paterne annuere de benignitate apostolica dignaremur, nos vestris huius-

modi supplicationibus inclinati vobis, ut tam quoscumque eiusdem vestrae et illi unitae confraternitatis confratres quam alios utriusque sexus christifideles pauperes pro tempore in eadem civitate decedentes in ecclesia predicta de licentia tamen ordinarii et sine parrochorum praeiudicio sepelire libere et licite possitis, auctoritate apostolica tenore presentium licentiam et facultatem concedimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 11 augusti 1570, anno quinto.

253

Eximia pietas

Paenitentiariae, Reg. Matrim. et Divers. 164 fol. 61r (pars secunda) — die 7 septembris 1570

LICENTIA CELEBRANDI MISSAM IN ORATORIO PRIVATO

Pro Ioanna de Sosa, quae propter aetatem et aegritudinem ecclesiam parochialem longe distantem adire nequit.

Pius V

Dilecte in Christo filie Ioanne de Sosa nobili Mexican., salutem etc. Eximia pietas et propensus in divinum cultum animus ac nobilitas generis super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio nos inducunt ut illa tibi favorabiliter concedamus per que anime saluti et corporis tuorum quieti valeat opportune provideri. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat quod cum gravissime feras te divinis misse officiis quotidie audiendis interesse non posse

propterea quod tu et gravis annis et multis egritudinibus corporis obnoxia existens ecclesiam que a domo tua longe distat adire nequeris et propterea desideres ne te absque missarum auditione manere contingat in oratorio quod domi tue in eos tantum usus a fundamentis construi et edificari fecisti per loci ordinarium visitando et approbando dominicis et festivis ac reliquis aliis diebus missas durantibus dumtaxat ac egritudinibus predictis celebrari facere et illas audire ac in eodem oratorio sacratissimum Eucharistie sacramentum preterquam in die Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi reverenter suscipere quod tamen tibi licere dubitas absque Sedis Apostolice licentia speciali. Quare nobis humiliter supplicari fecisti etc. Nos igitur qui salutem querimus singulorum te a quibusvis excommunicationis etc. et absolutam fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati tibique ut asseris dilecti filii Ludovici Castelle laici uxor ac incola civitatis Mexican. nove Hispanie in partibus Indiarum maris Occeani existis ut in dicto oratorio missas per aliquem presbiterum secularem aut in eius defectum cuiusvis ordinis regularem ex aprobatis a dicto ordinario singulis tam dominicis, quam festivis et aliis diebus predictis dici et celebrari facere et eas audire, ac illis interesse necnon predictum Eucharistie sacramentum preterquam in die Resurrectionis predicte in dicto oratorio suscipere libere et licite possis et valeas, auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus et impartimur ac indulgemus. Non obstantibus constitutionibus etc. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis etc. Si quis autem hoc attentare presumpserit etc. Datum etc. septimo idus septembris anno quinto.

254

In supereminenti dignitatis

Reg. Vat. 2012 fol. 261r-269v — die 11 septembris 1570

CONFIRMATIO DONATIONIS CONVENTUS ET ECCLESIAE

Christophorus de Torres, oriundus Illerdensis (*Lérida*) et nunc missionarius in *Perú*, spiritu religioso et missionario motus in provincia *Parinacocha*

dioecesis Cuzconensis conventum pro missionariis Ordinis Fratrum Praedicatorum propriis bonis fundaverat. Summus Pontifex fundationem approbaverat ecclesiam in parochialem ecclesiam erexerat et tres confraternitates in ea existentes confirmaverat. In tota illa regione duo vel tres tantum sacerdotes pro magna multitudine populorum cura animarum fungebant. Tamen isti fundationem Christophori agressi sunt et destruxerunt. Hoc factum in Concilio Limensi (1567-1568) valde discussum est. Tandem ipsa Synodus destructores conventus et ecclesiae ad damnum sarciendum condemnavit. Quae sententia in secunda instantia eiusdem Concilii aliquando mitigata est. Appellatio ad Sedem Apostolicam effectum non obtinuisse videbatur. Unde Summus Pontifex, precibus fratrum et ipsius Christophori, qui Romam venerat, ut Sanctorum reliquias in Perú portaret, annuens, iura ipsis restituta auctoritate apostolica confirmat, qualibet appellatione contraria in posterum exclusa, necnon fundatione renovata privilegiis amplissimis ditata.

Pius V

Ad perpetuam rei memoriam. In supereminenti dignitatis Apostolice specula superna dispositione constituti et illius qui pro salvatione dominici gregis in ara crucis in precium immolari non abnuit vices licet immeriti gerentes in terris circa ea per que spirituali fidelium quorumlibet consolationi rosariique seu psalterii in beate Virginis Marie honorem dicati recitationi ac sanctorum Dei templorum aliorumque piorum locorum decori consulatur, ac blasphemie que nimis ubique in divine maiestatis offensam animarumque perniciem invaluerunt a fidelium colloquiis arceantur salusque votiva succedat credite nobis potestatis auctoritatem favorabiliter impertimur et, ut ad id christifidelium vota facilius concurrant, fideles ipsos spiritualibus muneribus libenter prosequimur. Sane cum nuper per nos accepto, quod dilectus filius Christoforus de Torres, oriundus Illerden. et nunc in Indiis et Regnis del Peru nuncupatis maris Oceani nuper ad cognitionem divini nominis Iesu et Catholice fidei professionem redactis commorans, considerans presentis mundi statum transitorium et vanum esse in divitiis et facultatibus huius seculi spem aliquem collocare ac cupiens in celo thesaurizare et mundana cum celestibus commutare, ob singularem quem erga Dei electi beati Christofori necnon gloriosi confessoris Sancti Dominici gerebat devotionis affectum, remque piam religiosam et nobis gratam efficere volens in dictis regnis del Peru et provincia de Parinacocha ac diocesi del Cuzco unam domum seu conventum ordinis fratrum predicatorum Sancti Dominici sub

invocatione eiusdem sancti Christofori cum ecclesia, claustro, dormitorio, refectorio, hortis et aliis officinis necessariis pro usu et habitatione perpetuis fratrum dicti ordinis in Dei laudem dictorumque Sanctorum Christofori et Dominici honorem erexerat et instituerat, seu erigi, institui, construi et edificari fecerat, illamque de propriis bonis sibi a Deo collatis competenter dotaverat erectionem, institutionem et dotationem predictas ex certa nostra scientia per alias nostras litteras approbaverimus et confirmaverimus, necnon ecclesiam domus huiusmodi in parrochialem ecclesiam cum omnibus et singulis aliarum parrochialium ecclesiarum privilegiis, indultis, facultatibus, iuribus aliisque gratiis similiter erexerimus ac alias desuper statuerimus et ordinaverimus, prout in dictis litteris plenius continetur, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum prioris seu vicarii et fratrum dicte domus petitio continebat, si in ecclesia domus huiusmodi una ad instar rosarii seu psalterii eiusdem beate Marie virginis et alia etiam ad instar divini nominis Dei seu iuramentorum nuncupati, necnon relique confraternitates etiam ad instar Sacratissimi corporis Christi in ecclesia domus beate Marie supra Minervam de Urbe dicti ordinis fratrum predicatorum sub dictis invocationibus institutarum confraternitatum cum similibus aliisque decentibus statutis, capitulis et ordinationibus conscriberentur, erigerentur et instituerentur in hoc profecto non solum lux Catholice fidei in dies magis in illis partibus aperiretur et blasphemiis obviaretur, sed etiam animarum saluti et divini cultus augmento salubriter consuleretur, necnon in salubrem ipsius ecclesie Sancti Christofori directionem ac devotionis et reverentie erga ipsum sacratissimum corpus Christi, venerationisque dicti Sanctissimi nominis et beate virginis Marie non modicum cederet incrementum. Quare pro parte dictorum prioris seu vicarii et fratrum nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi dictas confraternitates in ecclesia domus Sancti Christofori huiusmodi erigendi, ut prefertur, licentiam et facultatem concedere ac alias in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui divini cultus augmentum et animarum salutem quique sacrosanctum angelorum panem invisibilem sub sacramento visibili inter fideles existentem ac premissum sacratissimum nomen Iesu et beatam virginem charitate etiam erga proximum accensus cum ipse in provincia de Parinacocha ac diocesi del Cuzco huiusmodi non modicam sacerdotum et religiosorum virorum esse penuriam, nullumque aliud monasterium seu regularem locum vel domum religiosorum erectum nonagintaque circiter populis satis numerosis licet pauperibus utriusque sexus refertam esse et centum leucarum spatium parum plus vel minus in se capientem et continentem, populos vero ipsos cure et regimini trium et ali-

quando duorum dumtaxat sacerdotum per vicarium sive capitulum cathedralis ecclesie del Cuzco huiusmodi commissos, unicamque tantum in dicta provincia ecclesiam parrocchialem erectam et constructam atque duos ut prefertur aut ad plus tres sacerdotes cure et regimini tot animarum incumbentes et in eadem residentes adinvenisset et propterea unam domum sive conventum dicti ordinis fratrum predicatorum sub invocatione eiusdem Sancti Christofori cum ecclesia, claustro, dormitorio, refectorio, hortis aliisque officinis necessariis pro usu et habitatione perpetuis fratrum dicti ordinis pro tempore in ea residentium fundare, instituere, edificare erigere et dotare proposuisset et dum erectioni, institutioni et constructioni huiusmodi initium datum esset et pro dolore dilecti filii Aloysius Dulnera et Alphonsus Pareia presbiteri in dicta ecclesia et provincia de Parinacocha tunc commorantes, quibus tunc cura universalis dictorum populorum commissa existebat de mandato ut dicebatur dilecti filii Stephani de Villaloy dicte ecclesie del Cuzco canonici et illius sede episcopali tunc vacante vicarii a capitulo deputati humane salutis inimico instigante adeo salutari operi se opposuissent fundationemque, erectionem, edificationem et constructionem domus seu conventus huiusmodi impedire conati fuissent, immo quod peius est in quadam dicte provincie parte Thalla nuncupata iuxta flumen ibi defluens et in solo ducentorum et quinquaginta passuum pro fundatione, erectione et constructione huiusmodi dictis Christophoro et fratribus dicti ordinis de mandato tunc gubernatoris in ipsis Regnis del Peru pro eodem Philippo Rege residentis assignato, ecclesiam seu capellam sub invocatione dicti beati Christofori erectam et constructam Deoque optimo maximo et universe curie celesti atque predictis gloriosis Dei confessoribus beatis Christoforo et Dominico dicatam et sacratam in qua etiam missarum sacrificia celebrabantur, nocte quadam una cum tota fabrica domus seu conventus huiusmodi tunc forsan cepta violenter et manu armata auxilio quoque et opera nonnullorum dictarum partium Indianorum ad id ab ipsis Aloysio et Alfonso instigatorum diruissent petramque supra petram non reliquissent et aratrum superinduxissent eaque de re pro parte dictorum fratrum sive eiusdem ordinis provincialis tunc in dicta provincia residentis proposita querela atque negotio ipso in synodo provinciali que tunc in civitate regum nuncupata illarum partium congregata reperiebatur deducto et in contradictorio iudicio cum dicte ecclesie del Cuzco archidiacono Aloisio et Alfonso ac etiam quodam alio asserto procuratorio nomine dictorum Indianorum interveniente diu agitato partibusque quicinde in earum iuribus, defensionibus et probationibus auditis et dictis iuribus ac omnibus discutiendis in iure et in facto discussis, tandem ipsa synodus dictos fratres ad

domum seu conventum necnon ecclesiam huiusmodi illarumque pristinam possessionem, erectionem et constructionem restituerit et reintegraverit ac illos restitutos et reintegratos manuteneri mandaverit et tunc actu restituti et reintegrati fuerint necnon ipsas domum et ecclesiam in quorum possessione hodie existunt de novo edificaverint et successive inter easdem partes lite et causa seu controversia aut questionis materia super premissis ac mulcta et pena Alfonso et Aloysio prefatis irroganda refectioneque damnorum et interesse per dictos fratres ob excessum supradicte demolitionis passorum et aliis in querela pro eorundem fratrum parte in dicta synodo porrecta contentis rebusque aliis in actis cause et causarum huiusmodi latius deductis et eorum occasione in prima seu alia veriori instantia in eadem synodo ulterius instituta, agitata et discussa fratres prefati sive eorum nomine dictus prior provincialis sententiam favorabilem ab ipsa synodo per quam dicti Aloysius et Alfonsus ad expensa, damna et interesse per ipsos fratres passa condempnati ab excessu vero dicte demolitionis cum se id de mandato predicti Stephani vicarii illorum superioris fecisse excusarent absoluti fuerint salvo tamen iure dictis fratribus ulterius ius suum prout eis competeret coram quocumque iudice prosequendi sub die vigesima secunda mensis novembris anni Domini millesimi quingentesimi sexagesimi septimi seu alio veriori tempore reportaverint a qua quidem sententia licet per dictos archidiaconum et Indianos ad nos seu Sedem Apostolicam forsan appellatum fuerit tamen quod hactenus illam sint prosecuti non constet et dictus Christoforus adhuc in eodem suo pio et laudabili proposito ac pristino instituto permanens ac exinde prefatam synodum provincialem usque tunc etiam in dicta civitate Regum congregatam de novo adiens pristinam erectionem, constructionem et dotationem dicte domus sive conventus ac conventiones cum antedictis fratribus sive dilecto filio Gaspare de Carnajal tunc ordinis predicatorum huiusmodi in eadem provincia priore provinciali desuper initas que ob supradicta impedimenta effectum non habuerant exposuerit et declaraverit desiderium suum in hoc uberius ac validius exequi et consequenter in eodem loco de Thalla et solo ipsis et eisdem fratribus alias ut prefertur assignato causis et rationibus supra expressis de bonis sibi a Deo collatis dictam domum seu conventum fundare, construere, edificare et dotare velle, ipsaque synodus institutum et desiderium huiusmodi laudaverit et negotio dictarum fundationis, constructionis et dotationis iuxta mandatum dicte synodi cum dilecto filio Petro del Toro tunc ipsius ordinis in dicta provincia priore provinciali tractato et concluso ad effectum fundandi et dotandi domum sive conventum et ecclesiam antedictas atque in executionem eorum que iuxta sic tractata et conclusa sibi incumbe-

bant dictus Christoforus quamplura bona mobilia et immobilia seque moventia et in specie quasdam domos ipsius Christofori cum parva ecclesia sub invocatione dicti Sancti Christofori in loco nuncupato Hoscoleo sitas et per dictum Christophorum per iter fundatas et constructas ea tamen conditione inter eum et dictum Petrum priorem provincialem expresse adiecta, ut in dicta domo sive conventu donec maiores redditus supplerentur unus vicarius dicti ordinis religiosus in sacerdotio constitutus cum duobus aliis sacerdotibus quorum saltem unus sciret idioma provincie et Indianos dicte provincie ad dictas ecclesiam et domum seu conventum confluentes doctrinam christianam docerent, baptisarent et eisdem Eucharistie ac alia ecclesiastica sacramenta gratis omnino administrarent aliaque pietatis et charitatis opera exercerent permanere deberent et tenerentur donaverit et dederit prout in instrumentis seu documentis publicis aliisque scripturis desuper forsan confectis plenius dicitur contineri. Nos inter cetera sinceris cordis nostri affectibus desiderantes, ut religio et fides Catholica palmites suos ubique late diffundat exindeque divini cultus incrementum et salus proveniat animarum ex processu quoque super premissis in ipsa synodo provinciali habito ad Romanam Curiam et ad nos transmisso ac aliunde etiam solerti meritis nostra indagine plene informati considerantes dictos vicarium archidiaconum Aloysium, Alfonsum et Indianos nullam saltem iustam vel rationabilem causam habuisse ob quam fundationi, erectioni et constructioni domus et ecclesie predictarum etiam officialium predicti Philippi Regis benigni favoris auxilio suffultis atque a synodo ipsa provinciali approbatis se opponere et illas impedire debuerint, immo ex eis non modicam in illis partibus religionis christiane propagationem ingentemque spiritualis consolationis atque in fide catholica profectum populis illis obventurum et adeo fructuoso operi atque ipsis fratribus et Christoforo de opportuno remedio celeriter si non provideatur facile evenire posse, ut progressus eiusdem operis fructusque inde qui expectantur impediantur ac zelus ac pium et laudabile in id dicti Christofori propositum defetiscat et quamvis omnibus in iustitia debitores simus in hiis tamen locis que ad religionis et fidei catholice propagationem atque divini cultus augmentum fundantur et construuntur ab indebitis oppressionibus et perturbationibus sublevandis propensiores esse nos deceat premissis; igitur ex incumbenti nobis pastoralis officii debito etiam aliis iustis et rationabilibus causis animum nostrum moventes occurrere volentes ac instrumentorum et aliarum quarumcumque scripturarum publicarum vel privatarum inter Christoforum et fratres ac priores provinciales prefatos premissorum occasione quomodolibet confectorum ac dicti processus pactorumque promissionum capitulorum et aliorum desu-

per quomodolibet confectorum ac alias etiam verbotenus inter eos simul vel successive etiam diversis temporibus initorum et stipulatorum veriores tenores, formas causas et compendia veriora litis quoque et cause seu questionis et controversie materie huiusmodi ut prefertur seu alias desuper quomodolibet vertentes et que adhuc verse fuerunt statum et merita ac nomina, cognomina, dignitates iudicum et collitigantes insuper soli et aree in quo domus et ecclesia seu capella huiusmodi fundate et constructe fuerunt ac dictarum domorum partis ecclesie et aliorum bonorum et rerum a dicto Christoforo pro dote dictorum domus seu conventus et ecclesie seu alias illis quomodolibet donatorum et applicatorum situationes adiacentias, diocesis confines, nuncupationes, denominationes, vocabula, quantitates, qualitates, veros annuos, valores, ceteraque omnia et singula hic de necessitate magis exprimenda etiam si talia essent que in generali sermone non comprehenderentur sed vota et expressione speciali ac individua indigerent pro plene et sufficienter expressis habentes seu quandocumque eisdem Christoforo et fratribus videbitur illa omnia et singula de verbo ad verbum exprimi posse concedentes, necnon causam et causas ac lites et controversias sive litis et controversie materiam huiusmodi desuper quomodolibet tam in petitorio quam possessorio ubilibet coram predictis aut quibusvis aliis iudicibus ordinariis seu delegatis vel mixtis ecclesiasticis vel secularibus quacumque dignitate, auctoritate, gradu et preeminentia fungentibus in quacumque instantia etiam adhuc forsan pendente, etiam cum omnibus et singulis illarum incidente dependentibus, emergente annexis et connexis ac toto negotio principali ex nunc harum serie ad nos avocantes ac illas penitus et omnino extinguentes, motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblate petitionis instantiam sed ex mera deliberatione et certa scientia nostris ac de Apostolice potestatis plenitudine assignationem soli et aree huiusmodi necnon domus seu conventus ac ecclesie seu capelle fundationem, erectionem, institutionem et dotationem seu bonorum et rerum pro dote donationem et traditionem huiusmodi ac prout illas concernunt omnia et singula in instrumentis et scripturis huiusmodi contenta necnon pacta, conventiones et capitula desuper ut prefertur ac alias quomodolibet inita et processum et sententiam huiusmodi de quibus omnibus et singulis plenam, certam et indubitatam notitiam habuimus et habemus aliaque quecumque pro tempore in favorem dictorum Christofori et fratrum quomodolibet inde secuta Apostolica auctoritate tenore presentium perpetuo confirmamus et approbamus ac illis perpetue et inviolabilis firmitatis robur adicimus, appellationem vero reclamationem, nullitatem, iniquitatem, iniusticiam, revisionem, recursum, restitutionem in integrum iudicis officium seu aliud quodvis

iuris vel equitatis remedium ordinarium vel extraordinarium pro parte dictorum vicarii archidiaconi Aloysii, Alfonsi et Indianorum ac aliorum quorumvis cuiusvis status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis et preeminentie existentium adhuc forsan et in futurum quomodolibet ut prefertur seu alias forsan pro tempore interposita, proposita, intentata et implorata, necnon quecumque rescripta etiam Apostolica et litteras desuper impetrata et impetranda seu etiam motu simili concessa vel concedenda processusque omnes illorum vigore pro tempore habitos eisdem auctoritate et tenore cassamus, revocamus, irritamus et viribus omnino evacuamus ipsasque soli et aree assignationem, necnon domus seu conventus et ecclesie seu capelle et aliorum et edificiorum predictorum erectionem, institutionem, fundationem, constructionem, dotationem seu domorum perpetue ecclesie ac aliorum bonorum et rerum pro dote predicta traditionem et donationem, necnon sententiam et processum in favorem Christofori et fratrum predictorum ut supra emanatas omniaque et singula inde pro tempore ad eorundem favorem sequuta suos plenarios et integros effectus omnino sortiri debere volumus et statuimus et ipsis archidiacono seu vicario Aloysio, Alfonso, Indianis, locorum ordinariis et aliis quibusvis super premissis omnibus et singulis, ita quod ipsi vel eorum aliqui amplius ullo unquam tempore quavis ratione, iure, causa aut colore audiri non possint vel debeant perpetuum silentium imponimus ac omnes et singulos tam iuris quam facti ac citationum, processuum et aliarum quarumcumque solemnitatum etiam substantialium magisve forsan in premissis quomodolibet necessariorum defectus si qui forsan intervenerint in eisdem supplemus et insuper dictas domos cum parva ecclesia ceteraque omnia et quecumque res et bona tam adhuc per eundem Christoforum et alios quoscumque eisdem domui sive conventui ac ecclesie seu capelle et fratribus donata, tradita et concessa quam ea que aliquo tempore in futurum quomodolibet donari et tradi contigerit ipsis domui sive conventui et ecclesie seu capelle et fratribus auctoritate et tenore predictis similiter perpetuo concedimus et applicamus; preterea, ut fratres pro tempore in dicta domo commorantes premissa omnia et singula ac alia ad que iuxta formam conventionum, pactorum et capitulorum cum eodem Christoforo initorum facilius omnibus impedimentis semotis exequi et adimplere valeant ecclesiam dicte domus sive conventus Sancti Christofori nuncupatam in parrochialem ecclesiam cum turri sive campanilli, campanis, fonte baptismati, cimiterio, aliisque iuribus et insigniis parrochialibus exnunc Auctoritate et tenore similibus perpetuo erigimus et instituimus, priorem vero seu vicarium aut alium ex eisdem fratribus ad eorum tamen nutum amovibilem et per eos ad id constituendum rectorem pro tempore dicte par-

rochialis ecclesie constituimus ipsisque ius parrochiale in eadem ecclesia et domo ac extra illas in omnes et singulos utriusque sexus christifideles dictarum partium Indianos et alios quoscumque undevis oriundos ad easdem ecclesiam et domum sive conventum pro tempore confluentes ac ecclesie huiusmodi se subiicientes seu a quibus fratres ipsi requisiti fuerint ita quod ibidem fontes baptismates erigere, cimiterium benedictum pro tumulandis christifidelibus ab hac luce decedentibus habere, constituere et retinere, baptismumque, penitentie, sacre eucharistie et alia sacramenta etiam tempore paschatis resurrectionis Dominice aliaque sacramenta ecclesiastica neophitis Indianis et aliis christifidelibus predictis ministrare, verbum Dei populis annunciare et predicare confessiones eis confiteri volentium audire, nuptias et matrimonia etiam in facie ecclesie iuxta ritum et morem catholicum benedicere et in facie sancte matris Ecclesie solempnizare, decedentium cadavera in cymiterio et ecclesia predictis ecclesiastice sepulture tradere ac alias dictorum christifidelium animarum curam habere et exercere, christifidelium oblationes, funeralia et alia iura parrochialia ab eis recipere, exigere et percipere ac omnia alia et singula que alii ecclesiarum parrochialium rectores in illis ac intra earum limites de iure, usu, privilegio vel consuetudine in omnes utriusque sexus sub illis degentes habent, faciunt, dicunt, gerunt et exercent, facereve, dicere, gerere et exercere possunt, fratres quoque antedicti ac ad id ut prefertur rector deputandus habere, facere, dicere, gerere et exercere libere et licite possint et valeant eisdem auctoritate et tenore etiam perpetuo concedimus. Ac etiam priori seu vicario et fratribus, qui pro tempore in dicta domo seu conventu fuerint ac omnibus et singulis illorum colonis, familiaribus, famulis, servitoribus, conversis, oblatis et donatis omnia et singula privilegia, exemptiones, immunitates, indulta, facultates, concessiones, conservatorias et alias quascumque gratias tam spirituales quam temporales sacro ordini fratrum predicatorum omnibusque et singulis illius domibus, conventibus, collegiis, ecclesiis, capellis, membris, locis ac eorum religiosis et personis tam in Hispania quam Italia et quacumque alia mundi parte etiam in alma Urbe nostra et presertim ecclesie et domui beate Marie supra Minervam de Urbe eiusdem ordinis per quoscumque Romanos Pontifices et predecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam quomodolibet etiam vive vocis oraculo, necnon Imperatores, Reges, duces, principes, prelatos et alios quoscumque dominos spirituales vel temporales sub quibusvis verborum formis, tenoribus, expressionibus, clausulis et decretis, genere vel specie, aut alias quomodolibet etiam per viam comunicationis et extensionis ac iteratis vicibus concessa et concedenda ac quibus ordo ipse alieque eius ecclesie, capelle, domus, conventus, col-

legia, membra et loca personeque ibidem pro tempore degentes utuntur, potiuntur et gaudent uti et frui, potiri et gaudere de iure, usu, privilegio aut consuetudine seu alias quomodolibet poterunt in futurum, ita quod eisdem omnibus et singulis prior quoque seu vicarius et fratres antedicti ac predicta eorum domus sive conventus, ecclesia seu capella, membra, loca, coloni, familiares, famuli, servitores, conversi, oblati, donati et alie persone predicte pariformiter et eque principaliter absque ulla penitus differentia utantur, fruantur, potiantur et gaudeant, utique potiri, frui et gaudere possint ac debeant ac si domui seu conventui et ecclesie seu capelle Sancti Christofori huiusmodi illarumque pro tempore priori seu vicario et fratribus aliisque personis predictis specialiter et expresse ac nominatim concessa fuissent et concederentur auctoritate et tenore predictis similiter perpetuo concedimus et elargimur privilegiaque, exemptiones, immunitates, indulta, conservatorias, favores, facultates, concessiones et gratias huiusmodi ad easdem domum ac ecclesiam seu capellam Sancti Christofori illiusque priorem et fratres pro tempore existentes et eorum singulos extendimus sibique ex nunc communicamus; et insuper, ut ecclesia seu capella domus Sancti Christofori huiusmodi in maiori veneratione habeatur ad illam quoque christifideles eo libentius devotionis causa confluant quo se uberius ex hoc celestis dono gratie conspexerint esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis Indianis et aliis undecumque oriundis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui ecclesiam seu capellam domus Sancti Christofori huiusmodi, in festo ipsius Sancti Christofori, a primis vesperis usque ad occasum solis diei festi huiusmodi annis singulis perpetuis, futuris temporibus devote visitaverint et inibi pro pace inter principes christianos conservanda, heresum extirpatione et eiusdem Sancte Matris Ecclesie et Sedis Apostolice exaltatione humiles et pias ad Deum optimum maximum preces effuderint quoties id fecerint plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, necnon, ut animarum defunctorum salus quo magis aliorum egent suffragiis et minus sibi ipsis proficere valent eo accuratius procuretur singulis dictorum Indianorum et aliorum undecumque oriundorum christifidelium animabus nunc et pro tempore in purgatorio existentibus que per charitatem ab hac luce Christi unite pro tempore decesserunt et dum viverent sibi ut thesaurum celeste Sancte Matris Ecclesie suffragaretur meruerunt pro quibus sacerdos quilibet tam secularis quam predicti vel alterius ordinis regularis qui in maiori seu alio per priorem provincialem dicti ordinis in ipsa provincia pro tempore existente in prefata Sancti Christofori ecclesia seu capella consti-

tuendo altari missam pro requie defunctorum celebraverit et pro ipsis animabus in purgatorio expensi causa penas eisdem secundum divinam iustitiam iniunctas retentis pietate commotus humiles et devotas ad Deum optimum maximum preces effuderit quoties id fecerit ad liberandum unam ex eisdem animabus a penis predictis et pro illarum relaxatione, quod celebratio et preces huiusmodi quantum divine bonitati placuerit suffragentur de Apostolice potestatis plenitudine ac thesauro Ecclesie meritorum Domini nostri Iesu Christi et Sanctorum martirum per modum suffragii tantum, ut a penis purgatorii liberari possit anima divina acceptante providentia misericorditer in Domino auctoritate et tenore supradictis etiam perpetuo concedimus et elargimur. Ceterum ipsi Christoforo de Torres qui personaliter ad eandem Almam Urbem tanto itineris intervallo atque tot procellosis maribus interiectis ab Indiarum partibus huiusmodi distantem se contulit et in ea adhuc degit ut quascumque Sanctorum et Sanctarum reliquias ex monasterio Trium Fontium extra dictam Urbem de licentia ibidem presidentis extrahere illasque ad dictam domum et ecclesiam seu capellam Sancti Christofori transportare seu transmittere et inibi perpetuo permansuras honorifice collocari facere absque aliquarum censurarum vel aliarum penarum incursu libere et licite possit et valeat indulgemus, districtius inhibentes venerabilibus fratribus nostris moderno et pro tempore existenti episcopo del Cuzco necnon omnibus et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis et locorum ordinariis ac dilectis filiis abbatibus et aliis ecclesiarum prelatis, decanis, archidiaconis et canonicis illorumque respective vicariis et officialibus necnon vicario, archidiacono Aloysio, Alphonso et Indianis prefatis ceterisque aliis cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et preeminentie existentibus et quacumque auctoritate seculari vel ecclesiastica fungentibus in virtute sancte obedientie ac sub interdicti ingressus ecclesie et suspensione a divinis quo ad Antistites, quo vero ad inferiores sub maioris excommunicationis et mille ducatorum ab ipsis et eorum quomodolibet quoties contra fecerint auferendorum dicteque domui sive conventui et ecclesie Sancti Christofori Apostolicam eo ipso incurrendis penis precipientes, ne de cetero erectionem, fundationem, constructionem, dotationem sive bonorum traditionem huiusmodi impedire ipsosve Christoforum et fratres pro tempore aut quosvis alios in premissis et circa ea aliquo modo tacite vel expresse aut quominus avocatione, extinctione, approbatione, confirmatione, cassatione, revocatione, irritatione, voluntate, statuto perpetui silentii impositione, suppletione, applicatione, erectione, constructione, concessione, extensione, communicatione, elargitione, indulto, decreto, omnibusque aliis et singulis presentibus litteris quomodolibet contentis paci-

fice utantur, fruantur, potiantur et gaudeant inquietare, vexare aut perturbare, adversusque easdem presentes ac omnia et singula in eis contenta ullo pacto insurgere, reclamare, obloqui, murmurare, susurrare, recursum iudicialiter vel extra iudicialiter habere aut quicquam aliud directe vel indirecte facere, dicere, procurareve audeant vel presumant. Quinimo omnibus et singulis eisdem presentibus quomodolibet contentis prompta devotione et equo animo omni tempore parcant et aquiescant, ac decernentes litteras huiusmodi et in eis quomodolibet contenta omnia et singula de surreptionis vel obreptionis aut intentionis nostre vel nullitatis seu alio quopiam defectu etiam pretextu quod ius quesitum alicui oblatum fuerit aut vicarius, archidiaconus Aloysius, Alphonsus, Indiani, seu quivis alii vocandi ad hoc vocati et auditi non fuerint, impugnari, notari vel infringi, nequaquam posse aut debere eosdemque Christoforum et fratres ad iustificandum causas propter quas emanarunt coram loci ordinario aut alio quocumque etiam tamquam a Sede Apostolica delegato vel ad id deputato nullo modo obligatos esse vel teneri minusquam sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum et indulgentiarum etiam plenariarum revocationibus, suspensionibus, annullationibus, modificationibus, limitationibus, derogationibus etiam per nos ac Sedem Apostolicam etiam motu proprio ac consistorialiter seu intuitu Regum vel aliorum principum etiam ex causis quantumcumque urgentissimis et iustissimis etiam de fratrum nostrorum consilio et assensu pro tempore etiam in favorem cruciate sancte ac fabrice basilice Principis Apostolorum de Urbe et alias quomodolibet factis regulisque Cancellarie Apostolice et constitutionibus Apostolicis editis seu edendis comprehensa, sed semper ab illis excepta et quoties ille emanabunt toties in pristinum ac validissimum statum restituta et de novo etiam sub datis per ipsos Christoforum et fratres pro tempore existentes eligenda concessa esse et censeri semperque valida et efficacia existere suosque plenarios et integros effectus sortiri et fratribus prefatis perpetuo et inviolabiliter suffragari, sicque in premissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes etiam Sancte Romane Ecclesie cardinales ac causarum Sacri Palatii nostri Apostolici auditores sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et diffiniri debere necnon irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prelatis illorumque vicariis et officialibus ceterisque personis in dignitate ecclesiastica constitutis Ecclesiarum quoque patriarchalium, metropolitanarum seu catedralium

decanis, archidiaconis, canonicis ubivis locorum pro tempore commorantibus et constitutis motu et motum similibus per Apostolica scripta mandamus quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios presentes litteras et in eis contenta quecumque ubi et quando opus fuerit ac quoties pro parte ipsorum Christofori et fratrum vel alicuius eorum super hoc fuerint requisiti solemniter publicantes eisque in premissis efficacis defensionis presidio assistentes faciant auctoritate nostra presentes litteras et in eis contenta huiusmodi firmiter observari ac avocatione, extinctione, omnibusque aliis et singulis premissis pacifice frui et gaudere eaque ad unguem per omnes et singulos ad quos spectat et spectabit perpetuo inviolabiliter observari, non permittentes eos vel eorum aliquem minusque dictos Indianos et alios utriusque sexus quoscumque ad dictam domum sive conventum et ecclesiam seu capellam Sancti Christofori quomodolibet confluentes et accedentes in premissis seu aliquo premissorum quomodolibet per dictos episcopum et capitulum del Cuzco ac vicarium, archidiaconum Aloysium, Alfonsum, seu alios Indianos et locorum ordinarios, aut alios quoscumque cuiusvis status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis et preeminentie existentis publice vel occulte directe vel indirecte tacite aut expresse quovis quesito, colore vel ingenio impediri, molestari, inquietari, vel alias quomodolibet perturbari molestatores seu contradictores quoslibet et rebelles et premissis non parentes per sententias, censuras et penas ecclesiasticas, appellatione postposita compescendo ac legitimus super his habendis servatis processibus illos censuras et penas ipsas incurrisse declarando, necnon eas etiam iteratis vicibus aggravando interdictum ecclesiasticum imponendo et ad hoc si opus fuerit auxilium brachii secularis invocando. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii papae VIII, predecessoris nostri qua canitur nequis extra suam civitatem vel diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur seu ne iudices a Sede Apostolica deputati extra civitatem vel diocesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere aut alii vel aliis vices suas committere presumant et de duabus dietis in concilio generali edita dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate presentium [...] ad iudicium non trahatur et quantum opus sit nostra de non tollendo cuique ius quesitum aliisque quibusvis Camere Apostolice regulis necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, illis presertim quibus caveri dicitur expresse ne predicti aut aliorum mendicantium ordinum fratres seu professores nova loca ad habitandum recipere presumant sine dicte Sedis expressa licentia prohibitionis huiusmodi mentionem specialem facientes ac etiam iuramento, con-

firmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis quibusvis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et efficacissimis etiam vim contractus inducentibus clausulis irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie etiam motu simili et ex certa scientia et ad quorumvis etiam Regum, reginarum, ducum aut aliorum principum instantiam et alias quomodolibet concessis ac etiam pluries approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum veriores tenores, formas ac datum et decreta in eis apposita, ac si de verbo ad verbum presentibus insererentur pro sufficienter expressis et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem nulli [etc.] nostre invocationis, extinctionis, confirmationis, approbationis, adiectionis, cassationis, revocationis, irritationis, evacuationis, voluntatis, statui, impositionis, supplicationis, applicationis, erectionis, institutionis, constitutionis, extentionis, communicationis, concessionis, elargitionis, indulti, inhibitionis, decreti, mandati et derogationis etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice 1570, tertio Idus Septembris, Pontificatus Nostri Anno quinto.

255

Sacrosanctae Romanae Ecclesiae

Reg. Vat. 2012 fol. 254r-257v — die 12 octobris 1570

CONFIRMATIO FUNDATIONIS DOMUS ET CONFRATERNITATUM IN *PERÚ*

Pacem inter personas religiosas conservare aut restituere et christifideles praesertim nuper conversos divinae gratiae aptiores reddere, pastorale officium Summi Pontificis est. Christophorus de Torres, qui a pluribus annis in regionibus Indiarum cum aliis missionariis Ordinum Mendicantium evangelium praedicavit, in dioecesi Cuzconensi domos sub invocatione Sancti Christophori erexit ac confraternitates fundavit, ad quas approbandas Pontifex Cardinali Iustiniano facultatem concedit, et confraternitatibus ea privilegia, gratias et favores largitur, quibus confraternitates Ecclesiae Sanctae Mariae supra Minervam Romae gaudent. Ordinario loci et quibusvis aliis non licet confraternitates istas molestare aut perturbare. Patriarchae Alexandrino, archiepiscopo Limensi et episcopo Cherrchensi mandatur, ut ipsi vel duo aut unus eorum praesentes litteras solemniter publicent et in effectum perducant.

Pius V

Ad perpetuam rei memoriam. Sacrosancte Romane Ecclesie quam Dei filius Dominus noster Iesus Christus auctor ipse pacis et tranquillitatis fundavit regimini superna dispositione presidentes ad ea libenter pro debito pastoralis officii intendimus, per que tranquillitas inter quasvis personas ecclesiasticas et presertim sub suavi religionis iugo Domino famulantes permaneat ac regularis vite institutio iam diu a sanctis viris tam pie et religiose inventa et constituta conservetur et si quid deperire inceperit, Domino concedente in suum pristinum reflorescat statum ac uberes fructus bonorum operum in dies accrescant, et persone ipse Domino secundum dicte regule puritatem famulantes animarum suarum salutem, Domino miserante, facilius consequi et ceteris christifidelibus vite ac morum exemplo proficere valeant ad salutem et, ut premissa facilius optatum consequantur effectum, nonnulla Romanus Pontifex super hiis statuere et ordinare ac alias opportune providere consuevit prout in Domino conspicit salubriter expedire, fideles etiam quoslibet presertim quos in diutina idolatrie caligine miserabiliter aberrantes Altissimus nuper in viam lucis eterne deduxit ad pia et meritoria opera spiritualibus muneribus, indulgentiis scilicet et peccatorum remissionibus frequenter invitando, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cum itaque sicut accepimus, licet annis retroactis Indiarum provinciis sive regionibus maris Oceani, Deo optimo maximo auspice, ad notitiam fidelium deductis et pro

maiori illarum parte sub ditione charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici redactis Deoque et dicti Philippi Regis presidio auxiliantibus, ad illas partes pro verbi Dei ac fidei et religionis christiane predicatione, quam pluribus diversorum maxime mendicantium ordinum religiosis transmissis, quorum predicatio ibidem ita prevalint, ut fere illarum maior pars populorum ad cognitionem divini numinis, fideique catholice et religionis Christiane cultum et observationem conversi, ibique a nobis et predecessoribus nostris Romanis Pontificibus Sanctaque Sede Apostolica, quam plures Metropolitanae Cathedrales ac etiam parrochiales ecclesie erecte et institute ac ad illarum regimen et administrationem Catholici presules, pastores et rectores deputati fuerint, nichilominus ob nimiam ad partes sive regiones ipsas distantiam et difficilem ad eas accessum illarumque latitudinem partes sive regiones ipse non ita viris religiosis et presbiteris replete fuerint, ut deceret, ita ut ibi messis quidem multa, operarii antem pauci reperiantur, quo fit ut quamplures ex Indianis ipsis divino afflatu predicationeque et doctrina dictorum religiosorum ad fidem Catholicam illuminati et accensi, petentes iuxta dictum prophete panem in mensa Domini non est, qui frangat eis, et multi earundem partium infantes et parvuli sine baptismi, alii vero etate maiores sine sacramentorum Ecclesiasticorum munere ob penuriam sacerdotum et religiosorum virorum qui baptismum et alia sacramenta Ecclesiastica ibidem iuxta ritum et morem Catholice Ecclesie ministrent ab hoc seculo decedant, que omnia previdens dilectus filius Christoforus de Torres civitatis Illerden. oriundus qui pluribus iam elapsis annis ad partes sive regiones ipsas se contulit ibique et maxime in Regnis del Peru et provincia de Parinacochia ac diocesis del Cuzco nuncupatis, lares et domicilium suum constituit laboreque et industria suis multas honestas opes et facultates acquisivit et considerans presentis mundi statum transitorium et vanum admodum esse in divitiis et facultatibus huius seculi spem aliquam collocare ac cupiens in celo thesaurizare, et mundana cum celestibus felici commercio commutare zelo devotionis, quem erga Dei electum Sanctum Christoforum necnon gloriosum Dei confessorem beatum Dominicum et sacrum fratrum predicatorum Ordinem gerebat illius genitricem maiori qua possit in reverentia haberi, ac omnibus in locis venerari et coadorari summis desideramus affectibus priorem seu vicarium et fratres predictos et eorum singulos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, necnon privilegiorum, facultatum, exemptionum, indultorum, statutorum et aliarum gratiarum prefatarum litterarumque desuper confectarum, tenores etiam veriores, presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, modernis et pro tempore existentibus

priori seu vicario fratribus domus seu conventus Sancti Christofori huiusmodi, ut in illius ecclesia unam ad instar rosarii seu psalterii beate virginis Marie et aliam ad instar nominis Dei seu iuramentorum, reliquam vero etiam ad instar sacratissimi corporis Christi in ecclesia domus beate Marie supra Minervam institutarum confraternitatum huiusmodi utriusque sexus christifidelium confraternitates cum similibus et seu aliis capitulis, ordinationibus et statutis per ipsarum confraternitatum confratres licitis tamen et honestis ac alias iuxta eorundem prioris seu vicarii et fratrum devotionem de approbatione tamen sive assensu dilecti filii nostri Vincentii sancte Romane Ecclesie presbiteri cardinalis Iustiniani nuncupati eiusdem Ordinis vice magistri generalis seu dictimet Ordinis in Romana curia procuratoris et vicarii generalis erigendi et instituendi, que postquam sic, ut prefertur, institute et per dictum Iustinianum cardinalem seu procuratorem et vicarium generalem approbate fuerint eo ipso Apostolica auctoritate, etiam cum opportuna iuris et facti defectum suppletione confirmate sint et esse censeantur dicta auctoritate tenore presentium facultatem et auctoritatem. Necnon in ipsis confraternitatibus postquam, ut prefertur, erecte fuerint omnes et singulos utriusque sexus christifideles tam ecclesiasticos quam laicos ac etiam regulares cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis fuerint recipere, admittere et describere, ipsisque sic admissis, receptis et descriptis ex omnibus et singulis privilegiis, prerogativis, gratiis, favoribus et indultis, quibus dicte rosarii sive psalterii nominis Dei et sacratissimi corporis Christi in ecclesia beate Marie supra Minervam huiusmodi sic ut prefertur erecte et institute confraternitates, illarumque confratres tam ex privilegio vel indulto Apostolico quam consuetudine aut alias hactenus usi et gavisi sunt, ac imposterum utentur et gaudebunt perpetuo uti, potiri et gaudere ac transumpta eorundem privilegiorum, indultorum et gratiarum a dictis confratribus de Minerva impetrare, et postmodum illis etiam uti perinde ac si domui seu ecclesie Sancti Christofori et confraternitatibus in ea, ut prefertur, erigendis illarumque confratribus concesse fuissent quodque confratres dictarum confraternitatum processiones earundem rosarii sive psalterii nominis Dei et sacratissimi corporis Christi annis singulis et quovis die seu quibusvis diebus ipsis aut earundem confraternitatum administratoribus pro tempore existentibus beneviso seu benevisis ac per vias et loca etiam per eosdem administratores ordinanda infra tamen ecclesiam et domum Sancti Christofori huiusmodi, et illius pertinentias consistentia honeste et reverenter facere ac in sepeliendis confratribus defunctis earundem confraternitatum aliisque illis devotis feretro tumba de volta nuncupato, quo semper usi fuerunt etiam perpetuo uti ac illud humeris deferre et por-

tare seu portari facere. Necnon per se aut ministros dictarum confraternitatum eleemosinas pro cera et aliis confraternitatibus ipsis necessariis petere et querere. Et insuper quecumque licita et honesta statuta et ordinationes felix regimen et prosperum statum et gubernationem dictarum confraternitatum illarumque rerum spiritualium et temporalium ac confratrum quomodolibet concernentia concedere et facere eaque condita et facta quoties sibi videbitur mutare, alterare, limitare, corrigere, declarare, modificare et in melius reformare ac quoties illis placuerit in toto vel parte cassare de tamen approbatione pro tempore existentis dicti Ordinis magistri generalis seu in dictis regnis et Indiis eiusdem Ordinis provincialis que postquam edita, facta, mutata, alterata, limitata, correcta, declarata, modificata et in melius reformata ac ut prefertur per magistrum generalem seu provincialem confirmata fuerint eo ipso etiam Apostolica auctoritate confirmata sint et esse censeantur libere et licite possint et valeant ordinarii loci pro tempore existentis aut cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita. Itaque super premissis vel eorum occasione per ipsum ordinarium aut quosvis alios molestari, perturbari vel inquietari non possint Apostolica auctoritate tenore presentium perpetuo concedimus et indulgemus ac illis licentiam et facultatem impartimur necnon eademmet privilegia, indulta, exemptiones et gratias confraternitatibus rosarii ac nominis Dei et corporis Christi illarumque confratribus huiusmodi concessa eisdem similibus erigendis confraternitatibus ac in illis describendis confratribus in omnibus et per omnia auctoritate et tenore predictis comitamus et concedimus ac confratres predictos super libera premissorum cum fruitione a quoquam nullatenus impediri seu alias molestari posse volumus et declaramus ceterum confratres ipsos et eorum singulos ad statutorum prefatorum observationem teneri et efficaciter obligatos esse censurisque et penis tam ecclesiasticis quam pecuniariis ad id compelli posse eisdem auctoritate et tenore etiam perpetuo statuimus et ordinamus necnon presentes litteras de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostre defectu nullo unquam tempore quovis quesito colore vel ingenio mutari vel impugnari posse nec sub quibusvis suspensionibus, revocationibus, derogationibus, alterationibus vel aliis contrariis dispositionibus similium vel dissimilium privilegiorum, indultorum, exemptionum et gratiarum, etiam per nos et Sedem Apostolicam quomodolibet pro tempore factis sive concessis [...] comprehensas, sed semper ab illis exceptas et quoties ille emanabunt toties in pristinum et validum statum restitutas et de novo etiam sub data per ipsos confratres eligenda concessas fore illisque suffragari et sic per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii Apostolici auditores ac sancte Romane Ecclesie cardinales sublata eis et

eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et diffiniri debere, ac quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit irritum et inane decernimus et declaramus. Quocirca venerabilibus fratribus nostris patriarche Alexandrin. et archiepiscopo civitatis Regum et episcopo Cherrchen. etc. mandamus quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios easdem presentes litteras et in eis contenta quecumque ubi et quando opus fuerit ac quotiens pro parte prioris et fratrum predictorum seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti solemniter publicantes eisque in premissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostra presentes et in eis contenta huiusmodi firmiter observari ac singulos quos ipse presentes littere concernunt illis pacifice gaudere non permittentes eos desuper contra earundem presentium tenorem quomodolibet molestari contradictores quoslibet et rebelles per censuras et penas ecclesiasticas appellatione postposita compescendo ac limitis super his habendis servatis processibus illos censuras et penas ipsas etiam incurrisse declarando interdictum ecclesiasticum imponendo et auxilium brachii secularis si opus fuerit invocando. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii papae VIII predecessoris nostri, qua canitur, ne quis extra suam civitatem vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede Apostolica deputati extra civitatem vel diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere presumant et de duabus dietis in concilio generali edita dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate presentium ad iudicium non extrahatur, ac quacumque exceptione vel limitatione in transumpto a rectoribus dictarum confraternitatum ecclesie beate Marie supra Minervam sumendo et extrahendo forsan apponenda aliisque quibusvis Apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac quibusvis quibuslibet et quibuscumque revocatoriis aliisque Cancellarie Apostolice regulis editis et edendis, ac etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris Apostolicis quibusvis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis clausulis irritantibusque et aliis decretis in genere vel specie ac alias quomodolibet concessis, et etiam pluries approbatis et innovatis. Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa et individua, non autem pro clausulas generales idem importantes mentio, seu quevis

alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum veriores tenores, formas ac datum et decreta in eis apposita, ac si de verbo ad verbum presentibus insererentur pro sufficienter expressis et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Nulli etc. nostre absolutionis, concessionis, indulti, impartitionis, communicationis, voluntatis, declarationis, statuti, ordinationis, decreti, mandati et derogationis infringere etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice 1570, quarto Idus Octobris, Pontificatus Nostri Anno quinto.

256

Quo charissimum in Christo

Sec. Brev. 19 fol. 13r-15v — die 24 ianuarii 1571
Wadding, Annales XX (Romae 1794) Reg. Pont. ad an. 1571 n. 90 p. 504-506

MISSIONARII ET PRAEPOSITI REGULARES PRO PARTIBUS INDIARUM

Praedecessoris Adriani papae vestigiis insistens ac Philippi regis supplicationibus inclinatus Pontifex ordinat, ut omnes fratres Ordinum Mendicantium, praesertim Ordinis Minorum regularis observantiae a propriis praelatis nominati, zelo fidei propagandae vel confirmandae inducti, qui ad hoc opus idonei reperiantur, libere et licite se ad partes Indiarum transferre possint. Ad confusionem autem vitandam Pontifex vult ut rex aut eius Consilium numerum congruentem fratrum mittendorum praefigat. Praeterea, ne huiusmodi operarii evangelici *sint veluti oves sine pastore* Pontifex statuit ut per eiusdem Ordinis Ministrum generalem ante illorum discessum unus eorum nominandus sit, qui eis praesit ad septennium, quo finito alii duo a Ministro generali

electi pro fratrum arbitrio ipsi succedant, nisi interim alium eligant a Generali approbandum, qui eis praesit iuxta suas constitutiones. Horum iterum praepositorum auctoritas in utroque foro exercenda a Ministro generali limitari potest, dum in partibus, ubi ecclesiae cathedrales nondum erectae vel nimis distantes sint in foro conscientiae etiam quoad fratres suos et alios cuiuscumque Ordinis necnon super Indos ad fidem conversos auctoritate, qua episcopus uti posset, et ipsi potiri et gaudere libere possint.

Pius V

At futuram rei memoriam. Quo charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum Regem Catholicum in propagandis christianae ditionis finibus diligentem ac sollicitum esse videmus eo summa nos ope niti decet, ut quos ipse Philippus Rex Dei omnipotentis auxilio imperio suo subiecerit eos in fide Catholica et religione Christiana erudiri et retineri sedulo curemus. Cum itaque sicut ipse Philippus Rex exponi nobis nuper fecit dilecti filii fratres mendicantium ordinum et maxime minores regularis observantiae adeo semper et dignitate et fama inter religiosos claruerint, ut felicis recordationis Adrianus papa sextus praedecessor noster per suas in forma brevis litteras ad supplicationem clarae memoriae Caroli quinti Romanorum et Hispaniarum Regis tunc in imperatorem electi in partes Indiarum ditioni suae subiectarum ad praedicandum populo Indico Evangelium mitti voluerint ipsique fratres postea in illis partibus tantum profecerint, ut rempublicam Christianam mirum in modum auxerint auctamque confirmaverint, nos, qui ex iniuncta nobis cura pastorali ad ea quae salutem animarum concernunt, intendere super omnia tenemur existimantes eos maxime idoneos esse qui illuc ad vineam Domini augendam et colendam mittantur, ipsius Adriani praedecessoris vestigiis insistentes ac litterarum dicti praedecessoris tenorem presentibus pro expressis habentes eiusdem Philippi Regis nobis super hoc porrectis supplicationibus inclinati, statuimus et ordinamus, ut omnes fratres ordinum mendicantium praesertim ordinis minorum regularis observantiae a suis praelatis nominati, qui divino spiritu ducti ultro ac sponte voluerint ad partes Indiarum praefatarum causa invertendi et instituendi ac confirmandi in dicta fide Indiarum incolas se transferre libere et licite possint et valeant, dummodo tantum sint talis sufficientiae in vita et doctrina quod eidem Philippo Regi aut consilio suo sint grati ac tanto operi idonei super hoc quo conscientias eorum qui



eisdem fratribus praesident ac quibus eosdem ad hoc munus nominandi et ut se ad Indorum partes transferre possint licentiam impartiendi onus incumbit oneramus, et ut in tam sancto opere meritum obedientiae non desit, omnibus, qui ut praefertur nominati fuerint et se sponte obtulerint ad meritum obedientiae praecipimus, ut praedictum iter et opus exemplo discipulorum Christi Domini nostri exequantur, pro certo sperantes, ut sicut eos in labore imitati fuerint, ita et in praemio eos sociabuntur praedictisque fratribus nostram et apostolicam benedictionem libentissime exnunc impartimur. Sed ne forte numerus fratrum huiusmodi sit tantus, ut pariat confusionem, volumus, ut ipse Philippus Rex aut suum consilium praedictum assignet et praefigat numerum fratrum mittendorum. Tales autem fratres sic nominati seu licentiati ab eorum superioribus etsi sint in officiis confessionis, praedicationis, lectionis, guardianatus, custodiatus, ministeriatus, provincialatus, commissariatus generalis quibus non obstantibus transferri possint et debeant, verum ne praedicti fratres sint veluti oves absque pastore statuimus et ordinamus ut ex se ipsis valeant eligi duo vel tres per eiusdem ordinis generalem ministrum ante eorum discessum, quorum unus per eos seu eorum maiorem partem dum illuc appulerint nominandus eis praesit ad septennium, quo finito alii duo per eundem generalem ministrum electi praedicti successive arbitrio eorundem fratrum illi succedant praefecti per dictum tempus septennii, vel si eisdem fratribus videbitur, ipsi alium eligant ante finem dicti septennii, approbandum tamen per dicti ordinis generalem ministrum pro tempore existentem et ipse sic nominatus et approbatus in dictis terris eis praesit iuxta suas constitutiones, prout in Hispania fieri consuevit praelationem huiusmodi habeant, maneantque omnes semper in obedientia generalis ministri et capituli generalis, decernentes quicquid absque nostro consensu et mandato super his fuerit attentatum nullius esse momenti et quia praedictae terrae Indiarum valide distant a partibus ubi generalis minister degere consuevit, ac propterea difficile foret ad eum recurrere in casibus ad eundem generalem ministrum pertinentibus, per praesentes concedimus, ut fratres qui pro tempore assumentur ad regimen aliorum fratrum in dictis terris Indiarum habeant in utroque foro super fratres sibi commissos omnem auctoritatem et facultatem quam generalis minister sub cuius obedientia semper manere debent, possit praedictam auctoritatem limitare et arctare prout ei visum fuerit ac insuper, ut conversio infidelium praedictorum et eorum in dicta fide confirmatio melius fieri valeant et saluti animarum incolarum partium Indiarum huiusmodi provideatur, volumus et praedicta auctoritate decernimus quod praedicti praelati et alii, quibus ipsi de fratribus suis in dictis Indiarum parti-

bus commorantibus duxerint committendum, in partibus in quibus nondum fuerint erectae cathedrales ecclesiae, vel si fuerint, tamen infra duarum dietarum spatium ipsi, vel officiales eorum inveniri minime possint, tam quoad fratres suos et alios cuiuscumque ordinis, qui ibidem fuerint ad hoc opus deputati ac super Indos ad fidem Christianam conversos, quam etiam alios christicolas ad dictum opus eosdem comitantes auctoritate, qua episcopus uti posset, in foro conscientiae uti valeant pro conversione et confirmatione immo pro eorundem Indiarum partium et manutentione ac profictu illorum et aliorum praedictorum in fide Catholica et obedientia sanctae Romanae Ecclesiae ac ipsi praelati et pro tempore existentes omnibus indultis in genere vel in specie hactenus concessis et imposterum concedendis uti, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant necnon praesentes litteras et in eis contenta quaecumque de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae defectu nullo unquam tempore notari, impugnari vel invalidari posse et irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus piae memoriae Sixti papae IIII etiam praedecessoris nostri incipiente: Etsi dominici gregis, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon contentis in bulla in die Caenae Domini legi solita, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXIIII ianuarii 1571 anno sexto.

257

Sedes Apostolica pia mater

Paenitentiariae, Reg. Matrim. et Divers. 167 fol. 8v-9r (pars secunda) — die 8 februarii 1571

ABSOLUTIO AB EXCESSIBUS ET DISPENSATIO SUPER IRREGULARITATE

Pro Emanuele Rodríguez Ordinis Fratrum Praedicatorum professo, qui clericali caractere insignitus in actibus bellicis et armorum conflictibus contra infideles irregularitatem contraxit.



Pius V

Dilecto filio priori domus Sancti Iosephi Carthaginen. novi regni Granaten. ordinis fratrum predicatorum Sancti Dominici partium Indiarum Occidentalium, salutem etc. Sedes Apostolica pia mater removentibus ad eam cum humilitate post excessum personis presertim sub iugo religionis Altissimo famulantibus libenter propitiam se exhibere ac illas favore gratioso prosequi consuevit quos ad id alias propria virtutum merita multipliciter recommendant. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Emanuelis Rodriguez ordinis fratrum predicatorum professoris petitionis etc. quod ipse alias postquam tunc clericali caractere dumtaxat insignitus existens aliqua sub charissimi in Christo filii nostri Portugalie et Algarbiorum Regis exercitu stipendia percipiendo in partibus Indiarum contra infideles bellicis actibus et armorum conflictibus in quibus latrocinia, depredationes, depopulationes, mulierum etiam virginum infidelium stupra et raptus, incendia, homicidia et quam plurima alia mala nomine per ipsum Emanuelem commissa fuerunt interfuerat at neminem propriis manibus interfecerat irregularitatem contrahendo nulla ab excessibus huiusmodi absolutione, nec super dicta irregularitate Apostolica dispensatione obtenta domum beate Marie civitatis Sancte Fidei partium Indiarum Occidentalium ingressus fuit ac professionem per dicti ordinis fratres predicatores emitti solitam in dicta domo emisit regularem et sicut eadem etc. ipse Emanuel qui de premissis in quibus aliter quam ut prefertur culpabilis non fuit ab intimis dolet, cupitque ex magno devotionis fervore accensus ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines promoveri et in illis etiam in altaris ministerio ministrare ac professione per eum emissa uti. Propterea pro parte dicti Emanuelis nobis fuit humiliter supplicatum ut eum ab excessibus huiusmodi absolvere secumque super irregularitate predicta, quam propterea contraxit, dispensare ac alias sibi statuique suo in premissis opportunis providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes predicte Sedis clementiam gremium sue pietatis petentibus claudere non consuevisse ac volentes dictum Emanuelem qui, ut asserit, dictum ordinem in domo predicta expresse professus ac ex civitate Ulixbonen. oriundus existit apud nos et religionis zelo, vite ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum horum intuitu favore prosequi gratioso, ipsumque Emanuelem a quibusvis excommunicationis etc. et absolutum fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni cum sicut dictus Emanuel asserit ipse in dictis domo et partibus Indiarum resideat et

propter mare intermedium ac statuta regularia dicti ordinis ex dictis partibus ad venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Ulixbonen. ordinarium suum absque maxima difficultate accedere nequeat per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus eundem Emanuelem, si hoc humiliter petieret, ab excessibus huiusmodi auctoritate nostra hac vice dumtaxat ac iniuncta sibi pro modo culpe aliqua poenitentia salutari et aliis que de iure fuerint iniungenda absolvas et totaliter liberes secumque super irregularitate premissorum occasione contracta quod dicto caractere et illius privilegiis necnon professionis predicte prerogativis, gratiis et indultis quibus dicti ordinis religiosi quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum uti, potiri et gaudere ac ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordinis predictos promoveri et in illis postmodum etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possit eadem auctoritate nostra dispenses necnon aboleas ab ipso Emanuele omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per eum eadem occasione quomodolibet contracta, ipsumque in pristinum et eum in quo ante premissa erat statum restituas et plenarie reintegres, non obstantibus premissis et Apostolicis ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, dictorumque domus et ordinis iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus etc., ceterisque etc. Datum etc. sexto idus februarii, anno sexto.

258

Oblatae nobis nuper

Sec. Brev. 25 fol. 362rv; 26 fol. 334r-335r — die 8 martii 1571

DISPENSATIO IN SECUNDO GRADU CONSANGUINITATIS

Matres Antonii de Sepulveda et Magdalenae etiam de Sepulveda consanguineae eius secundi gradus, convenerunt, ut Antonius et Magdalena matri-

monium inirent. Propter maximam locorum distantiam nondum hactenus a Sancta Sede dispensationem super impedimento postulaverunt. Quia propter penuriam personarum nobilium in civitate Sancti Dominici Magdalena virum paris condicionis sibi non consanguineum cui nubere possit invenire nequit, dispensationem ab impedimento secundi gradus consanguinitatis petierunt. Summus Pontifex supplicationibus inclinans dispensationem concedit, *dummodo Magdalena propter hoc ab aliquo rapta non* fuerit.

Pius V

Dilecto filio Antonio de Sepulveda laico et dilectae in Christo filiae Magdalenae etiam de Sepulveda mulieri civibus insulae Sancti Dominici partium Indiarum maris Oceani.

Dilecte fili et dilecta in Christo filia salutem etc. Oblatae nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat, quod alias te in Christo filia Magdalena, patre orbata existente, matres vestrae ante confirmationem Concilii Tridentini tractarunt et convenerunt, quod vos invicem matrimonialiter copularemini, quodque vos tractatus et conventiones huiusmodi acceptavistis, illosque inter aliquas personas dictae insulae Sancti Dominici publicastis, sed propter maximam locorum distantiam et tot maria intermedia pro dispensatione super impedimento infrascripto obtinenda ad Romanam Curiam et Sedem Apostolicam hactenus non transmisistis; et cum vos in partibus illis noviter ad Catholicam fidem et devotionem dictae Sedis Apostolicae reductis et conversis commoremini, ac sicut asseritis nobiles sitis ex principalioribus familiis et primis habitatoribus christianis dictae civitatis Sancti Dominici, ac in ea propter penuriam personarum nobilium tu in Christo filia Magdalena quae sicut etiam asseris pauper et orphana existis, virum paris conditionis tibi non consanguineum vel affinem, cui nubere possis invenire nequas, ac tu fili Antoni intendas eam iuxta status tui conditionem competenter dotare, cuperetis propterea iuxta tractatus et conventiones inter vestras matres ut praefertur, desuper habitos et inter incolas predictos publicatos invicem matrimonialiter copulari; sed quia secundo consanguinitatis gradu in linea aequali invicem estis coniuncti, desiderium vestrum in hac parte adimplere non valetis absque Sedis Apostolicae dispensatione et sicut eadem expositio subiungebat, si matrimonium inter vos non subsequeretur tu in Christo filia Magdalena in dicta insula virum parem ut es tu fili Antoni nullatenus invenires et propterea pauper et innupta

remaneres. Quare nobis humiliter supplicari fecistis ut vobis in praemissis de opportunae dispensationis gratia, aliasque paterne providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur vos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes huiusmodi supplicationibus inclinati, vobiscum ut impedimento secundi gradus consanguinitatis huiusmodi non obstante, matrimonium inter vos publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite possitis et valeatis, dummodo tu in Christo filia Magdalena propter hoc ab aliquo rapta non fueris, auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratiae dispensamus prolem suscipiendam exinde legitimam decernendo. Non obstantibus praemissis ac apostolicis et in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, legibus Regni, pragmaticis sanctionibus et iuribus municipalibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die VIII martii 1571, anno 6°.

259

De benignitate Apostolicae Sedis

Reg. Vat. 2003 fol. 272r-275v
Arm. XXX 251 fol. 151v-154v

die 13 martii 1571

AMPLISSIMA CONCEDITUR FACULTAS DISPONENDI DE BONIS

Ioanni episcopo Carthaginensis Ecclesiae, in Indiis maris Oceani, qui diem suae peregrinationis extremum dispositione testamentaria praevenire desiderat, Summus Pontifex pro eius meritis sed de mera liberalitate concedit, ut de omnibus bonis mobilibus vel immobilibus, non tantum hereditatis titulo personali ipsi acquisitis, sed etiam de aliis quibuscumque, quae ipsi vi muneris vel officii ecclesiastici quocumque titulo variisque huiusmodi bona eorumve fructus obtinendi modis obvenerint, tam donatione inter vivos quam causa mortis, ac per viam testamenti aliisque quibuscumque modis ac titulis, tam verbo quam scriptura, etiam minus solemni, etiam in mortis periculo et ubicumque ipsi decedere contigerit, testari, ordinare, legare et statuere valeat, atque ut quae ita statuerit omnino observari debeant.

Pontifex pariter disponit, si contigerit ipsum ab intestato et sine ulla bonorum ac fructuum dispositione decedere, quod praefata illa omnia et singula neque ad Cameram Apostolicam necque ad ipsius in variis ecclesiis vel beneficiis successores pertineant, sed inter heredes et consanguineos vel familiares distribuantur, nisi de alia ipsius dispositione vel intentione constiterit, actionibus quidem contrariis quibusvis sub excommunicationis poena prohibitis necnon ordinationibus et dispositionibus diversis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, pro hac vice derogatis.

Pius V

Venerabili fratri Ioanni [1] episcopo Carthaginen. salutem etc. De benignitate Apostolice Sedis provenire dignum est ut prelatis ecclesiasticis presertim pontificali dignitate preditis de bonis que viventes possident libera sit tam in ultima voluntate, quam alias disponendi attributa potestas et ordinata per eos perpetua roboris firmitate persistant. Cum itaque sicut accepimus tu diem tue peregrinationis extremum dispositione testamentaria desideras prevenire nos volentes te tuis exigentibus meritis favore prosequi gratie specialis et a quibusvis excommunicationis etc. censentes motu proprio non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam sed de mera nostra liberalitate tibi ut ultra testandi de tuis bonis etiam ecclesiasticis tibi quomodolibet concessis facultates necnon bona tam ex successione parentum, agnatorum et cognatorum tuorum et quarumvis aliarum personarum quam ex tuis industria et prospera fortuna ad te quomodolibet pro tempore spectantia, pertinentia et provenientia ac de quibus de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet testari potes seu poteris quomodolibet in futurum de omnibus et singulis aliis bonis mobilibus et immobilibus ac semoventibus, necnon suppellectilibus etiam pretiosis et pontificalibus necnon castris, villis, palatiis, domibus, prediis tam urbanis quam rusticis, aliisque opibus, facultatibus et rebus temporalibus ac iurisdictionibus cuiuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii et conditionis existentibus necnon libris ac debitorum nominibus, iuribus et actionibus ad te tam ex Carthaginen. que in Indiis maris Oceani existit et cui ad presens preesse dignosceris quam aliis cathedralibus etiam metropolitanis ecclesiis necnon monasteriis etiam consistorialibus eorumque archiepiscopali-

[1] Ioannes de Simancas, presbyter Palentinus (*Palencia*) nominatus est episcopus Ecclesiae Carthaginensis die 5 decembris 1561. Anno 1570 munere se abdicavit. Mortuus est in *Córdoba*, civitate sua natali. *Egaña* 476-479.

bus, episcopalibus et abbatialibus mensis necnon prioratibus, prepositturis, dignitatibus, personatibus, administrationibus et aliis quibuscumque beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura secularibus et quorumvis etiam Cisterciensis et aliorum ordinum regularibus que ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum, commendam et administrationem ac alias quomodolibet hactenus obtinuisti et ad presens obtines ac imposterum obtinebis necnon fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis loco pensionum annuarum ac pensionibus annuis super similibus fructibus, redditibus et proventibus tibi reservatis et assignatis ac reservandis et assignandis quos et quas ex similibus concessionibus et dispensationibus percipis et percipies in futurum ac alias quomodolibet nunc et pro tempore ad te spectantibus ac pertinentibus et seu alias per te quomodocumque et undecumque habitis et acquisitis ac habendis et acquirendis aliasque et alia quavis occasione vel causa seu contemplatione ad te perventis et perventuris etiam si in pecunia numerata iocalibus, gemmis, libris, ornamentis ecclesiasticis, calicibus etiam capelle tue ac annulo pastorali aliisque pretiosioribus rebus consistant ubicumque locorum etiam penes ecclesias, monasteria et alia beneficia predicta adhuc existentibus necnon illorum fructibus tempore tui obitus a solo separatis et tibi debitis etiam si eorum solutionis terminus tunc nondum advenerit quorum omnium qualitates, quantitates et veros etiam annuos valores ac si specifice et sigillatim exprimerentur et declararentur, etiam si talia forent que in generali appellatione bonorum et suppellectilium non venirent ac specialibus indigerent vocabulis pro sufficienter expressis et declaratis habere volumus tam pro honestis et decentibus impensis funeris tui, quam etiam in remunerationem illorum qui tibi viventi serviverint et ultra servitii meritum aut alias etiam in pios et non pios usus ac in fratrum consanguineorum, affinium, nepotum et quarumvis aliarum personarum etiam extranearum ac de iure incapacium seu prohibitarum dummodo illegitime non sint necnon communitatum, universitatum, collegiorum ac aliorum etiam piorum et non piorum locorum favorem ac alias pro tui arbitrio et voluntate absolutis tam donatione inter vivos quam causa mortis ac per viam testamenti codicillorum fideicommissi legatorum et aliis quibuscumque modis ac titulis tam verbo quam scriptura etiam minus solemni etiam coram duobus vel tribus testibus tantum aut cedula manu tua subscripta et alias in omnibus et per omnia prout tibi quomodolibet videbitur etiam in mortis articulo etiam nulla facta mentione alterius tibi hactenus vel per presentes aut aliarum pro tempore concessarum similium facultatum aut in vim illarum semel vel pluries usque ad summam decem millium ducatorum auri in auro de Camera novorum etiam si te extra

Carthaginen. cui, ut prefertur, preesse dignosceris ac aliam quamcumque ecclesiam etiam patriarchalem vel metropolitanam cui vel quibus te prefici aut in administratorem deputari contigerit tuamque diocesim vel alibi decedere contigerit testari, ordinare, donare, legare et alias prout tibi videbitur statuere, ita quod quicquid per te donatum, legatum, gestum, ordinatum seu dispositum fuerit omni meliori modo etiam in vim simplicis distributionis valeat et omnino observari debeat ipsaque testamenta, dispositiones, ordinationes, donationes, legata et statuta etiam plures et quoties tibi videbitur mutare, limitare seu revocare ac alia de novo edere et facere quatinus nihilominus si contigerit te ab intestato et sine ulla bonorum ac fructuum, reddituum et proventuum aliarumque rerum predictarum dispositione decedere quod illa omnia et singula et ut prefertur qualificata ac cuiuscumque valoris et quantitatis existentia et undecumque provenientia ad Cameram apostolicam seu tuos in dictis ecclesiis, monasteriis et aliis beneficis ecclesiasticis successores non pertineant sed inter heredes atque consanguineos et familiares predictos distribuantur nisi de alia dispensatione vel intentione tua etiam verbo vel scriptura etiam minus solemni vel inefficaci secus appareret quam tunc velut efficaces executores testamenti huiusmodi pro tempore existentes omnino exequi et adimplere illique sese conformare in omnibus et per omnia debeant libere et licite possis plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem districtius inhibentes universis venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis ecclesiarum prelatis necnon Camere apostolice presidentibus, clericis et commissariis ac eorum et fabrice basilice principis Apostolorum de Urbe collectoribus ceterisque cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentibus ac quavis auctoritate et potestate fungentibus sub excommunicationis maioris aliisque sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ne universitates, collegia, legatarios, heredes et personas predictas necnon testamenti voluntatumque et ordinationum tuarum huiusmodi executores directe vel indirecte quovis quesito colore vel ingenio molestare, vexare, perturbare vel impedire audeant seu presumant decernentes quoque testamenta, donationes, codicillos, fideicommissa, legata, ordinationes et alias dispositiones necnon que in premissis fieri contigerit tam vigore presentis, quam similis et dissimilis facultatis tibi concesse et deinceps in genere vel in specie concedende cum inde secutis et secuturis etiam si solemnitates etiam substantiales ad id requisite omisse forent quarum ac omnes et singulos iuris et facti defectus si qui intervenirent supplemus valida et efficacia fore et perpetua roboris firmitate subsistere suosque plenarios effectus sortiri illaque sub quibusvis revocationibus, suspensioni-

bus, modificationibus, decretis, declarationibus et regulis ex quibusvis causis etiam quantumcumque maximis et urgentibus etiam in favorem fidei et pro divini cultus augmento etiam consistorialiter pro tempore editis et edendis nullatenus comprehendi minusque illa ac presentes litteras etiam per similium vel dissimilium gratiarum tibi concessarum et concedendarum concessiones revocari, annullari et invalidari seu alterari ac alias confundi posse, sed illis ac etiam tibi concessis hactenus et concedendis gratiis huiusmodi accumulative et in beneficium tuum in omnibus et per omnia uti ita quod si quid in una facultatibus huiusmodi defecerit per aliam suppleri debeat illaque a predictis revocationibus semper excepta et quoties ille emanabunt toties in pristinum statum restituta et reintegrata fore et esse ac vim validi et efficacis contractus inter te ac nos et sedem predictam habere debere, necnon heredes, legatarios, personas et loca quibus bona, iura et actiones huiusmodi relinques ac executores predictos ad tertiam seu aliam illorum partem quam ex nunc tibi et personis, collegiis, universitatibus, heredibus, ecclesiis et locis necnon ligatariis et donatariis predictis ac aliis quocumque titulo successoribus tuis liberaliter concedimus et donamus Camere aut fabrice vel ecclesiis seu beneficiis aut in illis successoribus tuis predictis seu Cruciate sancte aut pro expeditione contra infideles vel quibusvis aliis quantumcumque piis usibus solvendum aut cum eis desuper componendum vel te aut alium particularem licentiam sive indultum aut confirmationem presentium a nobis vel successoribus nostris Romanis pontificibus impetrandum aut in simili vel dissimili gratia sive eius confirmatione quomodocumque concessa et concedenda de presenti mentionem aliquam faciendum minime teneri nec ulla usque necessitate cogi posse sicque per quoscumque iudices et commissarios etiam sancte Romane ecclesie cardinales ac causarum Palatii apostolici auditores sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et diffiniri debere irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus Corduben., Giennen. et Palentin. episcopis etc. motu simili mandamus quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios tibi ac personis, collegiis, universitatibus, ecclesiis et locis necnon donatariis, heredibus, fideicommissariis et legatariis ac aliis quibus bona huiusmodi ut prefertur relinques, necnon quorum intererit in premissis efficacis defensionis presidio assistentes ac premissa omnia et singula ubi et quando opus fuerit ac quotiens pro parte eorum super hoc fuerint requisiti solemniter publicantes faciant auctoritate nostra te facultate predicta libere uti ac omnia et singula per te illius vigore pro tempore facta et gesta per quoscumque

etiam locorum ordinarios eorumque officiales ac agentes pro eadem Camera inviolabiliter observari non permittentes te aut personas, collegia, universitates, ecclesias et loca necnon donatarios, heredes, fideicommissarios et legatarios ac alios quibus bona huiusmodi ut prefertur relinques necnon executores predictos et alios quorum intererit per ordinarios seu officiales aut Cameram seu pro ea agentes predictos vel illius thesaurarium et clericos illi presidentes seu alias personas pro tempore existentes vel fructuum et proventuum eidem Camere debitorum collectores et subcollectores pro tempore deputatos aut alios quoscumque quavis auctoritate fungentes super premissis directe vel indirecte contra presentium tenorem quomodolibet indebite molestari, inquietari vel perturbari. Contradictores quoslibet et rebelles cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, nobilitatis et preeminentie fuerint per sententias, censuras et penas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia quacumque appellatione postposita compescendo ac legitimis super his habendis servatis processibus sententias, censuras et penas ipsas et iteratis vicibus aggravando invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii papae VIII predecessoris nostri de una et in concilio generali edita de duabus dietis dummodo ultra tres quis vigore presentium ad iudicium non trahatur et pie memorie Alexandri VI tertiam partem omnium bonorum de quibus per quascumque personas vigore quarumcumque facultatuum eis concessarum testari vel alias disponi contigerit dicte Camere pro illius necessitatibus vel aliis applicari debere ac Iulii III quod pecunie fructusque non exacti ad successores in ecclesiis, monasteriis et beneficiis huiusmodi pertinere debeant aut alias disponentibus necnon Pauli etiam tertii Romanorum pontificum predecessorum nostrorum super spoliis prelatorum et personarum ecclesiasticarum pro tempore decedentium et quibusvis aliis apostolicis ac in provincialibus et sinodalibus necnon universalibus Conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus etiam facultates, indulta, concessiones testandi et ordinandi seu alias disponendi de quibuscumque bonis in genere vel in specie ac de certa summa tunc expressa quibuscumque personis ecclesiasticis sub quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficatioribus et insolitis clausulis necnon irritantibus et aliis decretis pro tempore concessis forsan revocantibus necnon Carthaginen. et aliarum ecclesiarum predictarum necnon monasteriorum seu aliorum locorum tam secularium quam regularium in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint seu a quibus illa dependere contigerit ac ordinum quorum extiterint iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus privilegiis quoque indultis et

litteris apostolicis quibuscumque archiepiscopis, episcopis, prelatis ordinariis, thesaurario, presidentibus, clericis, commissariis, collectoribus et subcollectoribus predictis, ac quibusvis aliis personis cuiuscumque dignitatis, gradus, conditionis et preeminentie existentibus eorumque collegiis et ordinibus sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficatioribus et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis etiam motu simili et alias quomodolibet etiam per nos et dictam sedem etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa mentio seu quevis expressio habenda aut aliqua alia forma ad hoc servanda foret tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent presentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscumque, aut si ordinariis, agentibus, thesaurario, presidentibus, personis, collectoribus et subcollectoribus ac aliis predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Nulli etc. nostre absolutionis, concessionis, inhibitionis, decreti, donationis, mandati et derogationis infringere etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quingentesimo septuagesimo, tertio idus martii pontificatus nostri anno sexto.

260

Oblatae etc.

Paenitentieriae, Reg. Matrim. et Divers. 167 fol. 201v-202r — die 15 martii 1571

LICENTIA DISPENSANDI

Thomam de los Rios et Beatricem de Vargas in tertio gradu consanguinitatis.

Pius V

Venerabili fratri archiepiscopo et dilecto filio officiali Civitatis Regum salutem etc. Oblate etc. dilecti filii Thome de los Rios laici et dilecte in Christo filie Beatricis de Vargas mulieris incolarum Civitatis Regum provincie del Perú partium Indiarum Occidentalium petitionis etc. quod ipsi alias scientes se secundo et tertio consanguinitatis gradibus a communi stipite provenientes invicem esse coniunctos matrimonium inter se per verba de presenti clandestine [?] ante confirmationem Concilii Tridentini de facto contraxerunt illudque consumarunt ac duos exinde natos procrearunt. Cum autem dicti Thomas et Beatrix in huiusmodi matrimonio remanere etc. et sicut eadem etc. si divortium fieret etc. dictaque Beatrix diffamata et innupta remaneret. Quare iidem etc. nos igitur qui salutem etc. a quibusvis excommunicationis etc. censentes ac certam etc. discretioni vestre etc., quatinus tu frater archiepiscope seu fili officialis si est ita dictos Thomam et Beatricem ac earum quemlibet etc. generali excommunicationis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, quas propter premissa quorumlibet incurrerunt incestus reatu et excessibus huiusmodi hac vice in forma ecclesie consueta imposita eis prius propter incestum huiusmodi arbitrio tuo aliqua penitentia salutari ac ipsis ad tempus ab invicem separatis in utroque foro auctoritate nostra absolvas et totaliter liberes ac non ipsis etc. dummodo etc. quod impedimento tertii gradus consanguinitatis huiusmodi ac constitutionibus etc. matrimonium inter se publica servata forma Concilii Tridentini de novo contrahere etc. distantiam vero secundi gradus predicti eis non obstare declares prolem susceptam huiusmodi et suscipiendam etc. Datum etc. idus martii anno sexto.

261

Divina disponente clementia

Hernáez I 401-402 die 20 iulii 1571

INDULGENTIA PLENARIA IN FORMA IUBILAEI PRO MONIALIBUS IN *PERÚ*

Pontifex supplicationem congruentem Provincialis Ordinis Praedicatorum in Indiis del *Perú* maris Oceani benigne suscipiens *motu proprio* tamen indul-

gentiam plenariam in forma iubilaei concedit pro monasteriis sanctimonialium illis partibus iam constructis vel construendis, et quidem in die propriae invocationis et octavae eius. Recensentur condiciones pro eiusmodi remissione obtinenda, inter quas est pia oratio pro conversione ad fidem et salutem populorum illarum partium, qui adhuc idolatria et infidelitate detinentur, conversorumque perseverantia et incremento. Extenditur vero indulgentia etiam ad sacerdotes regulares vel saeculares, qui in illorum monasteriorum ecclesiis sive sacellis in dictis diebus missas pie et devote celebraverint, necnon ad christifideles qui in iisdem missas celebrari fecerint; quod vero ad alios fideles spectat qui huiusmodi ecclesias vel sacella in iis diebus pie visitaverint, generalibus indulgentiarum condicionibus rite impletis et quoties id fecerint, toties conceditur remissio quadraginta dierum, non obstantibus dispositionibus contrariis.

Pius V

Universis christifidelibus praesentes Litteras inspecturis Salutem et Apostolicam Benedictionem. Divina disponente clementia, ad summi Apostolatus apicem, meritis licet imparibus sublimati, fideles cunctos, ut eorum erga sacratissimum Salvatoris et Domini Nostri Jesu Christi corpus, cui, pro eis ab aeterna morte redimendis, in ara Crucis immolato, nulla condigna reverentia, nullusque satis congruus honor ulla ratione posset unquam exhiberi, ac pia loca, praesertim Sanctimonialium, coelesti Sponso, forma prae filiis hominum specioso, sub suavi religionis jugo famulantium, Monasteria per amplius augeatur devotio, spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus libenter invitamus, ut per piorum operum exercitium hujusmodi, fideles ipsi, suorum macula delictorum abolita ad coelestem Hierusalem feliciter pervenire mereantur.

Cum igitur, sicut ex relatione dilecti Filii, Sebastiani de Ayllon, Ordinis Fratrum Praedicatorum Praesentati et in Provincia Sancti Joannis Baptistae, in Indiis del Perú Maris Occeani, dicti Ordinis Vicarii et Provincialis, accepimus, in dictis partibus pii Christifideles, Religionis maxime regularis et virgineae castitatis foeminei sexus observantiam zelantes, diversa Monasteria Sanctimonialium, et praecipue dilecta in Christo Filia Eleonora Puertocarrero, et Domina alias Mentia de Sosa ejus filia, in dictis partibus habitantes, Monasterium Sanctimonialium dicti Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini, sub invocatione Annunciationis, sub cura et regimine pro tempore existentis Archiepiscopi Civitatis Regum viventium, propriis impensis



in dicta civitate et Dioecesi aedificare fecerunt, seu coeperunt, in quae quidem Monasteria multae mulieres de nobili genere procreatae, suarum animarum salutis memores, sub jugo Religionis et castitatis se receperunt et Deo dicarunt, et in dies plures ad eadem cum suis dotibus, ad se sustentandum competentibus, accedunt et se recipiunt, ibique Religionem et castitatem profitentur: unde magis in dies regularis vita et observantia in dictis partibus accrescit et propagatur, uberioresque fructus in conversione populorum dictarum partium, Deo benedicente, reportantur ac reportari sperantur. Nos, qui Christianae Religionis augmentum, nostris praesertim temporibus, summopere desideramus, cupientes, ut ipsa Monasteria congruis frequententur honoribus, ipsique Christifideles ad ea eo libentius devotionis causa confluant, quo se exinde coelestibus donis senserint esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera nostra liberalitate et certa scientia, omnibus et singulis dicti constructi, et aliorum construendorum in illis partibus Monasteriorum, nunc et pro tempore existentibus Monialibus, vere poenitentibus et confessis, quae in die invocationum eorumdem Monasteriorum Sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum pie et devote susceperint, et humiles ad Deum preces pro Sanctae Romanae Ecclesiae felici statu, ac pace et unione inter Principes Christianos conservandis, necnon haeresum extirpatione et populorum dictarum partium, qui adhuc sub Idolatria et infidelitate detinentur, ad Fidem et salutem conversione, conversorumque perseverantia et incremento, effuderint; necnon quibuscumque Regularibus sive Saecularibus Sacerdotibus, qui in dictorum Monasteriorum Ecclesiis, sive sacellis, vel Capellis, aut Oratoriis, sive aliquo eorumdem, in dictis diebus invocationum et octavis earumdem, Missas pie et devote celebraverint; ac aliis Christifidelibus, qui in eisdem Missas pro sua devotione celebrari fecerint, et confessi et contriti fuerint, dictum Sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum, ut praefertur, susceperint, quoties id fecerint, plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, in forma Jubilaei; necnon ipsis Christifidelibus, qui in dictis diebus hujusmodi Ecclesias, sive Capellas, aut Oratoria, devote visitaverint et, ut praefertur, ad Deum humiles preces effuderint, quoties id fecerint, toties quadraginta dies de injunctis et debitis eis poenitentiis, Apostolica auctoritate tenore praesentium, misericorditer in Domino perpetuo concedimus et elargimur. Praesentibus, quas sub quibusvis illarum, aut similium, vel dissimilium indulgentiarum et gratiarum revocationibus, suspensionibus, alterationibus, derogationibus, vel aliis contrariis dispositionibus, et per Nos et

Successores nostros, aut Sedem Apostolicam, ex quavis causa, canonice seu de facto, nunc et pro tempore factis et faciendis, nullatenus unquam comprehensas, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et de novo concessas existere et censeri, necnon eisdem Monialibus et Christifidelibus suffragari debere decernimus, perpetuis futuris temporibus duraturis.

Caeterum quia difficile foret, praesentes Litteras ad singula quaeque loca, in quibus de illis fides forsan facienda foret, deferri, volumus et dicta Apostolica auctoritate decernimus, quod earumdem transumptis, manu publici Notarii subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides indubia adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus Litteris, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 20 Julii 1571, Pontificatus nostri anno sexto.

262

Exponi nobis nuper

Hernáez II 439-441 — die 25 iulii 1571

CONFIRMATIO ERECTIONIS UNIVERSITATIS IN CIVITATE REGUM

Pontifici ex parte Ordinis Praedicatorum domus Sanctae Mariae del Rosario, Civitatis Regum, expositum est, quod in Indiis Maris Oceani religiosorum et sacri Evangelii praedicationes ita praevaluerunt, ut populi illarum regionum ad Iesu Christi fidem ac catholicam Ecclesiam pro maiore parte iam conversi sint. Propterea inibi quamplures domus regulares atque ecclesiae erectae fuerunt praesertim domus Ordinis Praedicatorum in Civitate Regum, sub invocatione Beatae Mariae *del Rosario*. Cum vero aestimaret ipsam Civitatem Regum populo sat numeroso refertam existere, Philippus rex Universitatem Generalem humanarum et sacrarum litterarum in dicta domu Sanctae Mariae fundavit atque instituit. Pro salario vero seu stipendiis lectorum com-



petentem redditum constituit ac iisdem atque scholaribus et officialibus novi Studii omnia et singula privilegia et immunitates contulit, quibus in Universitate Salmantina ditati sunt, quod litteris propriis decrevit. Pontifex autem pro benignitate implorata fundationem Universitatis cum omnibus privilegiis ac documentis ad rem pertinentibus, ut expositum est, auctoritate apostolica confirmat et ab omnibus etiam in dignitate ecclesiastica constitutis perpetuo observari decernit.

Pius V

Dilectis Filiis, Fratribus, Lectoribus, Magistris et Scholaribus Domus Sanctae Mariae del Rosario nuncupatae, Civitatis Regum, Ordinis Fratrum Praedicatorum.

Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecistis quod alias clarae memoriae Carolus V, Romanorum Imperator, Indiis del Pirú Maris Occeani, annis retroactis, a Christifidelibus, auxiliante Domino in cognitione et subditione dicti Caroli Imperatoris, nunc vero Charissimi in Christo Filii Nostri Philippi, Hispaniarum Regis Catholici, redactis: ubi et Religiosorum et verbi Dei ac sacri Evangelii praedicationes ita praevaluerunt et hodie praevalent, ut pro majore parte populi dictarum regionum ad Domini Nostri Jesu Christi Fidem et Sanctam Catholicam Ecclesiam conversi fuerint et in dies convertantur: ac inibi propterea quamplures Domus seu Conventus Regulares ac Parochiales, Cathedrales et Collegiatae Ecclesiae, ac inter caeteras una Domus Ordinis Fratrum Praedicatorum in Civitate Regum, sub invocatione Beatae Mariae del Rosario nuncupata, erectae et constructae fuerint ad dicti populi conversi salutem ac Divini Numinis cultus exaltationem et propagationem, considerans dictam Civitatem Regum ex principalioribus aliarum dictarum partium Civitatum esse et satis numeroso populo refertam existere, inibi unum Studium sive Universitatem Generalem humanarum et sacrarum litterarum ad dictum populum, ipsarum litterarum ignarum, in eisdem instruendum, ac in Fide et lege Evangelica confirmandum, in dicta Domo Sanctae Mariae, ad dicti populi publicam commoditatem, unam Universitatem sive Studium Generale humanarum et Sacrarum litterarum instituit, fundavit et erexit, sive fundari, institui et erigi concessit: ac pro salario sive stipendiis Lectorum ejusdem studii pro tempore existentium, competentem redditum constituit, applicavit et assignavit, omniaque et singula privilegia in-

dulta, gratias, immunitates, exemptiones et concessiones factas et facta, ac concessas et concessa Universitati Salmantinae, et quibus illius Lectores, Magistri et Scholares, aliaeque personae et officiales ejusdem Universitatis Salmantinae fruuntur, potiuntur et gaudent, eisdem Universitati seu studio Civitatis Regum, ut praefertur, instituto et erecto, illiusque Lectoribus, Magistris et Scholaribus pro tempore existentibus hujusmodi, ac caeteris illius personis et officialibus concessit pariter et indulsit, eosque frui, potiri et gaudere in omnibus et per omnia, ac si illis principaliter concessa fuissent; aliasque et alia voluit, statuit et ordinavit, prout in dictae fundationis, sive institutionis, vel donationis, facultatis et applicationis litteris sive scripturis et instrumentis desuper confectis plenius continetur.

Et cum, sicut eadem expositio subjungebat, firmiora sint ea, quae Apostolici muniminis confirmatione muniuntur etc. pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus vobis in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui litterarum studia, per quae militantis Ecclesiae Respublica geritur, ac dictae Fidei Catholicae cultum, augmentum et propagationem summopere desideramus; vos, Fratres, Lectores, Magistros et Scholares, ac vestrum singulos, a quibusvis Excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ac fundationis, institutionis et donationis tam Salmantinae, quam Civitatis Regum Universitatis hujusmodi, ac Litterarum et instrumentorum desuper confectorum tenores praesentibus pro expressis habentes; hujusmodi supplicationibus inclinati, Universitatem ac illius in dicta Domo institutionem et fundationem et ejus dotationem, sive redditus applicationem, constitutionem et assignationem, ut praefertur, factas, aliaque praemissa, necnon Litteras, instrumenta, documenta, scripturas, praedicta ac in eis contenta et inde secuta quaecumque, licita tamen et honesta, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis plenarie, inviolabilis et perpetuae firmitatis robur adjicimus: omnesque et singulos, tam juris quam facti, et etiam solemnitatum et substantialium forsan omissarum et quoscumque alios defectus, si qui forsan intervenerint, quomodolibet in eisdem supplemus, illasque et illa validas et efficaces fuisse et esse et perpetuo fore, ac suos plenarios et integros effectus perpetuo sortiri et obtinere: necnon ab omnibus et singulis quacumque auctoritate, sive dignitate ac praeeminentia Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, ac Ducali, Regali et Imperiali et qua-

cumque alia fungentibus sive functuris, seu alias quomodolibet praefulgentibus, inviolabiliter perpetuo observari.

Sicque in praemissis ab omnibus censeri et eis suffragari, et ita per quoscumque Judices et Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam Sacri Palatii Apostolici causarum Auditores, seu loco tenentes, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus. Et nihilominus potiori pro cautela et quatenus opus sit, Universitatem seu studium, Conventus seu domus hujusmodi eisdem modo et forma, necnon cum eisdem facultatibus et privilegiis de novo, auctoritate et tenore praemissis, erigimus, fundamus et instituimus, ac erigendi, fundandi et instituendi facultatem et potestatem, necnon illi ac illius Lectoribus, Magistris et Scholaribus, caeterisque ejusdem personis, officialibus et ministris, eadem singula privilegia, indulta, concessiones, gratias, immunitates et exemptiones concessas et concessa dictae Universitati sive Studio Salmanticensi et illius Lectoribus, Magistris et Scholaribus ac caeteris praedictis, dictis auctoritate et tenore concedimus et indulgemus, ac eas et ea eisdem perpetuo competere et suffragari. Necnon praesentes et in eisdem contenta quaecumque nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, vel intentionis nostrae aut quovis alio defectu seu vitio impugnari vel notari, sed illas et illa semper et perpetuo valida existere, et sic in praemissis per quoscumque Judices et Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et diffiniri debere, ac quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane similiter decernimus.

Non obstantibus quibusvis Apostolicis Universalibus, Provincialibus et Synodalibus Constitutionibus et Ordinationibus specialibus vel generalibus, necnon Universitatis seu Studii Salmantini hujusmodi juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesimo quinto Julii millesimi quingentesimi septuagesimi primi, Pontificatus nostri anno sexto.

263

Romani Pontificis

Appendix ad Bull. Pont. S. Congr. de Prop. Fide I 45
Hernáez I 76

die 2 augusti 1571

DE INDIS POLYGAMIS, SI BAPTIZANTUR

Summus Pontifex ex plenitudine apostolicae potestatis concedit, ut Indi baptizati et in futurum baptizandi cum uxore, quae cum ipsis baptizata fuerit vel baptizabitur, remanere habeant tamquam cum legitima uxore, aliis dimissis, quae in infidelitate duxerant, etsi illa prima non fuerit, maxime quod non facile esset eamdem reperire, atque huiusmodi matrimonium legitimum declarat.

Pius V

Ad futuram rei memoriam. Romani Pontificis aequa et circumspecta providentia ne ea quae pro salubri Indorum noviter ad fidem conversorum directione sanciri debent et terminari alicujus haesitationis scrupulo subjaceant, declarationibus et aliis opportunis consuevit providere remediis. Cum itaque sicut accepimus Indis in sua infidelitate manentibus plures permittantur uxores, quas ipsi etiam levissimis de causis repudiant, hinc factum est quod recipientibus Baptismum permissum sit permanere cum ea uxore quae simul cum marito baptizata existit, et quia saepenumero contingit illam non esse primam conjugem unde tam Ministri quam Episcopi gravissimis scrupulis torquentur, existimantes illud non esse verum matrimonium, sed quia durissimum esset separare eos ab uxoribus cum quibus ipsi Indi baptismum susceperunt maxime quia difficillimum foret primam conjugem reperire, ideo nos statui dictorum Indorum paterno affectu



benigne consulere, ac ipsos Episcopos et Ministros ab hujusmodi scrupulis eximere volentes, motu proprio et ex certa scientia nostra ac Apostolicae Potestatis plenitudine ut Indi sic ut praemittitur baptizati et in futurum baptizandi cum uxore quae cum ipsis baptizata fuerit et baptizabitur remanere habeant tanquam cum legitima uxore, aliis dimissis, Apostolica auctoritate tenore praesentium declaramus, matrimoniumque hujusmodi inter eos legitime consistere, sicque per quoscumque Judices et Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate judicari ac diffiniri debere et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane decernimus, non obstantibus quibusvis Apostolicis ac in Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 2 Augusti 1571 [1].

---

[1] Cfr. minutam Brevis super dispensationem matrimonii apud Indos: «Cum apud Indos multi sint qui dum in infidelitate essent, non legitimis utebantur uxoribus sive quia prioribus que legitime erant repudiatis alias duxerunt, sive quia cum prioribus alias simul acceperunt posteaque conversi velint sibi non legitimas que una secum convertuntur et baptizantur priorum que in infidelitate maneant, dissoluto matrimonio, retinere cum ipsisque contrahere, magnamque si ab ipsis cogantur separari, difficultatem patiantur, minor que inde fidei et religionis propagatio timeatur, nos in eiusdem fidei et religionis favorem et augmentum cum apud infideles matrimonia etiam copula subsecuta rata et non omnino consumata et indissolubilia censeantur, concedimus et auctoritate Apostolica dispensamus ut apud predictos Indos liceat fideli noviter converso matrimonium contrahere cum ea que una cum ipso fuerit baptizata etiam si ante conversionem ob predictas causas uxor legitima non fuerit, dummodo que legitima uxor erat in infidelitate permaneat et requisita an baptizari velit, renuerit, quod si inveniri nullo modo aut vix possit, etiam ipsa minime requisita, dum eam in [infidelitate] adhuc manere sit certum que omnia tam ex parte viri, quam ex parte femine intelligi [...]». (A.A. Arm. I-XVIII 1821).

264

Decet Romanum Pontificem

Sec. Brev. 19 fol. 325r-326r die 2 augusti 1571

PROHIBITIO NE IUDICES SAECULARES CONTRA FRATRES MENDICANTES PROCEDERE AUDEANT

Summus Pontifex sub poena excommunicationis prohibet, ne iudices saeculares in partibus Indiarum contra fratres mendicantes libellos et processus forment et exhibeant aut in causis illos concernentibus sese intromittant. Causas introductas et indecisas ad se avocat, ut per iudices ecclesiasticos cognoscantur et decidantur. Executio huius decreti archiepiscopis de *México* et de *Lima* ac episcopo de *Tucuman* committitur.

Pius V

Ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem praecipuum libertatis ecclesiasticae assertorem personas ecclesiasticas et praesertim sub iugo religionis viventes a foro iudicum saecularium eximere et perpetuo liberare. Cum itaque sicut accepimus non sine animi nostri duplicantia in partibus Indiarum iudices saeculares contra dilectos filios fratres ordinum mendicantium in illis partibus residentes libellos et processus in spretum libertatis ecclesiasticae et regularis observantiae ac privilegiorum eisdem fratribus mendicantibus concessorum ut plurimum conficere et exhibere soleant, nos pro nostri pastoralis officii debito dictorum fratrum statui in praemissis consulere volentes motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine quibuscumque iudicibus saecularibus sub excommunicationis poena ipso facto in eventum contraventionis incurrenda ne contra dictos fratres libellos et processus formare et exhibere mi-

nusve in causis illos concernentibus directe vel indirecte quovis quaesito colore se intromittere audeant vel presumant districtius inhibemus, et si quae introductae sunt et coram illis pendeant indecisae illas ad nos harum serie avocamus et ipsas per iudices ecclesiasticos iuxta tenorem privilegiorum eisdem mendicantibus concessorum cognosci et decidi volumus. Sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes sublata eis etc. decernimus. Quocirca venerabilibus fratribus Mexicanen. ac de Lima archiepiscopis et episcopo Tucumano seu dilectis filiis eorum in spiritualibus vicariis seu officialibus generalibus motu simili mandamus quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios presentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum fratrum fuerint requisiti solemniter publicantes illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostra fratres predictos illorumque singulos praemissis omnibus iuxta presentium continentiam et tenorem pacifice frui et gaudere. Non permittentes illos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari et inquietari. Contradictores quoslibet et rebelles etc. saecularis. Non obstantibus praemissis ac felicis recordationis Bonifacii papae VIII praedecessoris nostri et aliis apostolicis necnon in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ac privilegiis dictis iudicibus saecularibus quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus et singulis etiam si pro illorum etc. derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si dictis iudicibus saecularibus vel quibusvis aliis communiter etc. mentionem. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 2ª augusti 1571 anno 6°.

265

Digna reddimur

Sec. Brev. 19 fol. 314v-315r — die 2 augusti 1571
Bull. Rom. (ed. Taurinensis) VII 934-935
Hernáez I 182

DE CONFECTIONE SACRI CHRISMATIS EX FRUCTIBUS DOMESTICIS

In Indiis Occidentalibus non reperitur balsamus sed quidam succus (ex fructibus domesticis) balsamo simillimus. Supplicationibus praesulum Indiarum annuens Summus Pontifex facultatem eis concedit utendi huiusmodi succo in confectione chrismatis loco balsami.

Pius V

Ad perpetuam rei memoriam. Digna reddimur attentione soliciti illa ad exauditionis gratiam admittere vota, per que in necessitatibus in sacramentorum confectione occurri et consuli possit. Expositum siquidem nobis nuper fuit, quod in partibus Indiarum ubi antistites commorantur, non invenitur nec inveniri potest balsamus vel oleum ex balsamo ad conficiendum sanctum chrisma necessarium; reperitur autem quidam liquor seu succus mira odoris fragrantia et ad sananda vulnera admodum conducens, qui communiter habetur pro vero balsamo; praestat enim effectus quos balsamum ab Alexandria allatum praestitisse perhibentur. Quare iidem partium Indiarum praesules nobis humiliter supplicari fecerunt ut in premissis de aliquo opportuno remedio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur necessitatibus huiusmodi consulere volentes huiusmodi supplicationibus inclinati tam archiepiscopis quam episcopis illarum partium et pro tempore in ipsis partibus commoraturis antistitibus ut de caetero perpetuis futuris temporibus in confectione sancti chrismatis dicto liquore seu succo in locum balsami uti libere et licite possint amplam licentiam et facultatem apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et desuper indulgemus ac dicto sancto chrismati cum dicto succo rite tamen confecto tantam fidem adhibendam esse ac si in illo balsamus intervenisset. Non obstantibus praemissis quibusvis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 2a augusti 1571 anno 6°.

266

Decens et debitum

Sec. Brev. 19 fol. 317v-318v die 4 augusti 1571
Bull. Rom. (ed. Taurinensis) VII 935-936
Hernáez I 184-185

FACULTAS AB IRREGULARITATE ABSOLVENDI EPISCOPIS INDIARUM OCCIDENTALIUM CONCEDITUR

Ad saluti animarum providendum Summus Pontifex fratribus Ordinum Mendicantium in partibus Indiarum facultatem absolvendi ab irregularitate concesserat. Eandem facultatem patriarchis, archiepiscopis et episcopis largitur, ita ut huiusmodi personas ab irregularitate (praeterquam propter homicidium voluntarium extra bellum et simoniam contracta) absolutas, ad obtinenda beneficia ecclesiastica etiam ad altaris ministerium rehabilitare possint. Absoluti poenitentiam a confessario impositam adimplere tenentur sub poena nullitatis dispensationis.

Pius V

Ad perpetuam rei memoriam. Decens et debitum arbitramur ut in his quae animarum salutem tranquillumque statum respiciunt simus favorabiles et benigni. Hac igitur consideratione ducti, alias dilectis filiis fratribus ordinum mendicantium in Indiarum partibus degentibus cum personis que tam ex delicto, quam ex non delicto irregularitatem contraxissent, super irregularitate huiusmodi dispensandi in aliquibus casibus facultatem concessimus. Nunc vero venerabilium fratrum patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum illarum partium supplicationibus inclinati eosdemque gratioso favore prosequi ac in illis partibus degentium personarum commoditati consulere volentes modernis et pro tempore existentibus eisdem patriarchis, archiepi-

scopis et episcopis partium illarum quascumque personas a delictis per que irregularitas contrahitur (homicidio voluntario extra bellum commisso ac symoniae labe dumtaxat excepta) apostolica auctoritate absolvendi ac cum eisdem omnibus et singulis nunc et pro tempore in partibus Indiarum existentibus personis quae irregularitatem ex aliis quam ex causis predictis contraxerint, super irregularitate huiusmodi ex quibuscumque causis praeterquam homicidii et symoniae occasione contracta ut prefertur eadem auctoritate apostolica dispensandi et illos ad obtenta et obtinenda beneficia ecclesiastica et officia quaecumque, etiam ad altaris ministerium rehabilitandi, restituendi et reponendi plenam et ampliam licentiam et facultatem auctoritate predicta perpetuo per presentes concedimus et elargimur; necnon absolutionibus et dispensationibus per eos et per pro tempore existentes patriarchas, archiepiscopos et episcopos predictos faciendi stari debere perinde ac si a Sede Apostolica predicta emanassent dicta auctoritate etiam statuimus et declaramus. Sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes sublata eis etc. attentari irritum et inane decernimus. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod iidem qui absolutionem obtinuerint ut prefertur poenitentiam per confessores quos ex approbatis ab ordinariis illarum partium duxerint eligendos adimplere omnino teneantur alioquin absolutiones et super irregularitate obtentae dispositiones quoad forum conscientiae nulle sint.

Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 4a augusti 1571 anno 6°.

267

Oblatae nobis nuper

Sec. Brev. 25 fol. 427r; 26 fol. 386v-387r — die 3 octobris 1571



DISPENSATIO IN SECUNDO GRADU CONSANGUINITATIS

Ferdinandus de Carvajal et Lucia de Limpias, incolae Civitatis Angelorum (*Puebla*) de *México*, in secundo gradu consanguinitatis coniuncti, ante confirmationem Concilii Tridentini clandestine matrimonium inierunt. Nunc dispensationem supplicant. Summus Pontifex precibus annuit.

Pius V

Venerabili fratri episcopo Civitatis Angelorum [1] seu eius vicario in spiritualibus generali.

Venerabilis frater seu dilecte fili salutem etc. Oblatae nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Ferdinandi de Carvajal laici et Luciae de Limpias mulieris, incolarum Civitatis Angelorum provinciae Novae Hispaniae de Mexico Indiarum maris Oceani petitionis series continebat quod ipsi alias scientes se secundo consanguinitatis gradu in linea aequali invicem esse coniunctos, matrimonium inter se per verba de praesenti ante confirmationem Concilii Tridentini clandestine contraxerunt, illudque carnali copula consumarunt. Cum autem exponentes praedicti qui sicut asserunt pauperes existunt in huiusmodi matrimonio remanere non possint absque nostra et Sedis Apostolicae dispensatione et sicut eadem expositio subiungebat si divortium inter eos fieret gravia exinde scandala possent verisimiliter exoriri, quare nobis humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 3 octobris 1571, anno sexto.

---

[1] Episcopus Ecclesiae Civitatis Angelorum (*Puebla de los Ángeles, Tlaxcala*) erat Ferdinandus de Villagomez (1561-1570).

268

Sedes Apostolica

Sec. Brev. 19 fol. 394r-395r die 6 octobris 1571

FERDINANDUS GUTTIÉRREZ A VOTO INGREDIENDI RELIGIONEM ABSOLVITUR

Ferdinandus Guttierrez, incola civitatis *México,* votum ingrediendi religionem emiserat, sed deinde uxorem duxit et plures liberos ex ea genuit. Summus Pontifex, ut statui animae eius provideat, a voto et quibusvis poenis ecclesiasticis et temporalibus in quas forsan propter votum incurrit, absolvit et ei indulget quoque matrimonium etiam pluries successive contrahere si sine coniugio remanere ei contigerit.

Pius V

Dilecto filio Ferdinando Guttierrez incole civitatis Mexicanen. provinciae nove Hispaniae Indiarum maris Oceani.

Dilecte fili salutem etc. Sedes Apostolica pia mater recurrentium ad eam post excessum cum humilitate filiorum statui, gremium suae pietatis claudere non consuevit. Hinc est quod nos volentes te qui, ut asseris, alias postquam votum ingrediendi religionem feceras, seu emiseras, uxorem duxisti et ex ea plures liberos suscepisti, specialibus favoribus et gratiis prosequi ac tuo statui et animae tuae saluti in praemissis opportune providere et a temeritate vovendi et excessu huiusmodi ac quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac etiam temporalibus poenis, si quas propter praemissa quomodolibet forsan incurristi, ac voto predicto et omni illius obligatione et vinculo ita quod tu etiam si nunc sis vel pro tempore fueris solutus religionem ingredi minime tenearis,



sed in saeculo tamquam mere saecularis quoad vixeris remanere necnon si tibi videbitur matrimonium etiam pluries successive si te sine coniugio remanere contigerit contrahere et consumare ac in illo remanere libere et licite possis et valeas apostolica auctoritate tenore presentium in utroque foro penitus ac perpetuo absolvimus et totaliter liberamus tibique desuper indulgemus ac tecum dispensamus, prolem exinde susceptam et suscipiendam legitimam nunciando necnon te super praemissis per quoscumque quavis auctoritate quomodolibet molestari, perturbari aut impediri non posse sicque in praemissis ab omnibus censeri et ita per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis etc. decernimus. Non obstantibus praemissis ac quibusvis apostolicis, universalibus, provincialibusque et synodalibus constitutionibus et ordinationibus specialibus et generalibus etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus etiam si de illis expressa mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores presentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 6 octobris 1571 anno 6°.

269

Votis vestris

Sec. Brev. 19 fol. 403v-405r — die 16 octobris 1571

LICENTIA EUNDI EX *MÉXICO* IN INSULAS PHILIPPINAS ET IN SINAS

Summus Pontifex Ferdinando de Paz et Dominico de Annunciatione Ordinis Fratrum Praedicatorum, qui in partibus Novae Hispaniae evangelizationi et aedificationi Ecclesiae operam dederunt, facultatem impertitur eundi, de

consensu superiorum, cum quatuor aut quinque aliis fratribus eiusdem Ordinis in insulas Philippinas et in Cinam ad praedicandum Evangelium gentibus noviter conversis et novam provinciam Ordinis Praedicatorum ibi erigendi. Indulta et facultates executionem praesentium Litterarum impedientia revocantur, indulgentiae Ordini pro provinciis Indiarum maris Oceani concessae, ad Philippinas et Sinas extenduntur.

Pius V

Dilectis filiis Ferdinando de Paz diffinitori ordinis Praedicatorum in provincia novae Hispaniae de Mexico Indiarum maris Oceani, ac Dominico de Annunciatione priori monasterii seu conventus dicti ordinis civitatis Mexicanen.

Dilecti filii salutem etc. Votis vestris quae religionis christianae propagationem divini quoque verbi ac cultus praedicationem et augmentum respiciunt ut optatum sortiantur effectum libenter annuimus eaque favoribus prosequimur opportunis. Hinc est quod infidelium in partibus novae Hispaniae de Mexico Indiarum maris Oceani existentium conversioni et conversorum confirmationi, necnon ecclesiae aedificationi et sacrae religionis augmento et propagationi paterne consulere et opportune providere ac vos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes vobis et cuilibet vestrum quoad vixeritis et quilibet vestrum vixerit, ut de consensu vestrorum superiorum possitis et vestrum uterque possit cum quatuor aut quinque aliis professoribus vestri ordinis Praedicatorum a vobis vel quolibet vestrum pro tempore nominandis seu alias assumendis ire ad praedicandum Evangelium gentibus noviter conversis in insulis Philippinis seu in provincia de la China [1] vel alibi, ubi vobis benevisum fuerit et ibi novam provinciam erigere et fundare aliaque facere, dicere, gerere et exercere in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna auctoritate apostolica tenore presentium concedimus et indulgemus ac plenam licentiam et liberam facultatem impartimur. Necnon omnia et singula ac quaecumque indulta vel facultates etiam dicta auctoritate quibusvis et alia quomodolibet concessa vel etiam concedenda executionem pre-

[1] Evangelizatio Sinarum magnum desiderium erat Franciscanorum et Dominicanorum in Philippinis et *México*. Insulas Philippinas vero ut stationem transitoriam potius eundi in Sinas considerabant. Iam anno 1545 archiepiscopus Zumárraga sibi proposuerat proficiscendi in Sinas. Sed expeditio impedita est.

sentium litterarum impedientia etiam ex nunc prout ex tunc et econtra revocamus penitus et annullamus, presentesque litteras revocari, suspendi, modificari vel alias quomodolibet impediri non posse [2] etiamsi sint quousque consulatur Sedes apostolica vel dilectus filius generalis eiusdem ordinis eadem auctoritate declaramus ac omnes et singulas indulgentias a romanis pontificibus praedecessoribus nostris seu forsan a nobis ac dicta sede fratribus euntibus ad similem legationem praecipue in provinciis Indiarum quomodolibet concessis etiam in favorem vestrum etiam particulariter et specialiter confirmamus et approbamus necnon etiam de novo concedimus, vosque seu quemlibet vestrum super praemissis per quoscumque [quavis] auctoritate quomodolibet molestari, perturbari vel impediri non posse, sicque in praemissis [...] censeri etiam ita per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes sublata eis etc. decernimus. Quocirca dilecti filii Curiae Causarum Camerae Apostolicae generalis auditoris vicesgerenti ac venerabilium fratrum Mechoacan. et de Axcalen. episcoporum vicariis generalibus per apostolica scripta mandamus quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios presentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit ac quoties pro parte sua fuerint solemniter publicantes, vobisque et cuilibet vestrum in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant vos et quemlibet vestrum in praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere iuxta presentium continentiam et tenorem; non permittentes vos seu quemlibet vestrum a quoquam quomodolibet indebite molestari, perturbari aut inquietari. Contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis etc. secularis. Non obstantibus praemissis ac felicis recordationis Bonifacii papae VIII praedecessoris nostri de una et Concilii generalis de duabus dietis ac quibusvis apostolicis, universalibus provincialibusque et synodalibus constitutionibus et ordinationibus specialibus et generalibus etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus etiam si de illis mentio seu quevis etc. contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter etc. mentionem. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 16 octobris 1571 anno 6°.

---

[2] Postea autem Gregorius XIII, cum Brevi *Ex pastorali officio* diei 28 ianuarii 1585 missionariis Societatis Iesu ius exclusivum praedicandi Evangelium in Sinis reservavit. Cfr. BM IV 1647.

270

Exponi nobis nuper

Sec. Brev. 19 fol. 396v-398r die 18 octobris 1571

TRES PAROCHIAE TRIBUS ORDINIBUS MENDICANTIUM ASSIGNANTUR

In civitate *México* tres parochiae naturalium exstant. Ferdinandus Paz Ordinis Praedicatorum Summum Pontificem supplicavit, ut tribus Ordinibus Mendicantium, Praedicatorum scilicet, Franciscanorum et Augustiniensium assignentur ad facilius reddendam curam pastoralem animarum. Pius V precibus Ferdinandi inclinat, sed quia certam cognitionem de rerum condicionibus non habet, archiepiscopo divisionem trium parochiarum inter tres Ordines Mendicantium committit, et assignationem ab eo faciendam apostolica auctoritate confirmat.

Pius V

Venerabili fratri archiepiscopo Mexican. [1] seu dilecto filio eius vicario in spiritualibus generali.

Venerabilis frater seu dilecte fili salutem etc. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ferdinandus de Paz ordinis Praedicatorum Sancti Dominici in provincia nove Hispaniae Indiarum maris Oceani praedicator generalis ac inibi ipsius ordinis diffinitor et in sacra theologia presentatus, quod in civitate Mexican. dictae novae Hispaniae adsunt tres parrochiae Barrios naturalium nuncupatae, quarum una sub Sancti Iohannis, alia sub Sancti Pauli et reliqua sub Sancti Sebastiani et Sanctae Mariae invocationibus existunt, et si dictae parrochiae divi-

[1] Alphonsus de Montúfar, OP.



derentur inter tres ordines mendicantium videlicet Sancti Dominici Praedicatorum, Sancti Francisci et Sancti Augustini, ad hoc ut eisdem parrochiis commodius provideatur de ministris ipsique naturales dictarum parrochiarum in sancta fide christiana et catholica melius edoceantur ex hoc profecto salubri earumdem parrochiarum directioni et animarum saluti ad Dei laudem et ecclesiae aedificationem opportune consuleretur. Quare dictus Ferdinandus nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos de praemissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae frater archiepiscope seu discretioni tuae fili vicarie per presentes committimus et mandamus quatinus dictas parrochias in ordines predictos iuxta proportionem et secundum limites necnon modis et formis vobis benevisis et per vos designandis apostolica auctoritate dividere, partiri et distribuere cures, ita quod Sancti Iohannis Barrios fratribus Sancti Francisci, Sancti Pauli vero fratribus Sancti Augustini tribuatur ac Sancti Sebastiani et Sanctae Mariae parrochias fratribus Sancti Dominici utpote earum domibus propinquas concedas, necnon singulas parrochias sic divisas singulis ordinibus predictis et illorum fratribus committas omniaque et singula alia facias, dicas et exequaris in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna. Nos enim cuilibet vestrum citandi ac quibus inhibendum fuerit etiam sub censuris ecclesiasticis et aliis arbitrio vestro imponendis poenis inhibendi, etiam per edictum publicum constito summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu etiam sub ecclesiasticis sententiis, censuris ac etiam pecuniariis poenis arbitrio tuo moderandis, imponendis et applicandis et in eventum non paritionis eos contradictores et rebelles declarandi ac dictas censuras et poenas aggravandis auxiliumque brachii saecularis, si opus fuerit, invocandi omniaque et singula alia faciendi, dicendi, gerendi, mandandi et exequendi in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna plenam et liberam facultatem et potestatem apostolica auctoritate harum serie concedimus, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Quocirca venerabilibus fratribus de Mechoacan. et Oaxacan. episcopis seu eorum in spiritualibus et temporalibus vicariis generalibus et dilecto filio Curiae Causarum Camerae Apostolicae generali auditori seu eius vicesgerenti per apostolica scripta mandamus quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per te vel alium seu alios tibi in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes ad ipsi tecum seu separatim vel insimul praemissa omnia et singula iuxta presentium continentiam et tenorem debitae executioni demandent; non permittentes te a quoquam desuper quomodolibet molestari, perturbari aut

inquietari. Contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis etc. Non obstantibus praemissis ac regulis nostris de unionibus committendis ad partes vocatis, quorum interest ac de non tollendo iure quaesito quantum opus sit necnon felicis recordationis Bonifacii papae VIII praedecessoris de una et Concilii generalis de duabus dietis dummodo quis vigore presentium ultra tres dietas ad iudicium non evocetur et quibusvis aliis apostolicis, universalibus, provincialibusque et synodalibus constitutionibus et ordinationibus specialibus et generalibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis etiamsi de illis mentio etc. derogamus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter etc. mentionem. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 18 octobris 1571, anno 6°.

271

Dudum tuis supplicationibus

Sec. Brev. 19 fol. 405r-412v — die 23 octobris 1571

LICENTIA PRO COMMERCIO CUM INFIDELIBUS

Pontifex primo loco ipsum Sebastianum Portugalliae et Algarbiorum regem necnon ipsius subditos et vasallos, quotquot de eius licentia equos et alias merces prohibitas ad infideles transportaverant et transportare curaverant, ab excommunicatione et ab aliis poenis quas incurrere poterant, absolvit et liberat. Deinde eidem regi eiusque subditis ac vasallis iterum concedit et indulget ut de eiusdem regis licentia, absque conscientiae scrupulo metuve censurarum et poenarum incursus, equos et alias merces quascumque, non tamen arma aut bellica tormenta ad Mauros, Persas et alios infideles eorumque principes deferre libere et licite valeant; pariter ut eiusmodi merces principibus ipsis, eorumque subditis et vasallis vendere et cum aliis mercibus permutare aliaque facere itidem valeant, prout in Litteris eiusdem Pontificis desuper confectis plenius continetur. Quae Litterae anno 1568 datae ex integro transcribuntur iis quoque locis inclusis qui dubitationibus vel anxietatibus ansam dederant, nova quidem concessione sublatis.



Pius V

Charissimo in Christo filio nostro Sebastiano Portugalliae et Algarbiorum Regi illustri.

Charissime in Christo fili noster salutem etc. Dudum tuis supplicationibus moti te, omnesque et singulos vassallos tuos ac quascunque alias personas, quae de licentia tua ad infideles equos et alias merces transportaverant et transportare curaverant, aut alias quoquomodo vendiderant, aut aliqua ex praemissis fecerant, ab excommunicationis et aliis poenis etiam in litteris apostolicis in die Coenae Domini legi consuetis conventis et latis, si quas quomodolibet incurreratis [...] poteratis, absolvimus et liberamus tibique ac subditis et vassallis tuis presentibus et futuris, quibus tu licentiam concessisses ut equos et alias merces quascunque tam sub dictis litteris comprehensas, quam non comprehensas, non tamen arma aut bellica tormenta, nisi ad commodum christianorum ad Mauros, Arabes, Persas, Aetiopes, Indos, Brasilios et alios infideles eorumque reges et principes deferre, illosque et illas regibus ipsis, eorumque subditis et vassallis, aliisque infidelibus vendere et cum aliis mercibus permutare aliaque facere, absque conscientiae scrupulo, metuve censurarum et poenarum incursus libere et licite valeres concessimus et indulsimus, prout in nostris in forma brevis desuper confectis litteris sequentis tenoris plenius continetur.

Charissimo in Christo filio nostro Sebastiano Portugalliae et Algarbiorum Regi illustri. Pius Papa Quintus. Charissime in Christo fili noster salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti, quod postquam alias pro parte clare memorie Emanuelis Portugalliae et Algarbiorum Regis illustris felicis recordationis Iulio papae II precedessori nostro exposito, quod tam ipse, quam etiam insignis memoriae Ioannes etiam Portugalliae et Algarbiorum Rex tunc in humanis agens [...] quod ad Mauros et Aethiopes ac Indos commercii causa mittere solebant, metalla et alias res quandoque transportari curassent ac ad illa transportandum non nullis christifidelibus licentiam concessissent, licet ex commercio huiusmodi predicti christifideles non modicum commodum reportarent et verisimiliter crederetur, quod Mauri, Aethiopes et Indi predicti occasione mercium ipsarum facilius ad Christi fidem conduci possent, tamen ipse Emanuel Rex se ipsum et etiam Ioannem Regem et christifideles presentes in excommunicationis et alias censuras et poenas ecclesiasticas propterea incidisse dubitabat, dictus praedecessor predicti Emanuelis in ea parte supplicationibus inclinatus, eosdem Ioannem et Emanuelem, ac omnes et singulos vassallos ac ha-

bitatores regnorum et dominiorum suorum, qui de licentia eorundem Emanuelis et Ioannis Regum dicta metalla et merces ad Mauros et Aethiopes et Indos predictos eatenus absque licentia Sedis Apostolicae misissent et portassent ab excommunicationis sententiis et aliis censuris et poenis, tam in bulla in die Coenae Domini legi consueta, quam per constitutiones apostolicas contra tales latis et publicatis, si quas propterea incurrissent, absolverat ac habitatoribus predictis tunc presentibus et futuris, ut de licentia eiusdem Emanuelis et pro tempore existentium Portugalliae et Algarbiorum Regum cuiusvis generis metalla etiam aenea et alias merces ad dictos Mauros, Aethiopes et Indos dum et quandiu in pace cum Emanuele Rege et successoribus predictis ac aliis christianis essent, portare et mittere libere et licite valerent, licentiam concesserat et deinde dictis Emanuele et Ioanne vita functis praeclare memorie Iulio Papae III etiam predecessori nostro pro parte similis memoriae etiam Ioannis Portugalliae et Algarbiorum Regis illustris tunc in humanis agentis expositio, quod ipse provide considerans ex commercio huiusmodi eisdem vassallis et subditis suis christifidelibus commodum et utilitatem pervenire et si vassalli et subditi predicti a commercio huiusmodi abstinuissent facile fore ut ipsi Mauri, Aethiopes et Indi medio aliorum infidelium res et merces commercii huiusmodi sibi comparassent et exinde dicti vassalli et subditi fideles emolumento per eos ex commercio huiusmodi haberi solito destituti remansissent, emolumentumque huiusmodi eisdem infidelibus cessisset vigore seu praetextu litterarum Iulii II praedecessoris huiusmodi diversos equos ex ipsorum infidelium terris oriundos et ab eorundem equorum infidelibus eiusdem [filii?] Regis seu subditorum suorum pecuniis emptio necnon diversa metalla aenea et cuprea pro maiori parte monetata ex quibus arma offensiva commode conflari non poterant ac alias merces ad Mauros, Aethiopes et Indos predictos, ac alios infideles transportari fecerat et dubitans ne vassalli et subditi sui predicti existimantes se super eo licentiam impetrare non posse, equos et metalla ac merces huiusmodi non sine evidenti animarum suarum pericula ad eosdem infideles occulte transportarent eis ad id faciendum licentiam et facultatem concesserat; et quia iuxta earumdem litterarum tenorem metalla et aliae merces huiusmodi infidelibus in pace cum pro tempore existente Portugalliae Rege et aliis christianis, ut prefertur, viventibus vendi et deferri poterant, ab inde tamen ad aliorum infidelium in simili pace non viventium manus indirecte devenerant, in posterum devenire etiam poterant; idem Ioannes Rex dubitabat ipsum et vassallos ac subditos suos predictos propterea excommunicationis aliasque ecclesiasticas sententias, censuras et poenas incidisse, idem Iulius III praedecessor ipsius secundo dicti Ioannis

Regis etiam supplicationibus inclinatus secundo dictum Ioannem Regem ac omnes et singulos vassallos suos et quascunque alias personas quae de licentia sua vel alias ad Mauros, Aethiopes, Indos, Brasilios et alios infideles in simili pace existentes equos et metalla ac alias merces transportaverant et transportari fecerant et vendiderant, etiam si postmodum equi, metalla et aliae merces huiusmodi ad manus infidelium in dicta pace non viventium directe vel indirecte devenissent ab excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis tam in Bulla in die Coenae Domini huiusmodi legi consueta contentis, quam alias quomodolibet latis, si quas propter praemissa quomodolibet incurrissent aut in eas incidissent, aut incurrisse vel incidisse dici aut censeri possent ac alias sub certis modo et forma absolverat penitus et liberaverat ac eidem secundo dicto Ioanni Regi, quod de caetero ipse et de sua licentia vassalli et subditi sui ac habitatores regnorum et dominiorum suorum huiusmodi equos et metalla etiam aenea et cuprea etiam non monetata ac alias merces huiusmodi ad Mauros, Aethiopes, Indos, Brasilios et alios imfideles predictos etiam in pace secum vel cum suis capitaneis et gubernatoribusnon existentes mittere et transportare illaque vendere ac ratione venditionum huiusmodi quaecunque secundo dicto Ioanni Regi et capitaneis ac gubernatoribus predictis exhibita recipere illaque absque aliquo conscientiae scrupulo in suos usus et utilitatem convertere aliaque forsan facere libere et licite valerent, licentiam et facultatem concesserat ac secundo dictum Ioannem necnon vassallos et habitatores predictos occasione transportationis equorum et metallorum etiam non monetatorum, ut prefertur, ac aliarum mercium ad infideles eosdem in pace vel bello viventes, illarumque venditionum excommunicationis et alias censuras et poenas predictas seu earum aliquas incurrere non posse neque debere statuerat et decreverat, prout in singulis litteris desuper in forma brevis confectis plenius continetur. In dictis literis confisus ac illarum vigore id tibi licere credens ex provincia Arabiae et forsan aliis locis circumvicinis magnum equorum numerum in oppidum seu civitatem de Ormio aliosque maritimos portus ducere et ab infidelibus earundem partium ductos recipere et inde ad civitatem Hoan et alias tuo dominio in dictis partibus similiter subiectas civitates et loca transmittere, ab illis vero ad provincias diversas terrae continentis diversis Regibus et Principibus partim gentilibus, partim maumethanam sectam colentibus, quorum aliqui nominis christiani inimici hactenus fuerant et adhuc erant et aliquando christianos oppugnabant, transmittere ipsisque Regibus et Principibus eorumque subditis et vassallis vendere venditoribusque et emptoribus [...] auxilium et favorem ac liberum transitum per tuas civitates, terras, portus et loca praestare,

gabellas desuper non modicas ab ipsis recipere, exigere et levare iuxta antiquorum dominorum suorum morem nonnullasque alias merces ad infideles deferri prohibitas tam ad dictas Indiarum, quam Brasilii, Aethiopie, Arabiae et Persiae partes asportare illarumque earundem provinciarum incolis christiani nominis inimicis similiter vendere et vendi aliaque praemissa tuis subditis et vassallis christianis facere per multum tempus continuasti et permisisti, licet postmodum litterarum nostrarum in die Coenae Domini legi solitarum tenore diligentius perspecto cum ab aliquibus humani divinique iuris peritis viris dubitatum fuisset; an tu praemissa faciendo, censuras et poenas in dictis litteris contentas incurreres; tu tanquam obedientiae filius animadvertensque bonarum mentium esse culpam timere, etiam ubi culpa non est, ab omnibus et singulis tam equorum quam mercium praedictarum traductione, asportatione, transmissione, receptione, venditione, gabellarum exactione aliisque praemissis abstinueris et subditis et vassallis tuis abstineri mandaveris. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat ex equorum et mercium predictarum ad gentiles et infideles predictos delatione et venditione nulli alteri principi christiano quam tibi tuisque subditis inferri possit praeiudicium aut offensa, id vero quia mari cum illis ut plurimum contenditur adeo esse modicum et modica, ut habita ratione immensi lucri quod tu et subditi predicti ab ipsis infidelibus ex iisdem equis et mercibus percipitis pro nihilo debeat censeri quodque difficile admodum esse ét fere impossibile civitates, terras et loca quae in dictis partibus possides earumque incolas et habitatores christianos a vicinorum regum infidelium et christiano nomine infestorum potentia defendere et christianam religionem in illis partibus propagari et propagatam tueri, nisi tu et vassalli predicti ea loca incolentes ex huiusmodi equorum et mercium mutua venditione et lucro inde proveniente intuemini foreque certissimum Reges et Principes predictos pacis foedera tecum inita et promissa in cuius capitulis cum eorum aliquibus initis expresse cavetur, quod tu certum equorum numerum per tua loca, terras et portus ad eorum regna et dominia libere transire debeas permittere omnino fracturos si equorum aut mercium predictorum delatio et venditio interdiceretur, quod ubique tibi et vassallis christianis ea loca incolentibus immensam afferret iacturam teque et illos in discrimen atque periculum non modicum tui status [...] adduceret, esseque praeterea experientia [...] quod Reges et Principes infideles predicti inter se ad invicem contendentes et bella gerentes, equorum huiusmodi ad eos delatorum praesidio et auxilio ita se alterutrum offendant, ut ad tui tuorumque subditorum christianorum offensam multo debiliores reddantur fore etiam ut si equorum huiusmodi delatio tibi et christianis predictis interdiceretur,

alii infideles per loca diversa non tibi, sed aliis Principibus et dominis tibi inimicis et infestis subiecta eosdem equos nihilominus ad Reges et provincias predictas in maiori etiam numero deferrent et in transitu huiusmodi illorum plurimi apud tuos inimicos remanerent, in non modicum tui tuorumque subditorum predictorum praeiudicium et damnum. Quare nobis humiliter supplicare fecisti ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes causas predictas mereri, ut in his nos tibi gratiosos reddamus singularum litterarum predictarum veriores tenores necnon equorum, metallorum et aliarum mercium predictorum qualitates, quantitates ac veros valores presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati te ac omnes et singulos vassallos tuos et quascunque alias personas que de licentia tua vel alias quovis modo ad infideles predictos equos et alias merces huiusmodi transporta[verant et transportare cura]verunt, aut alias quomodolibet vendiderunt aut aliqua ex praemissis fecerunt, ab excommunicationis et aliis poenis predictis etiam in dictis litteris nostris contentis et quomodolibet latis, si quas quomodolibet incurristis aut incurrisse dici vel censeri poteris auctoritate Apostolica tenore presentium absolvimus et totaliter liberamus omnemque inhabilitatis et infamiae maculam ex praemissis quomodolibet insurgentem poenamque propterea debitam abolemus vosque ad omnia et singula honores et alia quaecunque necnon eum in quo ante praemissa quomodolibet eratis statum restituimus et plenarie reintegramus. Ac insuper ad fidelitatem et praeclara tam tua quam praedictum tuorum merita, quibus in nostro et sedis praedicte conspectu semper claruistis debitum respectum habentes tibi ac subditis et vassallis ea loca incolentibus presentibus et futuris quibus tu licentiam tamen dederis, ut equos et alias merces quascunque tam sub litteris nostris predictis comprehensas, quam non comprehensas, non tamen arma aut bellica tormenta, nisi ad commodum christianorum ad predictos Reges, Principes et dominos eorumque ac alias provincias predictas deferre illosque et illas Regibus ipsis eorumque subditis et vassallis aliisque infidelibus praedictis vendere et cum aliis mercibus permutare in maritimis et aliis locis equos et merces huiusmodi recipere, deferentibus auxilium et [favorem ac liberum] transitum impartiri atque concedere, gabellas et alia iura solvi solita ab illis exigere absque conscientiae scrupulo, metuve censurarum et poenarum incursus libere et licite valeatis auctoritate Apostolica predicta earundem tenore presentium concedimus et indulgemus. Decernentes tam per nos, quam successores nostros Romanos Pontifices in dicta Coena Domini sub quibuscumque verborum formis edendas et publicandas litteras te seu vassallos tuos predictos presentes vel futu-

ros quibus, ut prefertur, licentiam concesseris propter praemissa videlicet, nisi de illis ac presentibus nostris litteris expressa et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio facta fuerit, in futurum minime comprehendere censurasve in illis faciendas incurrere, presentes quoque litteras sub quibusvis similium aut dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, alterationibus, moderationibus et aliis contrariis dispositionibus seu litteris dicta die in posterum publicandas nullatenus comprehendi sed semper ab illis exceptas fore et esse et sic per quoscunque iudices et poenas quavis auctoritate fungentes et functuros; sublata eis etc. [attentari]. Non obstantibus praemissis litteris ac quibusvis aliis apostolicis necnon in provincialibus et synodalibus Conciliis editis specialibus et generalibus constitutionibus et ordinationibus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 29 iulii 1563 [1], pontificatus nostri anno tertio.

Cum autem sicut nuper exponi fecisti, licet verum sit, quod ex equorum et mercium in predictis litteris contentarum ad infideles et gentiles in eis contentis delatione nulli alteri christiano Principi, quam tibi tuisque subditis inferri possit praeiudicium aut offensa, id vero adeo esse modicum et modicam, ut habita ratione immensi lucri, quod tu et subditi predicti ab ipsis infidelibus ex iisdem equis et mercibus percipitis pro nihilo debeat censeri quodque difficile admodum esset, civitates, terras et loca quae in partibus in ipsis litteris enarratis possides, earumque incolas et habitatores christianos a vicinorum regum infidelium et christiano nomini infestorum potentia defendere et christianam religionem in illis partibus propagari et propagatam tueri, nisi tu et vassalli praedicti ea loca incolentes ex huiusmodi equorum et mercium mutua venditione [et lucro inde proveniente intuemini] prout in iisdem litteris enarratum; opus tamen reliquae causae in ipsis tunc expresse aut illarum aliquae saltem quoad metalla aenea et cuprea possent cessare et aliae forsan possent difficile iustificari dubitabas, propterea litteras ipsas tibi ac vassallis et personis in eis contentis minime suffragari; et sicut eadem subiungebat expositio primodictae causae satis iustae tibi videbantur ad movendum animum nostrum etiam si aliae nobis non essent prepositae, ut praemissa tibi et illis concederemus; propterea nobis humiliter supplicari fecisti ut dubitationis huiusmodi causam tollere tibique et illis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ad merita tuae erga

[1] Sic! i.e. 1568.

Apostolicam sedem devotionis attendentes ac volentes te favore prosequi gratioso teque ac vassallos tuos predictos a quibusvis excommunicationis aliisque sententiis, censuris et poenis si quas equorum aut aliarum quarumlibet mercium delatione, venditione, gabellarum exactione, aut alias praemissorum occasione post praeinsertarum litterarum nostrarum datarum incurristis absolventes et absolutos fore censentes, litteras ipsas et in eis contenta quaecunque tibi ac vassallis tuis et subditis proinde [...] volumus atque decernimus ac si in illis reliquae causae praeter praemissas duas expressae non essent et nihilominus pro potiori tuae et vassallorum seu subditorum tuorum conscientiarum securitate tibi ac subditis vassallisque tuis ac regnorum et dominiorum tuorum habitatoribus, quibus tu licentiam concesseris ut equos et etiam metalla aenea et cuprea, dum tamen ex metallis huiusmodi considerata eorum qualitate et locorum distantia equi transportant verisimile sit, quod ex eis bellica tormenta per quae reipublicae christianae nocumentum aliquod inferri possit, confici non possint, super quo tuam conscientiam oneramus, aliasque merces quascunque tam a iure quam per litteras predictas in die Coenae Domini legi solitas prohibitas, ad omnia et singula loca provincias, terras, dominia et personas in praeinsertis litteris contenta deferre, non tamen arma aut bellica tormenta nisi, ut prefertur, ad commodum christianorum illosque et illas, tam Regibus et aliis Dominis infidelibus sive mahumetani sive gentiles sint eorumque subditis et vassallis similiter infidelibus sive gentilibus sive mahumetanis vendere et cum aliis permutare aliaque omnia et singula in praeinsertis litteris contenta facere absque conscientiae scrupulo, metuve censurarum aut poenarum incursus libere et licite possitis et valeatis, auctoritate apostolica tenore presentium denuo concedimus et indulgemus. Decernentes easdem presentes literas de subreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis nostrae aut quopiam alio defectu notari seu impugnari non posse nec sub quibusvis similium aut dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, alterationibus, moderationibus et aliis contrariis dispositionibus vel litteris in dicta die Coenae Domini pro tempore publicandis comprehendi debere sed semper ab illis exceptas fore et esse teque ac vassallos ac alios subditos ac habitatores predictos, quibus tu, ut prefertur, licentiam concesseris sub litteris tam per nos, quam successores nostros Romanos pontifices in dicta die Coenae Domini sub quibusvis verborum formis edendis et publicandis, nisi tui et illorum ac praesentium nostrarum expressa et individua, de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio facta fuerit, minime comprehendi censurasve in illis ferendas incurrere et sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iu-

dices et personas quavis auctoritate fungentes et functuras, sublata eis etc. attentari. Non obstantibus omnibus iis, quae in praeinsertis litteris voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 23 octobris 1571 anno 6°.

272

Admonet nos

Sec. Brev. 20 fol. 171r die 25 octobris 1571

ORDINARIIS LOCORUM MANDATUR UT PUBLICENT ANNUM IUBILAEI 1575

Quae ad prospiciendum saluti animarum Summi Pontifices instituerunt, ad notitiam omnium fidelium perduci debent. Appropinquante Anno Iubilaei 1575 etiam ex remotissimis regionibus Novi Mundi multae gentes ad consequendas indulgentias Romae confluere exspectantur. Quare Ordinariis locorum et aliis personis ecclesiasticis mandatur, ut nuntium Anni Iubilaei ad fidelium notitiam deducant et faciant, ut qui ad indulgentias consequendas ad Urbem se conferre velint, temporis commoditatem ad veniendum habeant.

Pius V

Ad futuram rei memoriam. Admonet nos suscepti cura regiminis universalis ecclesiae, cui authore Domino meritis licet imparibus praesidemus, ut ea quae ad delictorum veniam ab omnipotenti Deo promerendam, prospiciendumque saluti cunctorum fidelium animarum, quas suo Creatori lucrifieri semper quaerendum est, Romani pontifices praedecessores nostri pie ac salubriter instituerunt ad christifidelium per universum christianum orbem consistentium notitiam perducere omni diligentia studeamus. Cum itaque sanctus Iobilei ac gaudii et peccatorum remissionis Annus, qui millesimus quingentesimus sep-

tuagesimus quintus iuxta ordinationem eorundem praedecessorum futurus est, appropinquare videatur et ex diversis etiam remotissimis ditionis christianae regionibus multae gentes multi populi ipsius Iobilei cognitionem habentes pro amplissimis eius anni indulgentiis consequendis devote ac reverenter ad almam Urbem nostram confluere soleant. Nos considerantes Indiarum partes aliasque terras mundi novi vocatas charissimis in Christo filiis nostris Philippo Hispaniarum et Sebastiano Portugalliae Regibus subiectas, in quibus benedicente Domino Christiana fides nostris potissimum temporibus maxime est amplificata et in dies magis ope favente divina augeri et per latissima illa loca sese ampliter diffundi non cessat, adeo esse per vastissima maris Ocoeani spatia ab Urbe distantes atque disiunctas, ut christifideles in dictis Indiis et terris commorantes de eodem Iobilei anno admonere ac certiores facere valde opportunum esse censeamus. Quare pro nostri pastoralis officii sollicitudine in praemissis sedulo providere volentes, motu proprio et ex certa scientia omnibus et singulis locorum ordinariis et quibusvis aliis personis ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus in Indiis et terris praefatis existentibus in virtute sanctae obedientiae et sub arbitrii nostri poenis districte praecipiendo mandamus, ut cumprimum presentes litterae sive earum transumpta ad eos pervenerint, Annum Iobilei huiusmodi publicare atque ad quoruncunque fidelium ibi degentium notitiam deducere diligenter curent et faciant ut qui ad plenissimas illius indulgentias et peccatorum remissiones consequendas ad Urbem se conferre voluerint, temporis commoditatem ad veniendum habere valeant in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Volumus autem quod presentium transumptis manu publici notarii subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae presentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 25 octobris 1571 anno 6°.

273

Super universas

Reg. Vat. 2015 fol. 119r-122r — die 10 novembris 1571

ECCLESIA CATHEDRALIS DE *PÁZCUARO* AD OPPIDUM *GUAYANGAREO* TRANSFERTUR

Philippus rex Summus Pontificem supplicavit, ut ecclesiam cathedralem a civitate *Pázcuaro*, provinciae et dioecesis Mechuacanensis, ad oppidum *Guyangareo* (*Guayangareo*) eiusdem provinciae transferret, cum sit locus commodior pro cura animarum. Precibus regis annuens Pius V, modo ut accedat expressus assensus episcopi et capituli, supprimit titulum et dignitatem ecclesiae cathedralis de *Pázcuaro* et in oppidum *Guayangareo* quod in civitatem erigit transfert cum omnibus beneficiis ecclesiasticis, iurepatronatus salvo et illeso remanente. Novae sedi eosdem redditus annuos assignantur. Philippo regi licentia conceditur omnia necessaria pro executione huius translationis faciendi.

Pius V

Pius episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Super universas orbis ecclesias disponente Domino principatum obtinentes et ad illas nostre consecrationis intuitum extendentes si quando illarum aliquas loco minus ad earum profectum commodo constitutas comperimus ad alia commodiora loca transferimus et ad id eo libentibus impellimur cum id a nobis per catholicos Reges de quorum iurepatronatus ille existant expeti conspicimus aliasque desuper disponimus prout locorum et personarum qualitate pensata credimus id in Domino salubriter expedire. Sane charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex catholicus nobis nuper exponi fecit quod licet alias ecclesia cathedralis provincie de Mechuacan in partibus Indiarum consistens in civitate de Pazcuaro eiusdem provincie erecta fuerit et in ea ad presens existat, cum tamen idem Philippus Rex de cuius iurepatronatus dicta ecclesia ex privilegio apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum existit provido ac pie consideret quod si dicta ecclesia ad oppidum de Guyangareo eiusdem provincie et diocesi transferretur hoc non sine illius provincie maximo commodo et animarum dilectorum filiorum illius populi salute esse posset in eoque oppido cum sit locus commodior pro sacramentorum administratione verbique Dei predicatione ob concursum populorum qui ad illud continue confluunt, maior Indorum comersio et totius provincie predicte instructio succederet. Cupiens itaque idem Philippus Rex eo quo semper extitit animo christiane religionis propagandae quam ad omnipotentis Dei laudem pro salubriori dicte ecclesie de Pazcuaro il-

liusque presulis et personarum status directione pium hoc opus executioni debite demandari idem Philippus Rex nobis humiliter supplicari fecit ut in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret et semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis quorum interesset eundem Philippum Regem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati in dicta ecclesia de Pazcuaro titulum et dignitatem cathedralis ecclesie dummodo ad id venerabilis moderni episcopi et dilectorum filiorum capituli dicte ecclesie de Pazcuaro ad hoc expressus accedat assensus, auctoritate apostolica tenore presentium supprimimus et extinguimus ac oppidum de Guyangareo huiusmodi in civitatem, in illa quoque cathedralem ecclesiam sub invocatione eidem Philippo Regi benevisa cum solitis prerogativis et insigniis erigimus et instituimus et ad illam sic erectam Sedem episcopalem cum episcopo et capitulo prefatis ac canonicis necnon canonicatibus et prebendis, dignitatibus aliisque beneficiis ecclesiasticis qualitercumque qualificatis, necnon episcopali et capitulari mensis aliisque insigniis suis dicto iure patronatus eidem Philippo et successoribus suis Hispaniarum Regibus pro tempore existentibus, ita ut ipsi illud ad eandem ecclesiam de Guyanguareo ut prius idem Philippus Rex ad dictam ecclesiam de Pazcuaro habebat retineat salvo et illeso remanente transferimus ac eidem per presentes erecte ecclesie dictum oppidum de Guyangareo pro civitate ac loca per eundem Philippum Regem specificanda, separanda et distinguenda pro diocesi civitatis quoque de Guyangareo et diocesi huiusmodi incolas et habitatores pro clero et populo concedimus et assignamus, necnon mense episcopali pro eius dote eos quos ipsa ecclesia de Pazcuaro hactenus habebat seu alios redditus annuos per ipsum Philippum Regem ex redditibus annuis ad eum in dictis provinciis spectantibus assignandos applicamus et appropriamus, necnon predictis episcopo et canonicis aliisque eiusdem ecclesie de Pazcuaro personis ad ecclesiam et civitatem erectas huiusmodi transeundi licentiam, eidem vero Philippo Regi omnia et singula alia que eidem Philippo Regi in eisdem premissis necessaria videbuntur et opportuna faciendi et exequendi amplam et omnimodam facultatem auctoritate apostolica et tenore presentis concedimus. Decernentes omnia et singula per eundem Philippum Regem premis-

sorum occasione pro tempore facta, gesta et executa perpetuo valida et efficacia fore et esse ac perpetua roboris firmitate substinere et ita per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate debere irritum quoque et inane si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Messican. et Tascalen. ac Amerin. episcopis per apostolica scripta mandamus quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios presentes litteras et in eis contenta quecumque ubi et quando opus fuerit ac quoties pro parte dicti Philippi Regis fuerint requisiti solemniter publicantes eique in premissis efficacis defensionis presidio assistentes faciant eum et pro tempore existentem quam primum et alios predictos premissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas aliaque opportuna iuris et facti remedia appellatione postposita compescendo legitimisque super his habendis servatis processibus sententias, censuras et penas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii papae VIII predecessoris nostri de una et Concilii generalis de duabus dietis dummodo ultra tres dietas quis vigore presentium ad iudicium non extrahatur et aliis apostolicis constitutionibus ac dicte ecclesie de Pazcuaro iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque, ac si aliquibus communiter vel divisim ab apostolica Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, translationis, assignationis, applicationis, appropriationis, concessionis, decreti et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quingentesimo septuagesimo primo, quarto idus novembris pontificatus nostri anno sexto.

274

Pastoralis officii

Reg. Vat. 2013 fol. 169r-170v — die 13 ianuarii 1572

DOMUS RELIGIOSA SUPPRIMITUR, REDDITUS EIUS HOSPITALI PAUPERUM ASSIGNANTUR

In civitate *Panamá* provinciae Castellae de Auro (*Castilla de Oro*) existens domus Ordinis Beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis captivorum sub regula Sancti Augustini, quasi derelicta est. Philippus rex Summum Pontificem supplicavit, ut conventum supprimeret et domum hospitali, in eadem civitate pro pauperibus infirmis erectae, assignaret. Pontifex episcopo de *Panamá* mandat, ut se de statu quaestionis diligenter informet et si omnia quae Summo Pontifici exposita sunt vera repererit domum supprimat et bona ac redditus eius hospitali concedat, superioribus autem religionis inhibeat ne administratores perturbent.

Pius V

Venerabili fratri episcopo de Panama [1] salutem et apostolicam benedictionem. Pastoralis offitii debitum cui disponente domino presidemus nobis persuadet ut ad ea per que hospitalium et aliorum piorum locorum ac in eis degentium pauperum infirmorum et aliarum miserabilium personarum necessitatibus et indigentiis congrue valeat subveniri efficaciter intendamus ac in iis eiusdem offitii partes propensius impartiamur prout catholicorum Regum vota exposcunt et in Domino conspicimus salubriter expedire. Sane cum sicut dilectus filius noster Philippus Hispaniarum Rex catholicus nobis nuper expo-

[1] Episcopus Ecclesiae Panamensis erat Franciscus Abrego (1566-1574).

ni fecit in domo ordinis beate Marie de Mercede redemptionis captivorum sub regula Sancti Augustini alias in civitate de Panama provintie terre firme Castella de Auro nuncupate in Indiis maris Oceani consistente instituta paucissimi et fere nulli fratres dicti ordinis resideant quin imo qui pro tempore in eadem domo commorantur ex iis fratribus qui ad alias transeuntes provintias illac iter faciunt existant bonaque dicte domus in suos usus convertant. Cumque similiter alias in eadem civitate institutum fuerit unum hospitale pauperum in quo pauperes infirmi qui ob aeris intemperiem permulti sunt reponentur et curantur illius tamen redditus cure eorundem pauperum aliquando non sufficiant, si domus predicta in eo prius dicto ordine omnique illius essentia, statu et dependentia regularibusque penitus suppressis et extinctis eidem hospitali perpetuo concederetur et assignaretur ex hoc profecto dicti hospitalis subventioni pauperumque in eo existentium sustentationi opportune consuleretur maiusque divini cultus servitium exinde proveniret. Quare idem Philippus Rex cuius temporali dominio predicta civitas subesse dignoscitur nobis humiliter supplicari fecit quatenus in dicta domo ordinem et essentiam ac statum et dependentiam regulares huiusmodi supprimere et extinguere ac domum ipsam eidem hospitali perpetuo concedere et assignare aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri teneretur exprimere verum annuum valorem etiam benefitii cui aliud uniri peteretur alioquin unio non valeret certam de premissis noticiam non habentes necnon fructùum, reddituum et proventuum domus et hospitalis huiusmodi ac illis respective forsan annexorum veros annuos valores presentibus pro expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis qui fuerint evocandi de premissis nobis expositis te diligenter informes et si per informationem huiusmodi illa vera esse repereris super quo conscientiam tuam oneramus in dicta domo ordinem, essentiam, statum et dependentiam regulares huiusmodi penitus et omnino perpetuo supprimere et extinguere ac domum ipsam cum illi annexis huiusmodi omnibusque iuribus et pertinentiis suis eidem hospitali ita quod liceat modernis pro tempore existentibus administratoribus seu rectoribus vel deputatis dicti hospitalis per se vel alium seu alios corporalem possessionem domus et annexorum iuriumque et pertinentiarum predictorum propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere illosque fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta in dicti hospitalis usus et utilitatem convertere cuiusvis licentia desuper minime requisita etiam perpetuo concedere et assignare necnon pro tempore existenti ministro generali

ac aliis superioribus conservatoribus et personis domus et ordinis huiusmodi in virtute sancte obedientie ac sub excommunicationis late sententie aliisque arbitrio tuo imponendis et applicandis penis ne eosdem administratores seu rectores vel deputatos super premissis quovis quesito colore molestare, perturbare vel inquietare audeant vel presumant districtius inhibere auctoritate nostra procures non obstantibus priori voluntate predicta ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon domus et ordinis prefatorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis domui et ordini ac ministro generali necnon superioribus conservatoribus et personis predictis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficatioribus et insolitis clausulis ac irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolice potestatis plenitudine etiam consistorialiter ac omnibus quomodolibet concessis, approvatis et innovatis quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica individua et expressa ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales etiam idem importantes mentio seu quevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent presentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscumque, aut si ministro superioribus conservatoribus et personis predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, nos enim extunc irritum decernimus et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quingentesimo septuagesimo primo, idibus ianuarii pontificatus nostri anno sexto.

275

Licet alias nos

Sec. Brev. 20 fol. 297rv — die 22 februarii 1572

DE ITERATIONE ELECTIONIS OFFICIALIUM ORDINIS FRATRUM MINORUM

Summus Pontifex statuerat quod minister generalis, commissarius, procurator et provincialis Ordinis Fratrum Minorum de observantia ad idem officium eligi nequeant, nisi post sexdecim annos. Propter exiguum numerum religiosorum in Nova Hispania autem hoc observari nequit. Ideoque Pius V, precibus Philippi regis inclinans, terminum sexdecim annorum in illis provinciis ad triennium reducit, ita ut generalis et alii officiales Ordinis Minorum de observantia, si per triennium haec officia non obtinuerint, ad illa denuo reassumi possint.

Pius V

Ad perpetuam rei memoriam. Licet alias nos cupientes Ordinem fratrum minorum Sancti Francisci de observantia pro nostre providentie ministerium felicia in Domino suscipere incrementa per quas in forma brevis litteras inter alia statuerimus quod tam minister generalis quam commissarius et procurator etiam generales ac provinciales dicti Ordinis ad idem offitium eligi nequeant nisi post sexdecim annos minusque minister generalis in commissarium vel procuratorem generales aut commissarius generalis in ministrum seu procuratorem generales, nec procurator generalis in ministrum vel commissarium generales nisi post dictos sexdecim annos ac alias prout in nostris motu proprio confectis litteris plenius continetur. Cum tamen sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus exponi nobis nuper fecit premissa in provintia Nove Hispanie India-

rum maris Oceani que ipsius Philippi Regis temporali dominio subesse dignoscuntur [...] religiosorum inibi existentium qui meritis ad dignitates huiusmodi assequendas polleant paucitatem observari nequeat sique ad illas inhabiles assumerentur facile esse posset, ut et in dicti Ordinis domibus salubre ac necessarium non vigeret gubernium et exinde fructus spiritualis qui ex eorum doctrina illarum partium incolis provenit non colligerentur in maximum ipsorum animarum salutis detrimentum. Quare idem Philippus Rex nobis humiliter supplicari fecit ut in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur, nos qui honestis catholicorum Regum votis libenter annuimus eaque favoribus prosequimur opportunis ipsius Philippi Regis in hac parte supplicationibus inclinati decernimus, volumus atque statuimus litteras nostras predictas quoad dispositionem eligendi de [novo] in provintiales eos qui eatenus fuissent tam in predicta quam aliis provintiis Indiarum huiusmodi eidem Philippo Regi subiectarum locum minime habere [nec] in illis servari debere sed terminum sexdecim annorum huiusmodi in illis ad triennium dumtaxat reducimus, ita quod qui per triennium tantum similia offitia non obtinuerit ad illa denuo reassumi possit, nec propterea tam ipse quam eligentes huiusmodi litterarum nostrarum predictarum transgressores dici aut censeri possint sicque illas interpretari ac super illis per quoscumque iudices et comissarios quavis auctoritate fungentes etiam Causarum Palatii Apostolici auditores aut locorum ordinarios necnon ipsosmet ordinis predicti superiores iudicari debere ac quicquid secus super hiis quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane decernimus. Non obstantibus litteris nostris [predictis] necnon in provincialibus et sinodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus ac quibusvis a[liis] in dictis ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile foret presentes litteras ad singula queque loca in quibus eis utendum erit deferri volumus et predicta auctoritate decernimus illarum transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius persone in dignitate ecclesiastica constitute munitis eandem prorsus fidem etiam in iuditio adhibendam esse que ipsis presentibus adhiberetur si forent exibite vel ostense. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXII februarii 1572, anno 7°.

276

Creditam nobis

Bull. Patr. I 229-231 die 13 martii 1572
BM II 1301; XXX 12

RESERVATIO BENEFICIORUM ECCLESIASTICORUM PRO PROPAGATIONE FIDEI

Pontifex a Sebastiano, Portugalliae et Algarbiorum rege, insinuationem accepit quod pro fide catholica in Indiae, Brasilii, Iaponiae aliisque suorum dominiorum locis propaganda et conservanda plures quam ibi reperiuntur viri scientia theologiae praediti necessarii erant; putabat autem rex tali necessitati eo consuli posse, quod viris, qui sacrarum litterarum studiis vacant aliqua praemia proponerentur, quae tempore procedente assequi possent atque ea spe permoti facilius adducerentur ad veritatis lumen barbaris et gentilibus afferendum. Remedium igitur opportunum adhibere intendens Pontifex *motu proprio* statuit et ordinat, quod perpetuis futuris temporibus duae partes ex tribus omnium dignitatum, canonicatuum aliorumque beneficiorum, quae modis indicatis vacare contigerit, iis tantum conferri valeant, qui in theologia vel iure canonico magistri, doctores aut licentiati declarati sint. Deficientibus autem magistris, doctoribus aut licentiatis huiusmodi, ipsorum loco bachalaurei in eisdem facultatibus graduati eligantur, vel alii in aliqua universitate studii generalibus studentes, *alias tamen idonei et in sacris ordinibus constituti,* et examine qualificati, de quo Infans Portugalliae in Urbe Cardinalis certitudinem obtineat.

Pius V

Ad perpetuam rei memoriam. Creditam nobis desuper regendae militantis Ecclesiae providentiam utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes, ad ea libenter intendimus, per quae singulae collegiatae

insignes, et cathedrales ac metropolitanae Ecclesiae, ad Altissimi laudem et gloriam, ac Christiani populi utilitatem, litteratorum virorum fulciantur praesidiis ac alias disponimus, quo exinde homines, quorum opera et doctrina Christiana religio ampliari et propagari valeat, ad litterarum studiis promptius intendendum impelli posse speramus.

Sane ex charissimi in Christo filii nostri Sebastiani, Portugalliae et Algarbiorum Regis, insinuatione accepimus, quod pro fide Catholica in Indiae, do Japam, Brasilii, aliis suorum dominiorum et ditionis locis, propaganda, amplianda et conservanda viri litterarum et praesertim theologiae scientia praediti plurimum erant necessarii, quoniam pro multitudine messis operarii pauci reperiebantur; quod, si viri, qui sacrarum litterarum studiis vacarent, aliqua proponerentur praemia, quae ipsi, tempore procedente, assequi posse sperarent ex eo multas ad illa capescendum invitari, sicque incolis dictorum locorum, barbaris et gentilibus, quoad veri luminis, qui Christus est, agnitionem valeant commodius adduci, opportune consuli posset.

Nos igitur pro nostri pastoralis officii debito opportunum remedium praemissis adhibere volentes, motu proprio, non ad alicujus super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed de mera deliberatione et scientia nostris, auctoritate Apostolica, tenore praesentium statuimus et ordinamus quod de caetero perpetuis futuris temporibus duae partes ex tribus omnium dignitatum, canonicatuumque et praebendarum singularum collegiatarum insignium, cathedralium et metropolitanarum Ecclesiarum Portugalliae et Algarbiorum regnorum, per venerabiles fratres Ecclesiarum earundem archiepiscopos et episcopos designandae et specificandae, cum primum post specificationem et designationem easdem, per decessum illas et illos ad praesens obtinentium, vacare contigerit; et deinde quotiescumque illorum vacatio per cessum vel decessum, aut quamcumque aliam dimissionem vel amissionem illos et illas obtinentium, etiam in aliquo ex mensibus, nobis et Romano Pontifici, pro tempore existenti, per constitutiones nostras, etiam in Cancellaria Apostolica publicatas, aut alias reservatis, simul vel successive pro tempore occurrerit; etiamsi ad canonicatus et dignitates praedictas consueverit quis per electionem assumi, eisque cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, iis tantum et non aliis conferri valeant, qui in theologia vel jure canonico magistri, aut doctores seu licentiati, in publicis universitatibus studiorum generalium graduati, et in sacris ordinibus fuerint constituti, praevio examine, per oppositionem in concursu in Ecclesiis, ubi dignitates, aut canonicatus et praebendae vacaverint, per episcopum seu archiepiscopum, una cum dilectis filiis capitulo illius Ecclesiae, aut aliis litteratis et ecclesiasticis personis in synodo dioecesana eligendis et deputandis, pu-

blicis etiam praecedentibus edictis, in Ecclesiis ipsis ac universitatibus dictorum regnorum affigendis, cum termini competentis assignatione, aliasque juxta statuta servari solita in provisione canonicatuum, magistralium et doctoralium nuncupatorum, in singulis Ecclesiis praedictis, Apostolica auctoritate, institutorum faciendo, ita videlicet ut illi, qui majori episcopi seu archiepiscopi et capituli, aut ut praefertur, eligendarum et deputandarum personarum suffragiorum numero magis idoneus fuerit judicatus, collatio et provisio omnino etiam per nos aut Romanum Pontificem, pro tempore existentem, seu loci ordinarium, aut illum, ad quem collatio pro tempore spectabit, fieri debeat; data vero inter aliquos in omnibus aliis paritate, dioecesanus non dioecesano, et dioecesano ex eadem civitate seu loco, in quo dignitas vel canonicatus et praebenda fuerit, oriundus aliis praeferatur.

Praeterea cum theologica facultas, ad fidei Catholicae propagationem, ac gentilium ad illam conversionem, illosque Christianae religionis praecepta et evangelicam veritatem, aliaque ad aeternam salutem necessaria edocendum apprime sit opportuna, tantum dictarum duarum tertiarum partem ex dignitatibus, canonicatibus et praebendis praedictis, doctoribus seu licentiatis in iure canonico, reliquas vero earundem duarum tertiarum partes, per eosdem venerabiles fratres archiepiscopos et episcopos etiam designandas et specificandas, magistris seu licentiatis in theologia, cum primum et deinde quoties pro tempore, ut praefertur, vacaverint, conferri volumus et ordinamus.

Deficientibus autem magistris, doctoribus aut licentiatis hujusmodi, ipsorum loco bachalauri formati in eisdem facultatibus, ut praefertur, graduati et qualificati; illis vero etiam deficientibus, tunc etiam non graduati, in eisdem tamen facultatibus in aliqua universitate studii generalis studentes, alias tamen idonei et in sacris ordinibus constituti, ac servato examine per oppositionem in concursu, praecedentibus edictis, ut praemittitur, ad easdem dignitates et canonicatus admitti, illisque conferri posse permittimus; nemine autem, ut praefertur, qualificato in termino pro edicto praefixo comparente, aut nullo ex qualificatis idoneo reperto, liceat ex tunc ei, ad quem collatio spectabit, vacantem dignitatem, aut canonicatum et praebendam idoneae personae, etiam, ut praemittitur non qualificatae, praevio diligenti examine, conferre.

Ad haec eisdem venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ipsis vero episcopis negligentibus, eorum metropolitanis quibus etiam negligentibus, dilecto filio nostro Henrico, tituli Sanctorum quatuor coronatorum Praesbytero Cardinali, Infanti Portugalliae, nostro et Apostolicae Sedis de latere legato, per praesentes committimus et in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut infra

annum, a data praesentium computandum, in singularum Ecclesiarum earundem archivis tam dictas duas partes ex tribus dignitatum, canonicatuumque et praebendarum, quae magistris in theologia, aut decretorum doctoribus seu licentiatis conferri de caetero debere, ut praefertur, statuimus, quam, quae ex dignitatibus, ac canonicatibus et praebendis ipsis magistris seu licentiatis in theologia, et quae de caetero doctoribus conferri, et illis affecta remanere debeant, designare, specificare, et annotare facere, auctoritate nostra, curent.

Hortantes nihilominus eosdem et super eo eorum conscientias onerantes, ut in designatione, annotatione et specificatione praedictis justitia distributiva ita utantur, ut singuli tam in theologia magistri, quam decretorum doctores seu licentiati, quam caeteri, quibus reliqua tertia pars dignitatum, canonicatuum et praebendarum, sub statuto et ordinatione hujusmodi non comprehensa, erit conferenda, pinguioribus et minus pinguioribus dignitatibus et praebendis aequaliter gaudeant.

Ac decernentes dignitates, canonicatusque et praebendas, annotatos et declaratos pro theologis et canonistis respective, ut praefertur, perpetuo affecta remanere, ac quascumque speciales aut alias generales reservationes, a nobis et Romanis Pontificibus, successoribus nostris, aut eorum legatis, pro tempore emanatas, statutum, ordinationem voluntatem et concessionem hujusmodi, ac formam praedictam impedire nullatenus posse aut debere, collationesque, provisiones et alias dispositiones de duabus partibus dignitatum, canonicatuum et praebendarum praedictorum, postquam, ut praefertur, specificatae et annotatae fuerint, statuto, voluntate, ordinatione ac forma praedictis non observatis, quavis etiam Apostolica auctoritate, pro tempore factas, nullas, irritas et inanes, nulliusque roboris vel momenti fore; easdem quoque praesentes litteras, nullo unquam tempore, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu, notari, impugnari vel invalidari, aut sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus compraehendi nullatenus posse, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, et de novo concessas esse; sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque judices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac S.R.E. cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi facultate, judicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obstantibus quibusvis Apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus Conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus, ac Ecclesiarum earundem, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis eisdem Ecclesiis, illorumque praesulibus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod theologi praedicti, si ante assecutionem dignitatum, canonicatuumque et praebendarum hujusmodi per biennium saltem in partibus infidelium praedictis verbum Dei non praedicaverint, illorumque conversionem ad Christi fidem non procuraverint, post illarum assecutionem ad praedicti Regis requisitionem, quam primum expediens fuerit, faciendam, super quo ejus conscientiam oneramus, id omnino facere debeant et teneantur, alias dignitates, canonicatusque et praebendae eis collatae vacare censeantur eo ipso, et aliis tamquam vacantia a nobis seu Romano Pontifice conferri, ut praefertur, possint; provisio tamen, ne divinus cultus detrimentum patiatur, quod uno et eodem tempore multi ab Ecclesiarum servitio absentes non sint: quodque nominati seu electi ab examinatoribus praedictis, ad dignitates, canonicatusque et praebendas, nobis et Romano Pontifici, pro tempore existenti, reservatas seu affectas, infra sex menses provisiones a nobis et Sede Apostolica impetrare, litterasque sub plumbo desuper expedire, et jura Camerae Apostolicae propterea debita omnino solvere teneantur. Alioquin, mensibus ipsis elapsis, libere per nos aut Romanum Pontificem praefatum conferri valeant.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII Martii MDLXXII, Pontificatus nostri anno septimo.

277

Cum sicut accepimus

Hernáez I 96-97

CONFESSIO PER INTERPRETEM INDIS NEOPHYTIS PERMITTITUR

Motu proprio Pontifex neophytis concedit, qui ob linguae ignorantiam praecepto confessionis annuae aliter satisfacere nequeunt, ut per interpretem peccata sua confiteri valeant, a quibus valide et licite absolvantur, poenitentia salutari in forma Ecclesiae consueta iniuncta. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Pius V

Cum sicut accepimus in plurimis Indiarum provinciis tot sunt idiomata quot oppida; et cum post susceptum baptismum Indi teneantur ad confessionem annuatim faciendam, nequeunt ullo modo huic praecepto facere satis, maxime integre sua peccata confitendo; nam ministri omnino eorum linguam ignorant; et loquuntur eos per interpretem, adducuntque eos ad hoc, ut lingua quadam generali et communi quam Indi praedicti balbutientes loquuntur et ministri intelligunt, aliqua peccata detegant: omnia enim neque sciunt, neque exponere verbis possunt, sed signis atque nutibus de omnibus generaliter se dolere ostendunt; hoc ergo in casu dubitant ministri, an praedictis Indis sic confitentibus, possint beneficium sacramentalis absolutionis impendere: quandoquidem impossibile judicatur eos aliter posse huic praecepto de confessione, vel semel in vita facienda, satisfacere; Nos igitur animarum eorundem ministrorum et Indorum saluti opportune consulentes, eosque specialibus favoribus ac gratiis prosequentes,

motu simili, et de certa nostra scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, ministris praedictis, nunc et pro tempore existentibus; ut auditis, modo quo supra, eorumdem Indorum confessionibus, illos a peccaris eorum, sic confessis, absolvant, illisque poenitentiam salutarem in forma Ecclesiae consueta injungant, licentiam et facultatem, concedimus: absolutionesque et injunctiones, sic, ut praemittitur, factas, animabus confitentium suffragari debere, indulgemus de gratia speciali. Non obstantibus quibusvis concessionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque cum omnibus opportunis et consuetis. (Verba sancti Pii propria manu uti colligitur subscripta.)

278

Provisionis nostrae

Sec. Brev. 27 fol. 106r; 28 fol. 70rv — die 28 maii 1572

IN VIM PROVISIONIS SUPER DISPENSATIONE VIGOROSA

Franciscus de Victoria Ordinis sancti Dominici certis ex causis textu originali minutae litterarum Pii V diei 3 octobris anni 1571 indiget, quibus Summus Pontifex Ferdinando de Carvajal et Luciae de Limpias dispensationem in secundo gradu consanguinitatis concessit. Gregorius XIII textum ex minuta originali transcribere fecit et dispensationem auctoritate apostolica iterum confirmat.

Gregorius XIII

Ad futuram rei memoriam. Provisionis nostrae debet provenire subsidio ut ius suum unicuique conservetur. Hinc est, quod nos teno-

rem quarumdam literarum felicis recordationis Pii Papae V praedecessoris nostri in secretaria domestica ipsius praedecessoris repertum pro eo quod sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii fratris Francisci de Victoria ordinis Sancti Dominici professoris petitio continebat ipse huiusmodi tenore ex certis causis dignoscatur indigere ex minuta originali de verbo ad verbum transcribi, et ad eiusdem fratris Francisci supplicantis instantiam praesentibus annotari facimus, qui talis est: a tergo videlicet Venerabili fratri Episcopo Civitatis Angelorum, seu eius vicario in spiritualibus generali; intus vero: Pius Papa V, venerabilis frater, seu dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem. Oblatae nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Ferdinandi etc. datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 3 octobris 1571, Pontificatus nostri Anno sexto. Caesar Glorierius. Caeterum, ut earundem literarum tenor praedictus sic insertus omnimodam rei, seu facti certitudinem faciat, auctoritate apostolica decernimus ut illud idem robur eamdemque vim, ac eumdem vigorem dictus tenor per omnia habeat, quae haberent originales literae supradictae, ac eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur quandocumque, et ubicumque sive in iudicio, sive alibi, ubi fuerit exhibitus, vel ostensus, ac eidem tenori firmiter stetur in omnibus, sicut eiusdem originalibus literis staretur, si forent exhibitae, vel ostensae. Per hoc autem nullum ius cuique de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 28 maii 1572 anno primo [1].

[1] Cfr. supra doc. 267.

279

Iustum reputamus

Sec. Brev. 69 fol. 292r-294r; 70 fol. 290r-291v die 30 maii 1572

CULTUS RELIQUIARUM SANCTORUM AD PROPAGATIONEM FIDEI PERUTILIS ET NECESSARIUS

Franciscus de Victoria OP Papae Pio V exposuerat, quod in ecclesiis Indiarum Occidentalium paucae reliquiae sanctorum reperiuntur. Pius V attendens intercessionem sanctorum perutilem et necessariam esse ut Ecclesia in illis partibus fecundaretur et propagaretur, die 12 kalendas novembris anno pontificatus sui sexto (21.X.1571) Francisco concessit quascumque reliquias sanctorum ex ecclesiis et monasteriis extrahere et in partes Indiarum Occidentalium transferre ac in ecclesiis Fratrum Praedicatorum aliisque locis sacris tam regularium quam saecularium collocare et aliis personis tradere. Christifidelibus autem qui reliquias visitant et pias ad Deum preces fundunt, diversas indulgentias elargitus est. Superveniente Summi Pontificis obitu litterae apostolicae desuper confectae non sunt. Gregorius XIII decernit, ut omnia suum plenum effectum sortiantur, ac si die 12 kalendas novembris litterae confectae fuissent.

Gregorius XIII

Ad pepetuam rei memoriam. Iustum reputamus et rationi consonum ut Romanorum gesta Pontificum salutem animarum praesertim concernentia super quibus illorum superveniente obitu, literae apostolicae confectae non fuerunt universis christifidelibus innotescant. Dudum siquidem felicis recordationis Pio papae V praedecessori nostro pro parte dilecti filii Francisci de Victoria [1] ordinis fratrum praedicatorum provinciae Sancti Ioannis Baptistae del Peru, Indiarum maris Oceani, professoris ac in theologia praesentatus, nec non vices procuratoris dictae provinciae gerentis, exposito quod in Ecclesiis provinciarum Sancti Vincentii de Chappa Sancti Iacobi Novae Hispaniae existenti Ioannis Baptistae del Peru et Sancti Antonii de novo regno, nec non Sanctae Crucis in insula Sancti Dominici et aliarum quarumcumque provinciarum pro tempore erigendarum maris Occeani et del Sur, ac aliarum partium sub ditione charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis catholici existentium reliquiae sanctorum admodum paucae reperiebantur, idem Pius praedecessor attendens

---

[1] Franciscus de Victoria, natus in Lusitania, anno 1560 in *Perú* Ordini Fratrum Praedicatorum nomen dedit, 1569 procurator Ordinis in Madrid et Romae, 1578 episcopus de *Tucumán*, ordinatus episcopus in *Sevilla*, anno 1581 in dioecesim suam pervenit, anno 1587 munere se abdicavit; mortuus est anno 1592. *Egaña* 111-117.

predictorum sanctorum orationes et intercessiones quas apud Deum pro christianis exhibent in coelis, dum sacras eorum reliquias devote venerantur in terris, in eisdem remotis partibus tam religiosis in illis partibus ministris Evangelii, quam illarum partium populis ad fidem catholicam noviter conversis perutiles et admodum necessarias esse, ita ut plurimum expediret venerandas huiusmodi sanctorum reliquias in dictis partibus haberi et a dictis populis Deique et sacri Evangelii ministris devote et pie venerari ut his et similibus adiutoriis nova illa Ecclesia fecundaretur et propagaretur, ac devotio ad Deum et sanctos suos Sedemque apostolicam magis atque magis cresceret sub data videlicet 12 kalendas novembris, pontificatus sui anno sexto dicto Francisco ut quascumque sanctorum reliquias ab archipresbiteris, abbatibus, prioribus, capitulis, conventibus, sacristis, rectoribus et aliis personis quarumcumque basilicarum, ecclesiarum, monasteriorum et locorum almae Urbis et extra eius muros, ac alias ubilibet existentium datas et dandas exinde extrahendas recipere, illasque extra dictam Urbem et ad dictas partes Indiarum et insularum maris Occeani transferre seu transferri facere, ac in quibusvis Ecclesiis tam erectis quam erigendis dictarum provinciarum tam erectarum quam erigendarum fratrum praedicatorum nec non in cappellis et oratoriis tam regularium quam secularium et sacris locis dictarum et aliarum quarumcumque partium sibi benevisis eas collocare aut personae seu personis decentibus tamen et honestis, ac eidem Francisco benevisis absque conscientiae scrupulo ac censurarum et poenarum incursu donare et offerre, ac etiam distribuere dictisque abbatibus, prioribus, capitulis, conventibus, sacristis, rectoribus et aliis personis ut ipsi illas eidem Francisco libere et licite tradere possent et valerent absque conscientiae scrupulo ac censurarum et poenarum incursu apostolica auctoritate concessit et indulsit, ac plenam licentiam et liberam facultatem impartitus est, nec non de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisus omnibus et singulis utriusque sexus, qui dictas reliquias vel earum singulas aut etiam ipsarum quaslibet particulas postquam collocatae forent in locis ad quae eos transferri contingeret, pro tempore visitarent et coram eis ad Dominum nostrum Iesum Christum pro sua Sancta Ecclesia ac pace seu unione inter principes christianos conservatione, haeresum extirpatione et Sedis Apostolicae exaltatione ac populorum illarum partium adhuc sub caligine tenebrarum existentium conversione ac conversorum in fide perseverantia et incremento pias ad Deum preces funderent quoties id facerent, toties quadraginta dies semel in anno vero decem annos et totidem quadragenas tantum de iniunctis eis poenitentiis auctoritate praedicta misericorditer in Domino relaxavit,

ac voluit quod relaxatio huiusmodi sub quibusvis similium vel dissimilium indulgentiarum et gratiarum revocationibus, suspensionibus, alterationibus vel aliis contrariis dispositionibus per eumdem praedecessorem aliosque Romanos Pontifices successores suos aut dictam Sedem etiam ex quavis causa ac alias quomodolibet canonice vel de facto tunc factis et pro tempore faciendis nullatenus comprehenderetur, sed semper ab illis exciperetur et quoties illae emanarent toties in pristinum et validissimum statum restituta et de novo concessa existeret ac eam fore et censeri, ac eisdem christifidelibus suffragari sicque per quoscumque iudices etiam Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales ac Causarum Palatii apostolici auditores sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et diffiniri debere et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decrevit. Non obstantibus praemissis ac quibusvis apostolicis, universalibus, provincialibus et synodalibus constitutionibus et ordinationibus, ac dictarum Ecclesiarum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, contrariis quibuscumque. Voluit quoque dictus praedecessor quod litterarum desuper conficiendarum transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius in dignitate ecclesiastica constituti munitis eadem prorsus fides adhiberetur, quae ipsis originalibus literis si desuper confectae fuissent adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae; ne autem de concessione, indulto, relaxatione et voluntate huiusmodi pro eo quod super illis ipsius praedecessoris litterae eius superveniente obitu confectae non fuerunt valeat quomodolibet haesitari volumus et apostolica auctoritate decernimus quod concessio, indultum, relaxatio et voluntas huiusmodi perinde a dicto die 12 kalendas novembris valeant, suum plenum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius praedecessoris litterae sub eiusdem diei data confectae fuissent prout superius enarratur; quodque praesentes literae ad probandum plene concessionem, indultum, relaxationem et voluntatem dicti praedecessoris ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 30 maii 1572, anno primo.

280

Provisionis nostrae

Sec. Brev. 69 fol. 310rv; 70 fol. 308rv die 30 iulii 1572

CONFIRMATIO LITTERARUM PII V PRO
IOANNE CAMACHO ORDINIS PRAEDICATORUM

Gregorius XIII

Ad futuram rei memoriam. Provisionis nostrae debet provenire subsidio, ut ius suum unicuique conservetur. Hinc est, quod nos tenorem quarumdam literarum in forma brevis felicis recordationis Pii papae V praedecessoris nostri in Secretaria Apostolica domestica ipsius praedecessoris repertum pro eo quod sicut exhibita nobis pro parte dilecti filii Ioannis Chamacho ordinis Sancti Dominici praedicatorum professoris petitio continebat, ipse huiusmodi tenore ex certis causis dignoscatur indigere ex originali minuta de verbo ad verbum transcribi et ad eiusdem Ioannis supplicantis instantiam presentibus annotari fecimus, qui talis est: Pius Papa V. Universis christifidelibus presentes literas inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Salvatoris Domini nostri Iesu Christi etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die prima iulii 1571 pontificatus nostri anno VI. Caesar Glorierius. Caeterum ut earumdem literarum tenor predictus sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, auctoritate apostolica per presentes decernimus ut illud idem robur eamdemque vim ac eumdem vigorem dictus tenor per omnia habeat quae haberent originales literae suprascriptae, ac eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocumque et ubicumque sive in iudicio, sive extra et alibi ubi fuerit exhibitus vel ostensus et eidem tenori firmiter stetur in omnibus sicut eisdem originalibus litteris staret,

si forent exhibitae vel ostensae. Per hoc autem nullum ius cuique de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari, Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. die 30 iulii 1572, anno primo.

281

Inter universa

Hernáez I 525-526
Bull. Praed. V 313

die 15 octobris 1572

ERECTIO MONASTERII MONIALIUM ORDINIS PRAEDICATORUM IN *ANTEQUERRA*

Pontifex petitionem accepit ab episcopo civitatis *Antequerra* in partibus Indiarum, quae valde populata existit, ut inibi monasterium aliquod monialium erigatur, quo maxime indiget. Ordinis Praedicatorum ipse professus, episcopus orator Regulam istius Ordinis pro monasterio erigendo proponit, quod de suo proprio dotare intendit atque in eo ordinationes et constitutiones opportunas statuere, quod Pontifex auctoritate apostolica concedit.

Gregorius XIII

Gregorius Episcopus Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Inter universa divinae Majestatis accepta opera fundare coenobia ac reliqua loca etc. Sane pro parte Venerab. Fratris nostri Bernardi [1] episcopi Antequeren. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum Civitas Antequeren. quae in partibus Indiarum et valde populata existit aliquo Monialium Monasterio, ex quo nullum inibi extat, maxime indigeat, ipseque Bernardus Episcopus zelo devotionis accensus, unum Monasterium Monialium sub Regula Ordinis Fratrum Praedicatorum, quem ipse Bernardus Episcopus expresse professus extitit, in eadem Civitate in quibusdam domibus suis, quas inibi a

[1] De Bernardo de Albuquerque cfr. supra doc. 220.

Cathedrali Ecclesia plurimum distantibus possidet. Quare pro parte dicti Bernardi Episcopi asserentis se Monasterium praedictum, postquam sic erectum fuerit, ut praefertur, de suo proprio dotare velle, Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus sibi in dictis domibus Monasterium Monialium dicti Ordinis erigendi et instituendi, ibidemque certum earumdem Monialium numerum fore debere declarandi, idemque sic erigendum Monasterium de suo proprio dotandi et in eo aliqua, ordinationes et constitutiones ac statuta statuendi ac disponendi licentiam ac facultatem concedere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui divini cultus augmentum et Religionis propagationem ac animarum salutem, nostris potissimum temporibus, augeri supremis desideramus affectibus, pium laudabileque propositum dicti Bernardi Episcopi plurimum in Domino commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem Bernardo in dictis domibus unum Monasterium Monialium ejusdem Ordinis Praedicatorum, alias tamen sine alicujus praejudicio erigendi et instituendi, illudque sic erectum de suo proprio dotari et in eo certum Monialium numerum, ut praefertur, declarandi, necnon aliqua, constitutiones et ordinationes ac statuta laudabilia et Sacris Canonibus non contraria, quae in dicto Monasterio perpetuo servari debeant, condendi et statuendi, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, plenam in Domino concedimus facultatem et auctoritatem. Non obstantibus etc. Datum Romae, apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Idibus Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

282

In tanta rerum

Hernáez I 477 die 1 martii 1573

PRIVILEGIA A PIO V REGULARIBUS CONCESSA AD STATUM PRISTINUM REDUCUNTUR

Pontifex notat inter tot et tanta negotia, quibus Romanus Pontifex undique premitur, nonnulla aliquando exsilire potuisse, quibus postea moderationis remedium adhibendum sit. Ita praedecessor proprius Pius Papa V ut gravaminibus obviaret, quibus Fratres Ordinum Mendicantium ab Ordinariis locorum vel a paroeciarum rectoribus afficiebantur, sive quod ad diversas sacri ministerii rationes et facultates attinet, sive etiam quoad negotia et iura statum regularem necnon regimen Sanctimonialium ipsis Fratribus subiectarum spectantia, plura statuisse noscitur, quae iam in Concilio Tridentino decreta fuerunt ad easdem res pertinentia. Unde Pontifex statuit et ordinat eam deinceps dispositionem ac decisionem pro subiecta materia futuram ac legitimam esse, quae sive ex iure veteri sive ex sacri Concilii decretis valida demonstratur seu ad suum pristinum et integrum statum ac terminum ea omnia reducit.

Gregorius XIII

Gregorius Episcopus Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. In tanta rerum et negotiorum mole, qua Romanus Pontifex ex omnibus mundi partibus assidue premitur, vix vitari potest, ne aliqua interdum exiliant, quibus postea recognitis, necesse est moderationis remedium adhibere. Cum itaque alias felicis recordationis Pius Papa V, Praedecessor noster, auditis gravaminibus, quae Fratribus Ordinum Mendicantium ab Ordinariis locorum et Parochialium Ecclesiarum rectoribus multis modis inferri dicebantur super sacris concionibus et lectionibus habendis, confessionibus audiendis, poenitentiis injungendis, Fratribus ad Ordines promovendis, celebratione Missarum, cura animarum, sacramentorum administratione, sepulturis, quarta funeralium, legatis, donationibus, eleemosynis, collectionibus, aliisque hujusmodi juribus, necnon decimis et diversis oneribus, ac etiam super statu et regimine Sanctimonialium ipsis Fratribus subjectarum, formatione processuum, censurarum publicatione, processionibus, praecedentia, locorum adquisitione, caeterisque aliis rebus tunc expressis, multa per quasdam suas Litteras pro dictis Fratribus, non modo statuerit, sed et quae jam in Concilio Tridentino decreta fuerunt ad haec pertinentia etc. Nos, hac tanta varietate cognita, quae etiam ex multiplici Litterarum et Constitutionum editione procedit, praesentibus et futuris discriminibus occurrere volentes, de nobis attributa potestatis plenitudine statuimus et ordinamus, de praedictis et

aliis omnibus Litteris et Constitutionibus, quae ab eodem Praedecessore eisdem de rebus pro quorumcumque Regularium etiam Mendicantium Ordinibus et Congregationibus quomodolibet emanarunt, ac omnibus et quibuscumque in eis contentis, eam deinceps dispositionem atque decisionem pro subjecta materia futuram esse, quae sive ex jure veteri, sive ex sacris dicti Concilii decretis, sive alias legitime ante dictarum Litterarum et Constitutionum editionem erat, et si ipsae non emanassent futura fuisset, ad quam dispositionem et decisionem, suumque pristinum et integrum statum ac terminum illa omnia reducimus, etc.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae 1572, Kalendis Martii, Pontificatus nostri anno primo.

283

Cum alias felicis

Sec. Brev. 67 fol. 65rv — die 3 martii 1573

EXTENSIO BULLAE CRUCIATAE

Ad regnum Siciliae ultra pharum et ad dominia Indiarum maris Oceani cum eisdem facultatibus et indulgentiis pro sex annis a die publicationis in singulis locis.

Gregorius XIII

Ad futuram rei memoriam. Cum alias felicis recordationis Pius Papa V praedecessor noster ex certis tunc expressis causis per alias suas literas charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico religionis christianae contra Turchas defensioni incumbenti, ac omnibus et singulis christifidelibus in Hispaniarum regnis et

illis adiacentibus, necnon Sardiniae insulis consistentibus et ad illa declinantibus, qui certa munera per easdem literas iniuncta adimplevissent nonnullas gratias tam spirituales, quam temporales ad sex annos per singula biennia publicandas et duraturas, prout in ipsis literis continetur concesserit; et deinde tam ipse Pius praedecessor, quam etiam nos diversas alias gratias, declarationes et extensiones per alias nostras literas concesserimus et fecerimus per quas etiam tempus biennii predictum ad annum duntaxat sub certis modo et forma restrinximus, prout singulis literis praedictis plenius continetur. Nos animo revolventes quod si gratiae praedictae ad Siciliae ultra Pharum regnum, omniaque et singula regna, loca, terras, oppida et dominia terrae firmae et Indiarum maris Oceani, sed alias nuncupata eidem Philippo Regi tam mediate quam immediate subiecta extenderentur hoc non sine regnorum, locorum, terrarum oppidorum et dominiorum praedictorum incolarum spirituali profectu esse posset. Hac itaque salubri ratione allecti et salutem quaerentes singulorum motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam sed ex mera liberalitate et certa scientia nostris omnes et singulas literas praedictas ac omnia et singula in illis contenta concessa et indulta, earumque vim et effectum cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, declarationibus, decretis et modis ad regnum Siciliae necnon regna, loca, terras, oppida et dominia terrae firmae et Indiarum maris Oceani, seu alias nuncupata praedicta eidem Regi, ut praefertur, subiecta extendimus, ampliamus et prorogamus. Decernentes illas et illarum singulas ac earum vigore facienda, exigenda et exequenda quaecumque dictis sex annis a die publicationis illarum in singulis locis praedictis non per singula biennia, sed annuatim faciendae inchoandis durantibus suffragari et omnino valere in omnibus et per omnia et singula, ac si pro praedictis regno Siciliae necnon regnis, locis, terris, oppidis et dominiis terrae firmae et Indiarum maris Oceani, seu alias nuncupatis praedictis expeditae et concessae fuissent, ita ut interim christifideles in dictis partibus commorantes seu ad illas declinantes quomodolibet qui in praedictis literis contenta adimpleverint omnia et singula indulgentias, gratias, facultates, concessiones et indulta quaecumque in eis concessa pari modo consequantur perinde, ac si illa a principio pro eisdem regno Siciliae et regnis, locis, terris, oppidis et dominiis terrae firmae et Indiarum maris Oceani, seu alias nuncupatis praedictis specialiter concessa fuissent. Non obstantibus omnibus quae in singulis literis praedictis expressum est non obstare. Caeterum quia difficile foret praesentes literas ad singula quaeque loca in quibus de eis fides facienda est deferri volumus et dicta auctoritate decernimus quod illarum transumptis manu alicuius notarii publici sub-

scriptis et sigillo commissarii seu alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae ipsis originalibus literis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 3 martii 1573, anno primo.

284

Sedes Apostolica pia mater

Paenitentiariae, Reg. Matrim. et Divers. 175 fol. 76v-77r (pars secunda) — die 13 aprilis 1573

LICENTIA ABSOLVENDI

Ludovicum Ocarte (Ugarte?) super irregularitate ab eo contracta quando ut miles in bellis contra Indos intererat, ubi homicidia et alia damna successerunt.

Gregorius XIII

Venerabili fratri episcopo et dilecto etc. officiali Mechuacan. salutem etc. Sedes Apostolica pia mater recurrentibus ad eam cum humilitate filiis post excessus libenter se propitiam exhibet et benignam ac illos gratioso favore prosequitur quos ad id alias propria virtutum merita multipliciter recommendant. Exhibita siquidem nobis pro parte dilecti filii Ludovici Ocarte scholaris Mechuacan. in partibus illis residentis quod ipse ex magno devotionis fervore ac ut Deo melius in partibus illis, in quibus penuria presbiterorum existit, servire possit cupit clericali caractere insigniri ac ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines promoveri et in illis postmodum etiam in altaris ministerio ministrare, sed quia alias in partibus illis seu alibi in bellis contra

Indos gestis ut miles stipendiarius aut alias interfuit ubi homicidia permissiones, membrorum mutilationes, incendia, ruina et alia damna successerunt neminem tamen ipse Ludovicus interfecit nec ut aliquis interficeretur auxilium vel favorem prestitit, desiderium suum in hac parte adimplere non possit absque etc. dispositione. Quare pro parte dicti Ludovici nobis fuit humiliter supplicatum, quatinus sibi statui suo in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes quod dicta Sedes gremium sue pietatis petentibus claudere non consuevit dictum Ludovicum a quibusvis excommunicationis etc. inclinati discretioni vestre etc. quatinus tu frater episcope seu fili officialis iniuncta sibi pro modo culpe aliqua penitentia salutari a generali excommunicationis sententia, aliisque quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, quas propter premissa quomodolibet incurrit et excessibus huiusmodi, si hoc humiliter a te petierit, in utroque foro auctoritate nostra absolvas penitus et liberes ac cum eodem Ludovico super irregularitate per eum ex premissis quomodolibet contracta quodque ea et aliis premissis non obstantibus dicto caractere insigniri ac ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines promoveri et promotus in illis postmodum etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possit et valeat auctoritate nostra dispenses non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae etc. Petrum etc. idibus aprilis etc. anno primo.

285

Rationi convenit

Sec. Brev. 63 fol. 316v-317r — die 20 aprilis 1573

COMMUNICATIO INDULGENTIARUM ET PRIVILEGIORUM SOCIETATIS IESU

Sicuti Pius V gratias et facultates presbyteris Societatis Iesu in Indiis Orientalibus concessas sacerdotibus eiusdem Societatis in Indiis Occidentali-

bus communicavit, ita nunc Gregorius XIII facultates Iesuitis in Indiis Occidentalibus praesertim in Brasilia et Perú concessas ad Indias Orientales et ad Novam Hispaniam extendit, ita ut privilegia, facultates et gratiae omnibus religiosis dictae Societatis in Indiis tum Orientalibus cum Occidentalibus ac in Nova Hispania communia sint.

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Rationi convenit ut ii qui sub eadem regulari disciplina et instituto degunt iisdem fruantur gratiis specialibus et eos concessionum diversitas non distinguat quos eadem unit in religione societas. Cum itaque felicis recordationis Pius Papa V praedecessor noster dilectis filiis presbiteris regularibus Societatis Iesu in India occidentali consistentibus diversas gratias et facultates et praesertim eas que eisdem presbiteris in India occidentali [1] existentibus concesse erant, plenarie concesserit, iustum quoque esse videtur ut singulae gratiae que consistentibus in India occidentali praedicta, vel in provinciis Brasileae et Peru sunt concessae, etiam eis qui in Indiae occidentalis [2] provinciis sunt et pro tempore fuerint concedantur et communicentur; et omnia sic concessa ad novae Hispaniae provinciam extendantur, adeo ut inter vos nulla quoad privilegia huiusmodi sit differentia. Quapropter motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione et certa scientia nostris tam illa que occidentali quam ea que orientali Indiis concessa sunt privilegia, facultates et gratias ita invicem comunicamus ut singuli earumdem Indiarum et Novae Hispaniae dictae Societatis religiosi illis omnibus non ad eorum instantiam, sed aeque principaliter in omnibus et per omnia gaudeant, illisque uti possint perinde ac si illa omnia utriusque Indiae et Novae Hispaniae religiosis praedictis specialiter, expresse et nominatim concessa fuissent. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XX aprilis 1573 [3], anno primo.

---

[1] Per errorem pro: Orientali.
[2] Per errorem pro: Orientalis.
[3] Cfr. infra doc. 380 diei 10 februarii 1579.

286

Exposcit tuae devotionis

Sec. Brev. 63 fol. 326v-327r — die 7 maii 1573

CONFIRMATIO PRIVILEGIORUM

Pro Ordine Fratrum Carmelitarum eorumque concessio pro domibus eiusdem Ordinis in partibus Indiarum.

Gregorius XIII

Dilecto filio Gundisalvo Ramirez moderno vicario generali ordinis fratrum Carmelitarum in partibus Indiarum.

Dilecte fili salutem etc. Exposcit tuae devotionis sinceritas et religionis promeretur honestas, ut in his quae favoris sunt et gratiae, nos ad illa tibi ac ordini quem professus existis concedenda promptos, propitiosque invenisse; caeteris supplicationibus igitur tuis in hac parte nobis porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, indulta et gratias ordini fratrum Carmelitarum hactenus per Romanos Pontifices praedecessores nostros concessa, dummodo sint in usu et decretis Concilii Tridentini non repugnent, Apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illaque Ecclesiae et domui Sanctae Mariae eiusdem ordinis, Sanctae Fidei diocesis, novi regni Granatae partium Indiarum, necnon aliis Ecclesiis et conventibus eiusdem ordinis in omnibus partibus Indiarum consistentibus et in posterum erigendis, auctoritate et tenore praemissis perpetuo concedimus et ut priores et fratres domorum huiusmodi privilegiis, indultis et gratiis praedictis perpetuo frui et gaudere libere et licite possint, necnon a quoquam quavis auctoritate desuper molestari, perturbari aut inquietari valeant decernimus. Non obstantibus constitutionibus et ordi-

nationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 7 maii 1573, anno primo.

287

Exposcit debitum

Sec. Brev. 64 fol. 289r-290r; 65 fol. 161r-163r [1] die 15 maii 1573
Bull. Patr. I 234-235
Hernáez I 188-189
Coll. de doc. inéd. XXXIV 63-67
Bull Rom. (ed. Taurinensis) VIII 1-3
BM II 902

DE APPELLATIONIBUS IN FORO ECCLESIASTICO REDUCENDIS IN INDIIS

Philippo rege Catholico auctore Summo Pontifici expositum est quod in partibus Indiarum eius dominio subiectis ob locorum a Curia Romana distantiam admodum difficile sit rescripta Apostolica obtinere ac propterea appellationes, quae a quibusvis sententiis in causis ad forum ecclesiasticum spectantibus interponuntur, difficulter pariter admitti et recipi possunt; quapropter incolis earum regionum consultum esset, si duae tantum sententiae rem iudicatam facerent et ab illis amplius non liceret appellare. Pontifex, absolutione a censuris forte incursis praeposita decernit, quod in omnibus regnis Indiarum eidem regi subiectis quandocumque in causis forum ecclesiasticum concernentibus a sententiis pro tempore latis appellari contigerit, si prima sententia ab episcopo lata fuerit, ad metropolitanum; si a metropolitano promulgata fuerit, ad suffraganeum ordinarium viciniorem appellatio interponatur, ita ut duae sententiae conformes vim rei iudicatae obtineant; si vero conformes non fuerint, ad alterum metropolitanum vel episcopum viciniorem appelletur. Duae autem ex istis tribus sententiae Pontifex vult ut vim rei iudicatae habeant et exsequantur, *quacumque appellatione non obstante.*

---

[1] Exemplum huius bullae exstat: Sevilla, Archivo General de Indias, Patronato, legajo 3, ramo 17.

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Exposcit debitum pastoralis officii cui disponente Domino praesidemus ut litium dispendiis, quae in foro ecclesiastico pro tempore tractantur, ea qua fieri potest celeritate succurratur. Exponi sane nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus quod in partibus civitatum, terrarum, locorum et oppidorum ac dominiorum Indiarum terrae firmae et insularum maris Oceani ob locorum a Romana Curia distantiam difficile admodum rescripta Apostolica haberi queunt ac propterea appellationes quae a quibusvis sententiis in causis tam criminalibus quam aliis quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus pro tempore latis interponuntur, difficulter admodum recipi et admitti possunt ac propterea incolarum praedictorum dispendiis quae ex litium longitudine proveniunt valde consultum foret si duae sententiae pro tempore latae rem iudicatam facerent et ab illis amplius appellare non liceret. Quare idem Philippus Rex nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos qui populorum quorumlibet quietem et commodum, quantum cum Deo possumus, libenter procuramus, eumque Philippum Regem a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati volumus et Apostolica auctoritate decernimus, quod in omnibus regnis, terris et dominiis Indiarum terrae firmae et insularum maris Oceani et alias quomodocumque et qualitercumque nuncupatis dicto Philippo Regi mediate vel immediate subiectis quandocumque in causis tam criminalibus quam aliis quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus a sententiis pro tempore latis appellari contigerit si sententia ab Episcopo lata ad Metropolitanum, si vero prima sententia ab ipso Metropolitano promulgata fuerit ad Ordinarium viciniorem absque aliquo alio Sedis Apostolicae rescripto appelletur et si secunda sententia sententiae primae conformis fuerit, vim rei iudicatae obtineat et executioni per eum qui eam tulerit quacumque appellatione non obstante demandentur; si vero illae duae sive ab Ordinario et Metropolitano, sive a Metropolitano et Ordinario viciniore latae conformes non fuerint, tunc ad alterum Metropolitano vel Episcopo a quo primo fuit lata sententia viciniorem eiusdem provinciae Episcopum appelletur et duas ex ipsis tribus sententias conformes quas etiam vim rei iudicatae habere volumus is qui ultimo loco iudicaverit exequatur quacumque appellatione non obstante. Decernentes omnia et singula alias quam ut praemittitur intentata et facta iudicia nullius prorsus roboris vel momenti fore et quas-

cumque deinceps modo praedicto non servato interponendas appellationes nullas, irritas et inanes existere: sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes etiam loci Ordinarios et Causarum Palatii Apostolici Auditores sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate iudicari debere irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac quibusvis etiam municipalibus et particularibus illarum partium legibus, statutis et consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis Apostolicis quibusvis iudicibus tam ordinariis quam delegatis et quibusvis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum quia difficile foret praesentes literas ad singula quaeque loca deferri volumus et similiter Apostolica auctoritate decernimus quod illarum transumptis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur quae ipsis originalibus literis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 15 maii 1573, anno primo.

288

Cum alias felicis

Hernáez I 720-725 die 10 iulii 1573

SUMMA GRATIARUM QUAE RATIONE BELLI CONTRA TURCAS CONCESSAE SUNT («BULLA CRUCIATA»)

Summus Pontifex indulgentiam plenariam in forma iubilaei concedit regi Hispaniarum omnibusque eius subditis qui intra annum a promulgatione Constitutionis fide permoti vel ipsi ad exercitum proficiscuntur quem idem rex Philippus pro bello contra Turcas et infideles comparavit, vel alios servata proportione respectiva ad eundem mittendos curant aut aliqua inibi servitia gratis praestare satagunt. Eadem indulgentia conceditur pro defunctis in exercitu vel pro iis defunctis pro quibus in huiusmodi subsidium proficisci vel milites mitti contigerit, aut pro quibus non euntes de propriis bonis iuxta taxam a Commissario stabilitam contulerint. Item milites in bello occupati liberantur a ieiuniis votivis et Ecclesiae, aliique in hanc expeditionem pro religionis defensione liberaliter conferentes etiam in oratoriis alias interdictis atque horis ultra ordinarias concessis missas et alia officia celebrare vel celebrari facere valeant ac conditionibus servatis alia sacramenta vel ministeria recipere, pro quibus sacerdotibus etiam regularibus congruentes conferentur facultates. Sequuntur dispensationes a ieiuniis et votis privatis et facultates pro restitutionibus seu compositionibus in favorem expeditionis contra infideles, quae alias fieri non possent. Commissario generali eiusve delegatis amplae conferuntur facultates dispensandi super irregularitatibus et sanandi matrimonia invalide contracta et prolem susceptam legitimam declarandi. Commissario insuper conceditur facultas deputandi commissarios cum simili et limitata facultate, etiam pro collectione pecuniarum, et etiam notarios quorum opera necessaria sit. Publicatio autem per probos praedicatores facienda est qui auditores ita hortari debent *ut clare intelligatur neminem cogi, sed tantum eorum devotionem excitari.*

Gregorius XIII

Ad futuram rei memoriam. Cum alias felicis recordationis Pius Papa V, Praedecessor noster, cupiens ut indulgentiae et aliae gratiae, indulta et facultates tam spirituales quam temporales, quas idem Praedecessor proficiscentibus seu mittentibus ad exercitum Charissimi in Christo Filii nostri Philippi, Hispaniarum Regis Catholici, contra Turcas comparatum, seu ad praedictum bellum contribuentibus, et certa alia sibi incumbentia, adimplentibus concesserat, ea, qua decet, puritate publicarentur, illarum omnium summarium (quod etiam per omnes, qui illis uti voluissent, recipi, et per eos retineri debere decrevit) sub certis modo et forma confecerit. Cumque postmodum, tam ipse Pius Praedecessor, quam etiam (ipso de medio, sicut Domino

placuit, sublato) Nos, divina favente clementia ad Summi Apostolatus apicem assumpti, illas omnes ampliaverimus, et nonnullas etiam de novo concesserimus, prout in diversis tam ipsius Praedecessoris, quam nostris desuper confectis Litteris plenius continetur: ac propterea summarium illud sic confectum etiam ampliatione indigeat: ac non minori quam ipse Pius Praedecessor, zelo zelantes, ut illud quam purissimum in hominum manus perveniat, illud de novo confici curavimus, infrascripto sub tenore, videlicet: «Hoc est Summarium Indulgentiarum et aliarum gratiarum, per fel. recor. Pium Papam V. primo, et deinde per sanctiss. in Christo Patrem et Dnm. nostrum Dnm. Gregorium Divina providentia Papam XIII, per suas Litteras concessarum, per omnes Christi Fideles, qui illis uti voluerint, recipiendum et retinendum. Pius itaque V, et successive Greg. XIII, Romani Pontifices praedicti, ex causis in Litteris eorum expressis. Primo concedunt praedicto Philippo Regi, huic defensioni et expeditioni contra Turcas et Infideles assidua cura et diligentia incumbenti: necnon omnibus et singulis utriusque sexus Christi Fidelibus, in Hispaniarum Regnis et Insulis illis adjacentibus, ac etiam Sardiniae, necnon Siciliae, ultra Pharum similiter Regnis, locis, terris, oppidis et dominiis Terrafirmae et Indiarum Maris Occeani, seu alias nuncupatis, eidem Philippo Regi, tam mediate quam immediate, et alias quomodocumque et qualitercumque subjectis consistentibus, et ad illa declinantibus, qui intra annum a die publicationis praesentium, in singulis locis praedictis faciendae inchoandum Fidei zelo moti ad exercitum praedicti Serenissimi Regis Hispaniarum contra Turcas et alios Infideles in illos pugnaturi aut aliud genus servitii gratis facturi suis sumptibus accesserint, et ibidem usque in finem expeditionis ejusdem anni permanserint, Plenam omnium peccatorum suorum (si de illis corde contriti et ore confessi fuerint, aut, non valentes confiteri, id corde consideraverint) Indulgentiam et remissionem, quae proficiscentibus ad recuperationem Terrae Sanctae, quaeque in anno Jubilaei concedi consuevit. Iter declarant, quod eamdem Indulgentiam assequantur, qui ante finem expeditionis, aut in itinere ad exercitum, aut in eodem exercitu obierint; et illi, qui, propter infirmitatem seu aliam super venientem veram necessitatem, inde recesserint. Item, qui alios suis impensis miserint, dummodo si mittens fuerit S. Romanae Ecclesiae Cardinalis, Primas, Patriarcha, aut Episcopus, Regis Filius, Princeps, Dux, Marchio, aut Comes, mittant quot homines, usque ad decem inclusive, commode poterit: nec mittat pauciores quatuor, si plures non poterit: alius vero cujuscumque sit conditionis, sive laicus sive Clericus saecularis, unum mittere teneatur: quod si tenues adeo fuerint facultates, ut id praestare non possit, eo casu duo vel tres aut quatuor,

stipendium uni persolvant, pro rata facultatum inter eos distribuendum. Item, Capitula Ecclesiarum, Monasteria et loca etiam Regularium et Mendicantium, tam foeminarum quam masculorum, si pro decem personis eorumdem Capitulorum et locorum praecedente Capitulari seu Conventuali deliberatione, unum miserint. Item, eadem Indulgentia suffragabitur per modum suffragii etiam animabus defunctorum pro quibus in hujusmodi subsidium proficisci, vel milites mitti contigerit: aut pro quibus non euntes, nec mittentes de bonis suis, juxta taxam per Commissarium, personarum qualitate inspecta, faciendam, pro Religionis defensione contulerint. Item, eamdem indulgentiam assequantur etiam omnes, qui mittentur, si pauperes fuerint. Item, Clerici saeculares, qui ab Ordinariis, et Regulares a suis Superioribus habita licentia verbum Dei in eodem exercitu praedicaverint, confessiones audierint, seu Missas celebraverint, vel alia Ecclesiastica et pia ministeria exercuerint. Quibus etiam conceditur, ut beneficiis tam Saecularibus, quam Regularibus per idoneos Vicarios deservire possint, exceptis beneficia curam animarum habentia obtinentibus. Item, Milites in bello occupati a jejuniis votivis vel Ecclesiae excusantur, et quod in die festo belli negotiis vacare possint declaratur. Item, conceditur omnibus praedictis, necnon iis, qui nec ibunt nec mittent, si tamen infra dictum annum, ex bonis sibi a Deo collatis, in hanc expeditionem pro Religionis defensione liberaliter contulerint, ut, dicto anno durante, possint in Ecclesiis, in quibus alias Divina officia, interdicto durante, quomodolibet celebrare permissum fuerit, vel in privato Oratorio ad Divinum cultum tantum deputato, ab Ordinario visitando et designando, etiam tempore interdicti, cui ipsi causam non dederint, vel per eos non steterit quominus amoveatur: et qui facultatem ad id a Commissario Generali habuerint, etiam per horam antequam illucescat dies, et per horam post meridiem, in sua ac familiarium et domesticorum ac consanguineorum suorum praesentia, Missas et alia Divina officia per seipsos, si Presbyteri fuerint, celebrare, vel per alium celebrari facere, et tempore interdicti Divinis interesse: eis tamen, qui privato Oratorio ad praemissa, uti voluerint, ut quoties id fecerint, aliquas preces Deo pro unione Principum Christianorum contra Infideles, eorumque contra eosdem victoria fundere teneantur, imponitur. Item, Eucharistiam et alia Sacramenta, praeterquam in die Paschatis, recipere. Item, mortuorum corpora (nisi forte vinculo Excommunicationis innodati decesserint) cum moderata funerali pompa sepeliri. Item, ut, dicto anno durante, in omnibus et singulis Regnis, Insulis, locis, terris, oppidis, et dominiis praedictis (et non extra illa) carnibus de consilio utriusque Medici temporibus jejuniorum totius anni, etiam quadragesimalibus, vesci, ac pro eorum libito, ovis et lac-

ticiniis; ita, quod qui carnes non comederint, servata in caeteris jejunii Ecclesiastici forma, dicto jejunio satisfecisse censeantur: et sub hoc indulto vescendi carnibus, ovis et lacticiniis comprehenduntur omnes cujusvis militiae Regulares: Patriarchis vero, Archiepiscopis et Episcopis, aliisque inferioribus Praelatis, necnon aliis personis Ecclesiasticis Regularibus, et qui in Ordine Presbyteratus fuerint saecularibus, id minime conceditur, nisi sexagenarii fuerint. Item, erogantes praedicti, qui diebus jejunio non suppositis, ad implorandum Divinum auxilium pro unione et victoria praedictis, voluntarium jejunium, vel, si jejunare legitime impediti fuerint, aliud opus pium, arbitrio eorum Confessoris vel Parochi, assumpserint, et simul preces ad Deum pro unione, et victoria praedictis fuderint, toties quoties id fecerint, dicto anno durante, quindecim annos et totidem Quadragenas de injunctis eis et quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Dno. relaxantur: et insuper omnium precum, eleemosynarum, peregrinationum, etiam Hierosolymitanae, et aliorum bonorum operum, quae in universali militante Ecclesia, et singulis ejus membris fiunt, participes redduntur. Item, qui, dicto anno durante, in singulis diebus stationum almae Urbis quinque Ecclesias seu altaria seu, in illorum defectum, quinquies unum altare devote visitaverint, precesque ad Deum pro unione et victoria praedictis fuderint, omnes et singulas Indulgentias Stationum intra et extra muros praedictae Urbis, tam per se, quam per modum suffragii pro defunctis, pro quibus visitaverint, consequantur. Item, quo omnes et singuli praedicti purius ad Deum preces fundere et efficacius Divinum auxilium implorare possint, conceditur, ut possint eligere confessorem saecularem vel cujuscumque etiam Mendicantium Ordinum Regularem ex iis, qui ab ordinario, et quoad Regulares, semel tantum approbati fuerint: et ab eo quorumcumque peccatorum et censurarum (etiam Sedi Apostolicae et in Bulla Coenae Dni. reservatorum et reservatarum) Plenariam Indulgentiam et remissionem semel in vita et semel in mortis articulo: aliorum vero Sedi Apostolicae non reservatorum ac reservatarum, toties quoties confitebuntur, absolutionem et remissionem, mediante salutari poenitentia secundum culparum exigentiam, obtinere: modo etiam, in casibus, in quibus necessaria erit, per ipsos, vel dato impedimento, per haeredes aut alios, satisfactio fiat: et illis vota omnia (ultramarino, castitatis et Religionis dumtaxat exceptis) in aliquod subsidium hujus expeditionis per eumdem confessorem commutari. Item, si dicto anno durante, contingat ob repentinam mortem, vel confessorum absentiam, sine confessione decedere (modo contriti decesserint, et prius statuto tempore confessi fuerint, neque hujus concessionis fiducia negligentiores fuerint) Plenariam, ut supra, remissionem conse-

quantur. Item mandatur, ut summarium hoc per omnes Christi Fideles, ad praedictum bellum contribuentes, qui hujusmodi gratiarum participes esse voluerint, recipiatur, et retineatur: nec circa sibi concessas gratias errare, neve alii illas sibi usurpare possint, et unusquisque qua facultate eisdem gratiis et facultatibus utatur, docere valeat. Item, Pius praefatus voluit alias Litteras ab ipso, sub data VIII Kalendas Juanuarii, Pontificatus sui anno tertio, concessas, viribus omnino carere, nulliusque roboris vel momenti esse. Item omnes Ordinarii Episcopi et Archiepiscopi dictorum Regnorum, Insularum, terrarum, oppidorum praedictorum enixe rogantur, et in virtute Sanctae Obedientiae eis praecipitur, ut omnes poenas pecuniarias, etiam loco corporalium, durante dicto anno imponendas seu exigendas, huic tam pio operi omnino velint applicare, eaeque poenae omnes, de quarum tamen quantitate assertioni Ordinariorum, quorum conscientiae onerantur, standum esse decernitur, thesauro ejusdem expeditionis contra Turcas et alios Infideles ex nunc, prout ex tunc, applicantur et appropriantur, una cum poenis eorum, qui aliquid in hujus expeditionis praejudicium, vel ad eam euntium patraverint. Item, Reverendo Patri Dno. Episcopo Segobricensi et Albarrazinensi, Commissario et Receptori Generali hujus expeditionis deputato et constituto, ut supra Ordinariorum huiusmodi poenis inquirere, et contra eos, qui in praejudicium hujus expeditionis, aut ad eam euntium aliquid patraverint, procedere. Ac super illicite habitis, necnon super medietate legatorum omnium, quae propter male ablata facta sint, si legatarii per annum in exactione negligentes fuerint, ac super illis, quae facta erunt, et quae, dicto anno durante, fient, si legatarii inveniri non poterunt: necnon etiam super male ablatis et per usurariam pravitatem, aut aliter male acquisitis, si in omnibus praemissis casibus (praeterquam dictae annalis negligentiae) personae, quibus restitutio seu solutio facienda est, praestito per restituentem juramento de diligentia per eum facta pro inveniendo legatario seu creditore et minime invento, non reperiantur, componere, et ita debitores liberari possint. Item, praedicto Commissario et Receptori Generali datur facultas, ut suspendere possit, dicto anno durante, omnes similes aut dissimiles Indulgentias et facultates ab eisdem et Sede Apostolica, vel ejus auctoritate, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, piis locis, Universitatibus, Confraternitatibus et singularibus personis in Regnis, Insulis, terris, locis et dominiis praefatis (etiam in favorem fabricae Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, vel alterius similis Cruciate, si quae in Regnis, Insulis, terris, locis et dominiis praefatis recepta, adhuc durent) concessas hujusmodi: etiamsi clausulas aliquas, contra suspensionem facientes, continerent: ita ut interim neque publicari neque praedicari

possint, neque publicatae cuivis hominum communiter vel divisim suffragentur: exceptis tamen concessis Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad eorum Fratres tantum. Item, dicto Commissario etiam conceditur facultas, ut ipse, per se vel alium seu alios, quanto et quoties sibi videbitur, Indulgentias et alias gratias per eum suspensas in favorem illorum, qui praesentium gratiarum, in hanc causam pro Religionis defensione concessarum, participes effecti fuerint, revalidare absque aliquo praemio possit. Item etiam datur facultas eidem Commissario, componendi cum his, qui ad restitutionem fructuum, ex omissione horarum Canonicarum tenentur: ita ut quantitas compositionis, pro medietate Ecclesiis vel aliis locis, quarum vel quorum ratione horas praedictas recitare debent, et pro altera medietate in subventionem hujus negotii detur. Item, similiter conceditur facultas dicto Commissario, dispensandi et componendi super irregularitate cum his, qui quibusvis Ecclesiasticis censuris ligati, Missas et alia Divina officia (non tamen in contemptum clavium) celebraverunt, seu alias se immiscuerunt: et super alias illis qualibet irregularitate, praeterquam ratione homicidii voluntarii, aut Simoniae, vel Apostasiae a Fide, aut Haeresis, vel propter malam Ordinum susceptionem, contracta, cum retentione Beneficiorum et fructuum ex eis perceptorum, et infamiae ac inhabilitatis exinde provenientis, abolitione et executione Ordinum non male susceptorum: ac nullis datis Litteris, seu per confessores laceratis cum his, qui primo et secundo affinitatis ex fornicatione contractae, gradibus conjuncti, matrimonium contraxerunt: dummodo, si post Concilium Tridentinum illius formam servaverint; ac impedimenta hujusmodi penitus occulta sint: et alter contrahentium tempore contracti matrimonii impedimenti ignarus extiterit, ut altero, ita ut praedicitur, impedimentum ignorante, de nullitate prioris consensus prius certificato, tacitaque, si videbitur ad evitanda scandala, causa nullitatis, matrimonium inter se etiam secrete, de novo contrahere possint, in foro conscientiae dumtaxat, si ad evitanda gravia scandala dispensandum judicaverit, dispensare; prolemque susceptam et suscipiendam exinde legitimam decernere; necnon etiam in superveniente simili affinitatis impedimento similiter dispensare, ut debitum petere possint. Item, etiam conceditur facultas dicto Commissario quod personis nobilibus et qui, juxta ipsius Commissarii arbitrium, qualificatae fuerint, ut Missas per horam ante lucem et post meridiem audire et celebrare facere valeant, indulgere possit. Idem eidem Commissario datur etiam facultas ad singulas Provincias Commissarios deputandi et eligendi per Ordinarios locorum, praevia matura deliberatione (onerando eorum conscientias) approbandos, cum simili et limitata facultate, etiam pro collectione pecuniarum. Item

etiam, eidem Commissario conceditur facultas deputandi Notarios, quorum opera utendum erit, ab Ordinariis tamen locorum, in quibus illi deputandi sunt, similiter approbandos. Necnon cogendi tabelliones et quemlibet alium ad exhibitionem quarumcumque scripturarum vel instrumentorum, huic negotio pertinentium: et deinde inhibendi quibus inhibendum erit: neque possit Commissarius Generalis praedictus coram alio quam nobis, neque ab eo deputandi possint coram alio, quam ipso Commissario, pro re ad hoc munus pertinente, quamdiu istis negotiis vacaverint, in judicium trahi: possint tamen a locorum Ordinariis, quibus subeunt, si ibi deliquerint, coerceri et puniri. Publicatio autem harum Litterarum per probos et idoneos Praedicatores, Saeculares et Regulares quorumvis, etiam Mendicantium Ordinum a suis Superioribus approbatos, qui fideliter in hoc summario contenta populo exponant: quibus etiam Praedicatoribus alimenta per quotas constitui prohibetur, eisque injungitur auditores ita hortari, ut clare intelligatur, neminem cogi, sed tantum eorum devotionem excitari. Item, quod si in loco, ubi erit facienda publicatio, fuerit interdictum, possit hujusmodi interdictum per octo dies ante et post suspendere. Item, quod monere possit habentes pecunias et bona in hoc opus destinata, su instrumenta, vel scripturas hoc negotium principaliter vel secundario concernentes, ut statim cum copiam Commissarii aut ab eo deputati habuerint, propagare teneantur: sub poenis pecuniariis, et in subsidium, quoad Episcopos et alios majores Praelatos, suspensionis a Divinis et interdicti in Ecclesiam ingressus; quoad alios, Excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi a Sede Apostolica absolvi possint; et qui scienter aliquod praedictorum retinuerit, nullo modo possit harum Litterarum, et gratiarum in eis contentarum, beneficio frui. Item, declarandi quod exspirante anno, omnes supradictae facultates, gratiae et indulta exspirent, tantumque poterunt causae pendentes ad finem perduci. Item, prohibentur quicumque ministri et officiales Sanctae Inquisitionis in Praedicatores, Commissarios, aut alios quoscumque ad hujus negotii ministerium assumi. Item, conceditur facultas eidem Commissario, ut dictam subventionis quantitatem a Fidelibus, ut praedicitur, pro vivis et defunctis erogandam, juxta personarum qualitatem et bonorum quantitatem, arbitrari possit. Caeterum, ut illud omnibus patefiat, hoc praesens summarium de Latino idiomate in vulgari lingua, juxta ritus Provinciarum, ubi publicatio facienda erit, non mutata illius substantia, ac praemisso aliquo convenienti, ac, pro praesentium temporum conditione, idoneo proemio, converti, illudque de ejusdem Commissarii, seu ab eo deputandorum mandato simul, vel ad partem, additis etiam nominatim, pro singulorum notitia, diebus Stationum totius anni intra et extra

muros hujus Almae Urbis, ipsorum Commissarii et Deputandorum arbitrio imprimi: et Commissarii praedicti seu similiter ab eo ad hoc specialiter deputandorum sigillo munitum, omnibus Christi Fidelibus, qui praemissorum participes esse voluerint, consignari volumus. Quod etiam indubiam fidem, tam in judicio, quam extra facere omnino decernimus». Insuper quia difficile foret praesentes Litteras ad singula quaeque loca, in quibus fides de eis facienda est, deferri: volumus, et dicta auctoritate etiam decernimus, quod praesentium transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Commissarii seu alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae, munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae, apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, die 10 Julii 1573, Pontificatus nostri anno secundo.

289

Oblatae nobis nuper

Sec. Brev. 109 fol. 121r; 110 fol. 121r-122r — die 15 iulii 1573

DISPENSATIO IN SECUNDO GRADU CONSANGUINITATIS

Gregorius XIII

Dilecto filio Lupo Sosa laico et dilectae in Christo filiae Agneti Cabrera de Castilla mulieri ambobus incolis Mexican. in partibus Indiarum maris Oceani.

Dilecte fili et dilecta in Christo filia salutem etc. Oblatae nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat, quod cum vos ex primis et nobilioribus civitatis Mexican. existatis et plurimum reipublicae tam ecclesiasticae quam secularis illarum partium intersit nu-

merum virorum nobilium quantum fieri possit ibi augeri, quorum exemplo in Indorum animis recens nata religio in dies magis confirmetur et rebelles armis in officio contineantur, sicut in persona Ludovici de Castilla tui in Christo filia Agnes Patris experientia monstravit, cuius in Novae Hispaniae Indis debellandis et ad obedientiam Sedis Apostolicae reducendis virtus, sicut accepimus olim non parum illustris fuit et praeterea paris conditionis personas cum quibus matrimonium respective contrahere possitis non inveniatis, ideoque invicem matrimonialiter copulari cupiatis, sed quia secundo consanguinitatis gradu linea aequali invicem estis coniuncti desiderium vestrum in hac parte adimplere non potestis absque nostra et Sedis Apostolicae dispensatione. Quare nobis humiliter supplicari fecistis, ut vobis de opportunae dispensationis gratia aliasque in praemissis paterne providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur more pii Patris vobiscum agere, vosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati vobiscum ut impedimento secundi gradus consanguinitatis huiusmodi non obstante matrimonium inter vos publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite valeatis, dummodo tu in Christo filia Agnes ob hoc ab aliquo rapta non fueris, auctoritate Apostolica tenore presentium misericorditer dispensamus prolem suscipiendam exinde legitimam decernendo. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. die 15 iulii 1573, anno secundo [1].

[1] Litterae supplices: ibid. 109 fol. 121v.

290

Unigeniti Dei filii

Arm. XLII 28 fol. 41r-44r die 8 septembris 1573

CONCESSIO PLURIUM INDULGENTIARUM PRO CHRISTIFIDELIBUS IN INDIIS COMMORANTIBUS

Summus Pontifex spiritualibus muneribus christifidelium animabus providere et infideles ad gregem Christi adducere satagit. Opera missionariorum Societatis Iesu in plurimis terris Saracenorum aliorumque infidelium multae conversiones percipiuntur. Ad augendum eorum zelum christifidelibus in utraque India, precibus et instructionibus neophytorum, assistentibus, infirmos visitantibus eisque inservientibus, tertiam rosarii partem recitantibus, processionibus publicis ad orandum pro conversione gentilium et haereticorum intervenientibus, consuetis conditionibus, indulgentias et alia munera spiritualia Summus Pontifex elargitur. Eisque qui pro animabus christifidelium qui in navigationibus aut expeditionibus propagationis fidei causa interierunt orant, et scholaribus qui missas et alia divina officia etiam tempore interdicti audiunt, ipsisque sacerdotibus Societatis Iesu missas, scholaribus praesentibus, celebrantibus, eadem munera spiritualia conceduntur.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Unigeniti Dei filii redemptoris nostri Domini Ihesu Christi qui pro riconcilianda suo auctori humana natura de summo solio ad huius mundi infima discendere et nostre mortalitatis carnem assumere ac in ara crucis errata nostra diluere ineffabili charitate dignatus est vices licet immeriti gerentes in terris de salute gregis sui cure nostre commissi sedulo agitamus et singulos greges eiusdem mala demonis suasione abstractos ut ad ovile redeant spiritualibus muneribus in-

dulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus invitamus et infideles quantum cum Deo possumus eisdem gratiis ad illud adducere satagimus. Cum itaque sicut accepimus in Indiarum tam Orientalium quam Occidentalium aliisque plurimis Sarracenorum et aliorum infidelium terris et provinciis a sede apostolica remotissimis aliqui sint presbiteri societatis Iesu quorum opera Deo iuvante in illis partibus fructus spirituales in dies percipiuntur uberiores multique inde christiane et catholice fidei professores parturiuntur, huic est quod nos unicam Christi operis etiam pomeridiane excolentes plenam mercede remunerare et illos ut in ea acrius laborent allicere studentes de Omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli eius apostolorum auctoritate confisi, omnibus et singulis christifidelibus utriusque Indie et transmarinorum limitum, qui processionibus iuxta ritum sancte Romane ecclesie faciendis ac supplicationibus et precibus Indorum et Aethiopum seu quorumvis aliorum neophytorum et aliorum christianorum intererunt et eis associabunt christianamque doctrinam cum eisdem recitabunt vel privatim docebunt, quoties id fecerint decem annorum et totidem quadragenarum, invisentibus autem infirmos et presertim Indorum hospitalia, xenodochia et alia similia loca pia ipsis etiam infirmis per se vel alium ministrando singulis diebus quibus id fecerint vigintiquinque, qui vero ad infirmos iuvandos accedentes inibi pernoctaverint quinquaginta, eis etiam qui coram beate Marie virginis imagine ab alma nostra Urbe romana ad collegium civitatis Lime in Peru delata tertiam rosarii partem vel coronam recitaverint centum, scholaribus vero in utraque India existentibus, qui eiusdem beate Marie virginis confraternitati ibi institute fuerint ascripti, singulis eiusdem beate Marie virginis, necnon resurrectionis, Pentecostes ac nativitatis domini nostri Ihesu Christi festivitatibus quibus confessi et contriti sanctissimum Eucharistie sacramentum sumpserint et coronam vel tertiam partem rosarii recitaverint trecentorum annorum de iniunctis sibi seu alias quomodolibet debitis penitentiis, in annuntiationis vero et assumptionis ipsius beate Marie virginis diebus tantum plenariam, eis quoque qui singulis quibusque diebus veneris cuiuslibet quadragesime devote processionibus publicis in partibus et locis transmarinis ad orandum pro conversione gentilium et hereticorum reductione institutis interfuerint et se flagellaverint etiam plenariam; reliquis vero omnibus eisdem processionibus presentibus et interessentibus contritis et confessis tertie partis peccatorum suorum, ac eis qui in utriusque tam orientalis quam occidentalis Indie quacumque regionis arma contra infideles ob fidei catholice defensionem et propagationem aut alias bello iusto assument in singulis huiusmodi expeditionibus tam navalibus quam terrestribus dummodo peccata sua confi-

teantur et nisi ministrorum inopia vel temporis angustia aut alia licita de causa impediti fuerint, sanctissimum Eucharistie sacramentum summant similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam auctoritate apostolica tenore presentium misericorditer in Domino concedimus, elargimur et relaxamus. Quodque in refrigerium tot animarum christifidelium qui in utriusque Indie navigationibus aut expeditionibus contra Mahumetanos aut alios infideles in charitate Christi ab humanis pro tempore decedunt, queque propter locorum distantiam ex quibus christifidelium huiusmodi obitus vel vite incertitudo plerumque causatur de facili particularibus suffragiis privarentur, ut quicumque confessi et contriti tertiam partem rosarii aut unam coronam pro dictorum et aliorum quorumcumque christifidelium qui in mari, ut prefertur, in charitate Christi pro tempore decesserint animabus recitaverint quoties id egerint toties per modum suffragii unam ex dictis animabus a penis purgatorii, quantum divine bonitati placuerit, dummodo per dictos defunctos non steterit quin tempore periculi mortis ipsorum peccata sua confiterentur liberare valeant, necnon etiam scholaribus utriusque Indie huiusmodi qui in scholis presbiterorum dicte societatis pro tempore dant operam litteris ut in presbiterorum eiusdem societatis ecclesiis missas et alia divina officia tempore interdicti et cessationis a divinis ianuis clausis dummodo ipsi causam huiusmodi interdicto aut cessationi non dederint audire, ipsisque presbiteris ut inibi et dictis scholaribus presentibus tempore predicto missas et divina officia celebrare possint non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque licentiam et facultatem auctoritate et tenore predictis impartimus; presentibus quas sub quibusvis revocationibus, suspensionibus aut limitationibus similium vel dissimilium indulgentiarum pro tempore factis minime comprehensas, sed semper ab illis exceptas et quoties ille emanabunt toties in pristinum statum restitutas et de novo concessas esse earumdemque presentium transumptis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius persone vel curie ecclesie tue munitis earundem fidem prorsus adhiberi debere que eisdem presentibus adhiberetur si essent exhibite vel ostense decernimus post decennium a data presentium computandum minime valituris. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die VIII septembris 1573, anno 2°.

291

Cum sicut accepimus

Sec. Brev. 63 fol. 487r-488v die 8 septembris 1573

CONFIRMATIO FACULTATIS ABSOLVENDI

Ac concessio aliorum privilegiorum pro presbyteris Societatis Iesu in partibus Indiarum tum Orientalium cum Occidentalium, et Indulgentiae plenariae presbiteris eiusdem Societatis in itinere ad illas provincias morientibus, et christifidelibus ecclesias Societatis Iesu visitantibus ibique precantibus, aliarumque Indulgentiarum.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes literas inspecturis salutem etc. Cum sicut accepimus alias Paulus tertius felicis recordationis praedecessor noster pro tempore existenti praeposito generali Societatis Iesu, ut presbiteris eiusdem Societatis quos in Sarracenorum et aliorum infidelium terras et alias provincias remotissimas, a quarum incolis Sedes Apostolica adiri difficillime potest, ipse praepositus pro tempore existens mitteret christianos in eis commorantes ab omnibus peccatis, sententiis et censuris etiam in bulla in die Coenae Domini legi solita contentis et reservatis absolvendi facultatem tribuere posset per quasdam suas apostolica auctoritate concesserit et indulserit, quam concessionem et indultum felicis recordationis Iulius etiam tertius confirmavit, prout in utriusque praedecessoris nostri predictis literis plenius continetur, ipsique praepositus et presbiteri Societatis huiusmodi pro tempore et locorum ratione eandem facultatem confirmari et alias de novo sibi concedi desiderent, nos qui votis eorum, quibus animarum salus quaeritur studiose annuimus etiam eos amplioris gratiae prose-

quimur affectu indultum, concessionem, facultatemque praemissam eadem auctoritate tenore praesentium confirmamus, approbamus et innovamus, ac potiori pro cautela illam prout per dictos praedecessores concessa fuit in omnibus et per omnia auctoritate et tenore predictis de novo concedimus, illamque ad Societatis presbiteros tam ad Orientalem quam Occidentalem Indias omnesque regiones et insulas transmarinas ad quas Hispani et Lusitani penetrant et accedunt commeantes et in eisdem regionibus pro tempore existentes extendimus et ampliamus. Ac insuper presbiteris eiusdem Societatis, qui semel a praeposito generali eiusdem Societatis pro tempore existente, vel saltem ab aliquo episcopo approbati fuerint ad praedicandum, confessiones audiendum et missas celebrandum pro ministeriorum huiusmodi exercitio ulteriores licentiam et approbationem ab aliis episcopis petere, seu alias habere minime teneantur; sed absque illis praedicare, confessiones audire, missasque etiam extra Ecclesias consecratas super altaribus portatilibus in loco tamen decenti et honesto, etiam per horam ante diluculum vel etiam post meridiem in eisdem regionibus cum opus fuerit celebrare. Quodque in Malucco, Giappono et aliis regionum, insularum, terrarum, provinciarum et locorum predictorum partibus et locis a quibus valde remoti sunt episcopi, oleis structis per duos vel tres aut quatuor annos ante consecratis libere et licite absque scrupulo conscientiae, facta tamen prius per eos debita diligentia quotannis novum oleum sanctum habendi uti possint et valeant, earumdem tenore praesentium licentiam et facultatem, auctoritate predicta concedimus similiter et impartimur; et amplius, ut tam presbiteri predicti quam alii quicumque christifideles utriusque sexus eo magis ad aliqua pia opera pro Dei gloria et animarum suarum salute excitentur, quo exinde maiora spiritualia munera adipisci se posse cognoverint, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis tam presbiteris, quam aliis quibuscumque de dicta Societate existentibus, quos in qualiter utriusque Indiae regione vel Oceani insula aut navigatione eundo vel recedendo mori contigerit, plenariam necnon tam eisdem presbiteris et clericis, quam aliis christifidelibus utriusque sexus, qui in quibusvis utriusque Indiae ac regionum, provinciarum, terrarum, insularum, aliorumque locorum praedictorum eiusdem Societatis domorum et habitationum Ecclesiis tam erectis quam in posterum erigendis in illarum declarationis vel invocationis aut circumcisionis Domini nostri Iesu Christi festivitatibus vel diebus confessi et contriti Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, aut si alibi confessi fuerint et Sanctissimum Sacramentum huiusmodi sumpserint, eodem die aliquam ex dictis Societatis praedictae Ecclesiis visitaverint,

inibique pias ad Deum pro Sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione ac fidei catholicae propagatione preces effuderint, etiam plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam. Illis vero qui aliquam ex dictis Ecclesiis singulis quibusvis anni diebus festivis contriti et debito tempore confitendi propositum habentes visitaverint similiter, et, ut praefertur, inibi oraverint, septem annorum de iniunctis sibi aut alias debitis poenitentiis indulgentiam earumdem tenore presentium misericorditer in Domino concedimus et elargimur, necnon in singulis Ecclesiis predictis Societatis huiusmodi singula ad arbitrium illorum superiorum responsione nominanda altaria ita privilegiata concedimus, ut quicumque ex presbiteris dictae Societatis tam in illis et quolibet eorum missae sacrificium pro defunctis celebraverint, quoties id fecerint, animabus defunctorum pro quibus illas celebraverint, quique in Christi charitatae decesserint per modum suffragii, quatenus divinae bonitati placuerit prosint; praesentibus quas sub quibusvis etiam similium, vel dissimilium indulgentiarum revocationibus, suspensionibus, derogationibus tacitis vel expressis, aut aliis contrariis dispositionibus sub quibuscumque tenore et formis factis et faciendis, etiam in bulla in die Coenae Domini legi consueta nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas, ac quoties illae emanaverint, toties in pristinum statum restitutas ac de novo concessas esse et censeri; et eisdem presbiteris et christifidelibus in omnibus et per omnia suffragari, ipsarumque presentium transumptis manu alicuius notarii publici et sigillo alicuius personae seu Curiae Ecclesiae munitis, eandem prorsus fidem quae eisdem praesentibus adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae adhiberi debere decernimus post triennium a data praesentium computandum minime valituris. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. die VIII septembris 1573, anno secundo.

292

Catholicorum ducum petitiones

Sec. Brev. 63 fol. 494v-498r — die 15 septembris 1573

FACULTAS COMMUTANDI TESTAMENTUM DE MONASTERIO CONSTRUENDO

Summus Pontifex benigne annuit supplicationi a Francisco de Zuniga duce de Bezar sibi porrectae pro congruenti executione testamenti ipsius patrui Ludovici della Cruz. Inibi inter alia voluit monasterium sub invocatione Conceptionis B.M.V. Ordinis Sanctae Clarae in oppido *Benalcazar* ipsi Francisco duci subiecto construi necnon dote illi assignata ab auctoritate competenti erigi, iure praesentandi moniales ducibus de *Benalcazar* reservato, quarum numerus esset triginta trium, legatum vero pro omnibus iis exequendis sexdecim millium ducatorum. Coram pluribus testibus tamen aperte dixit mentis suae esse, ut ope eius legati insimul duo monasteria eiusdem invocationis atque Ordinis in oppido de *Hinoiosa*, eidem Francisco duci subiecto sita invicem unirentur et unicum exinde monasterium constitueretur eique ex legato in testamento relicto congrui redditus assignarentur. Propter incommoda autem et summam nimis exiguam legati, dux praedictus supplicat, ut Pontifex commutationibus propositis annuere aliasque providere de benignitate et potestate apostolica dignaretur. Proinde Summus Pontifex provinciali Ordinis Fratrum Minorum de Observantia provinciae de *Los Ángeles* facultatem tribuit seu delegat immo et mandat, ut auctoritate apostolica tenore praesentium monasteria uniat, annectat et incorporet pro sua discretione et ratione habita rerum in supplicatione expressarum, numero monialium pro necessitate reducto et alia, contrariis quibuscumque non obstantibus vel pro casu derogatis.

Gregorius XIII

Dilecto filio moderno provinciali provinciae de Los Angelos nuncupatae ordinis fratrum minorum de observantia professori.

Dilecte fili salutem etc. Catholicorum ducum petitiones illas libenter exaudimus per quas sanctimonialium in claustris Altissimo famulantium, quae paupertatis onere praegravantur necessitatibus opportune consulitur, ob eamque causam pias decedentium voluntates interdum commutamus, vel iuxta testatoris mentem illas aliquando interpretamur. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius nobilis vir Franciscus de Zuniga dux de Bezar, quod quondam Ludovicus della Cruz Francisci ducis predicti patruus antequam professionem regularem fratrum minorum de observantia, quam postmodum professus fuit emitteret, condens testamentum de bonis sibi a Deo collatis pia devotione ductus inter alia voluit monasterium sub invocatione Conceptionis beatae Mariae virginis ordinis Sanctae Clarae sub cura fratrum minorum in oppido de Benalcazar Francisco duci predicto uti eiusdem oppidi comiti in temporalibus subiecto construi, necnon dote illi assignata superioris ea in re intercedente auctoritate erigi, eoque in

monasterio triginta tres moniales cum congrua eleemosyna vel sine ea praesentantis arbitrio ad praesentationem dicti Francisci ducis et pro tempore existentium comitum de Benalcazar, quibus ius praesentandi nominandique moniales, ut praefertur, in dicto monasterio admittendas, reservari intendebat, recipi ordinavit, pro quibus omnibus exequendis sexdecim mille integros ducatos legavit prout in dicto testamento latius haec omnia explicantur; eo autem testamento condito idem Ludovicus sicut expositio subiungebat re maturius considerata coram pluribus testibus aperte dixit, quod summam praedictam quam pro monasterio erigendo, ut praefertur, legaverat, mentis suae esset, etiam potius legasse ad effectum, ut insimul duo monasteria eiusdem invocationis et ordinis sub cura fratrum eorumdem in oppido della Hinoiosa eiusdem Francisci ducis temporali ditioni subiecto sita invicem unirentur et unicum tamen monasterium ex duobus insimul iniunctis constituerentur, quam ad usum de novo construendi monasterii ut illis unitis postmodum ex legato in testamento relicto congrui redditus assignarentur, animadvertens igitur Franciscus dux in oppido de Benalcazar praedicto quod exiguum est eiusdem ordinis et invocationis monasterium cum honestis redditibus iam erectum fuisse, quod in oppido nequaquam insigni satis esse videtur, in oppido vero della Hinoiosa, quod oppido de Benalcazar proximum est, duo monasteria praedicta esse quibus, ut moniales commode vivere ac clausuram in eisdem monasteriis iuxta praescriptam formam servare possint, bona non suppetunt; quodque si monasteria praedicta oppidi della Hinoiosa invicem perpetuo unirentur et de uno ad alterum magis commodum monasterium, vel in meliorem formam postmodum reductum et amplioribus aedificiis pro alterius monasterii monialium habitatione auctum priori monasterio relicto, alterius monasterii moniales transirent, vel utriusque monasterii aedificiis relictis moniales praedictae insimul ad aliud monasterium in loco magis opportuno pro earum commoda habitatione aedificandum, cum primum illud esset constructum, se traducerent, una cum omnibus eorumdem monasteriorum tam spiritualibus quam temporalibus bonis et ad praemissa ac alia necessaria commode exequenda summa sexdecim millium ducatorum praedictorum in testamento praedicto relicta applicaretur amborum monasteriorum commodis et omnia maxime cederent nec illa a dicti Ludovici voluntate penitus essent aliena. Quare pro parte dicti Francisci ducis, qui ex iure praesentandi et nominandi triginta tres moniales monasterii erigendi maiorem partem remittit ac ad numerum decem duntaxat eam facultatem sub quibusdam conditionibus, ut praemissis omnibus bonis sit coarctari, expresse consentit, nobis fuit supplicatum ut in praemissis annuere aliasque providere de benignitate

Apostolica dignaremur. Nos igitur qui divinis obsequiis ac dictarum personarum commodis prospicere sinceris exoptamus affectibus, ac certam de praemissis notitiam non habentes, ipsumque Franciscum ducem et utriusque monasterii singulas moniales a quibusvis excommunicationis etc. censentes, necnon dicti testamenti tenores necnon fructuum, reddituum et proventuum utriusque monasterii veros annuos valores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae in qua in his et aliis specialem in Domino fiduciam obtinentem, per Apostolica scripta mandamus, quatenus monasteria oppidi della Hinoiosa praedicta, dummodo earumdem monialium et maioris et minoris partis earum, totiusque ordinis minorum de observantia generalis procuratoris ad hoc accedat assensus, Apostolica auctoritate tenore praesentium unias, annectas et incorpores, ac dictorum monasteriorum moniales ad alterum eorumdem monasteriorum, quod magis commodum ad insimul habitandum visum fuerit, in altero monasteriorum praedictorum statu et assentia regularibus prorsus suppressis et extinctis transferas, ac ad illud transeundi seque una cum omnibus et singulis mobilibus et immobilibus ac semoventibus bonis, iuribusque et actionibus, necnon vestibus sacris praeciosisque vasis ac universa sacra suppellectili, denique omnibus his quae certo rei applicatione sumpto vocabulo veniunt quocunque iusto titulo acquisitis transferendi facultatem impartiaris; aut si utriusque monasterii locus pro dictarum monialium habitatione ita angustus fuerit, ut in eo insimul unitorum monasteriorum moniales commode vivere et clausuram, ut regularis observantia Conciliique Tridentini decreta et Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones super clausura monialium editae exigunt, servare minime valeant unum monasterium pro monialium dictorum monasteriorum usu, cum ecclesia, campanili, campanis, sacristia, claustro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis et claustris, aliisque officinis necessariis ad instar aliorum eiusdem ordinis monialium monasteriorum pro usu et habitatione dictarum monialium iuxta regularia dicti ordinis instituta, sine alicuius alterius ordinis mendicantium monasteriorum praeiudicio quocumque in loco dicti oppidi, quod maxime opportunum duxeris construi et aedificari faciendi, facultatem tribuas, ac demum postquam illud aedificatum et debita clausura munitum, statusque et essentia regularis in eo introducta fuerit, ambo monasteria praedicta in illis eisdem statu et essentia regularibus penitus suppressis et extinctis deferendi, ac ad monasterium tunc constructum et erectum cum omnibus et singulis monialibus praedictis transeundi ac in eo deinceps perpetuis futuris temporibus permanendi, licentiam concedas ac, ut praemissa omnia commode exequi possint, amborum

monasteriorum omnia et singula mobilia et immobilia ac alia quaecumque bona eisdem monasteriis pro tempore relicta et donata, ac summam sexdecim millium ducatorum per Ludovicum, ut praefertur, legatam loco eorum, quae testamento praedicto caventur, attenta dicti Ludovici mentis suae coram testibus facta declaratione ad eos usus applices, ita ut summa quae vel in ampliandis vel in erigendis a fundamentis aedificiis pro dictarum monialium usu et habitatione supererit in emptionem bonorum ac sustentationem vel receptarum vel in posterum recipiendarum monialium praedictarum convertatur voluntatem dicti Ludovici testatoris quoad hoc, quatenus opus sit commutando. Ne autem sumptus necessarii singulis annis pro alendis monialibus in unum reductis et erogandi census annuos excedant, quae res multa monialibus incommoda saepe et scandala afferre solet, ad ea evitanda considerans, hinc sumptibus necessariis inde annuis redditibus nunc construendi seu de novo erigendi monasterii tam antiquorum monasteriorum fructibus quam emolumentis ex praedicta summa sexdecim millium ducatorum acquirendis computatis certum monialium numerum in dicto monasterio perpetuo recipienda et retinenda, qui excedi non possit, constituere curabis, quae ex ipsius monasterii redditibus commode ali valeant, quod si eo tempore quo utriusque monasterii moniales in unum coactae fuerint, earum numerus tantus erit ut numerum per te ut supra constitutum excedat, donec ad eum numerum illae redactae fuerint, aliquas in moniales recipi vel illis habitum regularem quem aliae moniales gestare solent exhiberi expresse prohibeas, ac tunc primum cum moniales ad numerum per te ut supra constitutum cursu temporis devenerint et ex praedicto numero aliquae decesserint alias moniales in locum singularum et ex eo numero demortuarum monialium usque ad decem duntaxat porrecta vel non porrecta eleemosyna, arbitrio, ut praefertur, eius qui illas nominaverit substituendas, eidem Francisco et suis in dicto comitatu successoribus ex nunc praesentandi ius perpetuo reservamus. Quod si dictarum monialium numerus eo quo in unum redigentur tempore minor fuerit, quam quí ali ex monasterii redditibus possit eidem Francisco comiti et suis ut supra successoribus eas moniales ab eo numero, qui tunc erit, usque ad numerum, qui per te constituetur, suppleri, dummodo non ultra decem nominandi licentiam impartimur, ita quod in eo monasterio nunquam plus decem a dicto Francisco et successoribus suis, ut praefertur, nominandae moniales eodem tempore esse reperiantur. Decernentes moniales praedictas omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, praerogativiis, favoribus, praeeminentiis, indultis, indulgentiis etiam plenariis, peccatorum remissionibus, aliisque gratiis tam spiritualibus quam tempora-

libus quibus illae in monasteriis praedictis de iure, consuetudine, privilegio vel alias quomodolibet utebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti, potiri et gaudere poterant quomodolibet in futurum omni prorsus differentia sublata uti, potiri et gaudere posse, irritumque et inane quicquid secus per his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac nuper in Cancellaria nostra Apostolica edita regula in qua inter alia voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis, quorum interest, ac beneficii uniti necnon beneficii cui unio fieri peteretur verus annuus valor exprimeretur, novissimeque celebrati Lateranensis Concilii uniones perpetuas nisi in casibus a iure praemissis fieri prohibentis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de una et Concilii generalis de duabus dietis dummodo ultra tres dietas quis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, ac aliis Apostolicis constitutionibus et Ordinationibus ac monasteriorum et ordinum huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis Apostolicis concessis et approbatis. Quibus omnibus illorum tenores praesentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, provisio quod ecclesiae dictorum monasteriorum debitis propterea non fraudentur obsequiis et animarum cura si qua illis imminet nullatenus negligatur, sed earum congrue supportentur onera consueta. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die XV septembris 1573, anno 2°.

293

In beati Petri Sede

Sec. Brev. 64 fol. 448rv; 65 fol. 264r-265r — die 2 novembris 1573

FACULTAS ABSOLVENDI

Quoscumque in partibus Indiarum commorantes et ad eas accedentes a quibusvis excessibus etiam in bulla Coenae Domini reservatis in foro conscientiae ad decem annos, pro archiepiscopis de *México* et Civitatis Regum.

Gregorius XIII

Ad futuram rei memoriam. In beati Petri Sede constituti traditam nobis potestatem ad fidelium salutem pro locorum et personarum qualitate libenter aliis communicamus. Exponi sane nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex catholicus, quod cum incolae et habitatores civitatum, locorum, terrarum, oppidorum et dominiorum Indiarum terrae firmae et insularum maris Oceani et alias quomodocumque et qualitercumque qualificatorum nuncupatorum charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi catholico tam mediate, quam immediate subiectorum a Romana Curia valde distant, ac pro peccatis et criminibus per eos pro tempore commissis Sedi Apostolicae reservatis propterea Sedem Apostolicam consulere nequeant multoties evenit ut ipsi in eorum sic commissis peccatis moriantur, vel diu absque sacramentorum participatione vivant in grave animarum suarum periculum, quibus sane malis salubri ratione occurri posset, si illarum partium aliquibus praelatis eos in similibus casibus absolvendi licentia tribueretur. Quare idem Philippus Rex nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos ea impraemissis remedia adhibere volentes per quae ipsorum incolarum et habitatorum animarum saluti valeat provideri huiusmodi supplicationibus inclinati venerabilibus fratribus Mexican. et Civitatis Regum ecclesiarum archiepiscopis et eorum cuilibet ut omnes et singulos dictorum locorum incolas et habitatores et in illis partibus commorantes et ad eas declinantes, qui id humiliter petierint iniuncta eis pro modo culpae poenitentia salutari semel et pluries ac toties quoties episcopis, archiepiscopis visum fuerit a quibusvis criminibus, excessibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam talibus de quibus Sedes Apostolica merito consulenda esset, ac in bulla in die Coenae Domini legi solita contentis in foro conscientiae absolvere libere et licite valeant facultatem et auctoritatem ad annos duodecim a data praesentium inchoanda duraturas concedimus per presentes dicto tempore

duodecim annorum elapso minime valituras. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum quia difficile foret praesentes literas ad singula quaeque loca in quibus de eis fides facienda est deferri volumus quod illarum transumptis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 2 novembris 1573, anno secundo.

294

Singularis tuae fidei

Sec. Brev. 64 fol. 479r; 65 fol. 279rv — die 22 decembris 1573

LICENTIA INGREDIENDI MONASTERIUM

Summus Pontifex Mariae Manrique, uxori proregis Novae Hispaniae licentiam concedit quater quolibet anno ingredi monasterium in quo quatuor filias habet, cum eis aliisque monialibus conversari ac divinis officiis interesse.

Gregorius XIII

Dilectae in Christo filiae Mariae Manrique Martini Henriquez Novae Hispaniae in partibus Indiarum maris Oceani proregis uxori.

Dilecta in Christo filia salutem etc. Singularis tuae fidei ac devotionis affectus quo nos et Sanctam Romanam revereris Ecclesiam promeretur ut votis tuis, quae ad tuam spiritualem consolationem tendere conspicimus favorabiliter annuamus. Hinc est quod nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi, ut una cum alia honesta muliere provectae aetatis monasterium monialium de Las Huelgas oppidi Val-

lisoleti, Palentin. diocesis, ordinis Cisterciensis, in quo sicut accepimus quatuor filias legitimas et naturales moniales habes, quas materno amore affecta et pro tui mariti absentia facilius toleranda quandoque visitare desideras quater quolibet anno de licentia ibi praesidentium ingredi et cum eisdem tuis filiabus et aliis monialibus colloqui et conversari ac divinis officiis interesse, refectionemque etiam corporalem sumere dummodo ibidem non pernoctes auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et facultatem. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac monasterii et ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis illis et eorum superioribus quomodolibet concessis et confirmatis. Quibus omnibus eorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad effectum praesentium specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 22 decembris 1573, anno secundo [1].

---

[1] Litterae supplices: ibid. 64 fol. 480r.

295

Dum intra mentis

Bull. Patr. I 236-240 — die 16 ianuarii 1574
BM II 908; XV 1892

RESTITUTIO IURIS PRAESENTANDI AD CERTA MONASTERIA ET PRIORATUS

Pontifex laboribus attentis quos reges Portugalliae pro catholicae fidei propagatione etiam usque ad partes Indiarum maris Oceani impenderunt, dignum et debitum esse censet, ut quae regi pro tempore existenti eiusque successoribus a Sancta Sede concessa fuerunt, ipse quoque, quibuscumque impedimentis sublatis, praeservet.

Primo loco Pontifex ea memorat, quae ipsius praedecessor Pius Papa IV regibus concesserat circa monasteria et prioratus regnorum Portugalliae et Algarbiorum, conditionibus insimul et finibus indicatis, quibus servatis ius praesentandi candidatos aptos ad monasteria etiam exempta vel alias reservata Ordinum inibi nominatorum exercere liceret, necnon dispositionibus circa reditus et emolumenta statutis, specialiter quidem circa pensiones solvendas, dummodo medietatem proventuum non excederent. De quibus Pius Papa V motu proprio postea decrevit, ne monasteria per pensionum reservationes aut fructuum assignationes faciendas ultra tertiam partem fructuum vel emolumentorum gravari possent illorum vacatione occurrente. Postea vero dispositiones anteriores, quas moderatus fuerat, circa concessiones et facultates praesentandi, nominandi vel eligendi ad quascumque cathedrales ecclesias et monasteria, dum pro tempore vacarent, per alias revocavit et cassavit vel annullavit, monasteriis vacantibus regimen per abbates triennales tantum exercendum praescribendo, in capitulo generali aut alias eligendos.

Pontifex nunc ius patronatus regibus Portugalliae olim concessum et facultatem praesentandi et nominandi ad monasteria, illorum occurrente vacatione, restituit et renovat conditionibus quidem ac clausulis observatis in litteris apostolicis expressis.

Gregorius XIII

Charissime in Christo fili noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Dum intra mentis nostrae arcana revolvimus continuos labores, pro Jesu Christi gloria ejusque Catholicae fidei etiam usque ad partes Indiarum maris Oceani propagatione, fidelium animarum profectu, infidelium ad fidem Catholicam conversione, et ad Sedis Apostolicae, universalis omnium fidelium Matris atque magistrae, obedientiam et reverentiam reductione, per te tuosque praedecessores indefesse et incessanter impensos, pro his opportune et feliciter gestis, dignum profecto debitumque fore censemus, ut quae tibi successoribusque tuis, ab hac Sancta Sede benigne praemissorum meritorum tuorum intuitu concessa fuerunt, ea nos, quibuscumque impedimentis sublatis, illibata praeservemus.

Sane alias postquam felicis recordationis Pius Papa IV, praedecessor noster, considerans plurimum expedire ut monasteriis et prioratibus regnorum Portugalliae et Algarbiorum personae religione ac doctrina necnon bonis moribus praeditae, quae sua doctrina et fidei zelo errores et haereses confutare valerent, praeficerentur et praeessent, monasteriorum et prioratuum hujusmodi salubri statui, illorumque conservationi et manutentioni consulere volens, ex certis tunc

expressis rationibus et causis, ac de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, S.R.E. cardinalium, cum quibus id communicavit, consilio rationabiliter motus, motu proprio, non ad alicujus sibi super eo oblatae petitionis instantiam, sed mera sua deliberatione, tibi tuisque successoribus in perpetuum ius nominandi seu praesentandi ad quaecumque monasteria, etiam de quibus consistorialiter disponi consueverat seu debebat; necnon prioratus, etiam conventuales, etiam exempta et Sedi praedictae immediate subjecta, etiam Sancti Augustini et Sancti Benedicti ac Cisterciensis et aliorum Ordinum quorumcumque, non tamen per abbates seu priores annales vel biennales aut triennales, seu suorum Ordinum generales regi solita, aut a dicta Sede eligendi privilegium in viridi observantia existens habentia, in Portugalliae et Algarbiorum regnis praedictis tunc et pro tempore existentia, ac erecta et erigenda; necnon etiam illa, in quibus nomen et titulus monasterii, et prioratus ac conventualitas et ordo suppressa et extincta existebant, si ea in pristinum statum restitui et reintegrari contigeret per cessum vel decessum, seu alias quomodolibet, etiam apud Sedem praedictam, ex quorumcumque personis, etiam commenda cessante aut unione dissoluta, pro tempore vacantia, personas habiles et idoneas, per Pium praedecessorem et pro tempore existentem Romanum Pontificem, ad nominationem seu praesentationem praedictam, et non alias in ipsorum monasteriorum abbates praeficiendas, et de dictis prioratibus providendas, Pio praedecessori et Romano Pontifici pro tempore existenti.

Ita tamen quod liceret Pio praedecessori, et pro tempore existenti Romano Pontifici, occurrente vacatione monasteriorum et prioratuum, non tamen illorum, quorum nominatio eidem Regi jam tunc reservata seu concessa, et in cujus possessione seu quasi nominandi ipse Rex existebat, per obitum illorum ultimorum possessorum, personis, Pio praedecessori, ac pro tempore existenti Romano Pontifici benevisis, ac per eum quandocumque nominandis quascumque pensiones annuas usque ad summam medietatis omnium et singulorum fructuum, reddituum proventuum, jurium, obventionum et emolumentorum singulorum monasteriorum et prioratuum eorundem ascendentes super fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus et emolumentis hujusmodi, etiamsi super illis aliae pensiones aliis assignatae existerent, dummodo medietatem non excederent, personis ipsis quoad viverent, vel earum procuratoribus legitimis per eos, de quorum personis eisdem monasteriis provideri, et quibus prioratus hujusmodi conferri contingeret, ut praefertur, et successores suos prioratus et monasteria hujusmodi pro tempore obtinentes annis singulis in locis et terminis per Pium praedecessorem et pro tempore exi-

stentem Romanum Pontificem, desuper statuendis, ac sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis in similibus apponi solitis integre persolvendas; seu si Pio, et pro tempore existenti Romano Pontifici, videretur, medietatem omnium et singulorum fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum praedictorum loco pensionis annuae, propria auctoritate, annis singulis, per personas per Pium praedecessorem, ac pro tempore existentem Pontificem, nominandas praedictas, etiam quoad viverent, absque alio tui ex tunc in eo consentientis, seu pro tempore existentis Regis, aut ad monasteria et prioratus hujusmodi promovendorum desuper requirendo seu praestando consensu, percipiendam, exigendam et levandam, ac in suos usus et utilitatem convertendam, cum exemptionibus, clausulis, derogationibus, dispensationibus et alias, modis et formis per Pium, praedecessorem ac Pontificem, in dicta nominatione exprimendis et specificandis, reservare, constituere seu concedere et assignare, aliasque expressis tunc modo et forma ex certa sua scientia per suas litteras perpetuo concesserat et assignaverat:

Et successive piae memoriae Pius Papa V, etiam praedecessor noster, ex certis tunc expressis causis, facultatem reservandi pensiones ad medietatem fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum et emolumentorum singulorum monasteriorum et prioratuum praedictorum ascendentes, seu illarum loco medietatem eorundem fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum et emolumentorum hujusmodi, per eundem Pium IV praedecessorem, sibi et pro tempore existenti Romano Pontifici, ut praefertur, reservatam ad id, ut deinceps perpetuis futuris temporibus monasteria et prioratus hujusmodi, illorum vacatione, ut praefertur, occurrente, per Pium IV praedecessorem, et Romanum Pontificem pro tempore existentem, per pensionum reservationes, aut fructuum assignationes sive concessiones, ut praefertur, faciendas ultra tertiam singulorum monasteriorum fructuum, reddituum, proventuum, jurium obventionum et emolumentorum partem, aliqua ratione vel causa, gravari non possent, illa in reliquis suis robore et efficacia, permanente, motu, scientia, et auctoritate similibus, ac de sibi tunc attributae Apostolicae potestatis plenitudine, per quasdam reduxerat et moderatus fuerat. Et postmodum ex certis aliis sibi notis et legitimis causis, omnes et singulas concessiones et facultates praesentandi, nominandi et eligendi, seu consensum praestandi ad quascumque cathedrales, etiam metropolitanas Ecclesias et monasteria, dum pro tempore vacarent, in quibus duarum ex tribus partibus cardinalium, juxta formam capitulorum, per praedictum Pium IV praedecessorem in Conclavi, in quo idem Pius IV

praedecessor, divina favente clementia, ad summi Apostolatus apicem assumptus fuerat, pro bono et felici futuri Pontificatus regimine confectorum et subscriptorum; et deinde post ipsius Pii IV praedecessoris assumptionem approbatorum, consensus minime adhibitus fuerat; quibusvis etiam Regibus, ducibus, marchionibus, et aliis personis, quacumque auctoritate et excellentia fulgentibus, ex quibuscumque etiam necessario exprimendis causis, ac alias quomodolibet per ipsum praedecessorem factas, de fratrum suorum consilio et ex certa sua scientia, per alias revocaverat, cassaverat et annullaverat, ac pro nullis, cassis, irritis et infectis haberi voluerat.

Cum idem Pius V praedecessor accepisset et ex revocatione sua hujusmodi mirum in modum gravatum sentire, cupiens propterea praedictus Pius V, qui antea tuis in ea parte supplicationibus inclinatus, unam congregationem omnium monasteriorum Ordinis Sancti Benedicti eorundem regnorum erexerat et instituerat, ac illi sic erectae et institutae omnia et singula dicti Ordinis monasteria univerat et incorporaverat, tibi aliqua ex parte satisfacere, et ex certis aliis similiter tunc expressis causis, Sancti Martini de Tibaens, et Sancti Andreae de Rendufe ac Sancti Romani de Neiva praedicti Ordinis tunc vacantia, necnon reliqua ipsius Ordinis Monasteria praedicta, cum primum illa vacare contingeret, per abbates triennales regi, gubernari et administrari debere statuit, titulumque abbatiarum perpetuarum in illis perpetuo suppressit, illaque ad debitam regularem observantiam reduci mandavit. Et similiter ex iisdem seu forsan aliis tunc etiam expressis causis, unam omnium monasteriorum Cisterciensis Ordinis, in eodem regno Portugalliae consistentium, congregationem, sub certis modo et forma, etiam tunc expressis, erexit et instituit. Quodque de caetero illa omnia, excepta tamen abbatia majori monasterii de Alcobaça, Ulixbonensis dioecesis, cujus pro tempore abbas nullam, ut idem Pius V praedecessor acceperat, in dilectos filios illius conventum, ex concessione Apostolica, jurisdictionem habebat aut superioritatem, etiamsi de illis consistorialiter disponi consuevisset seu deberet si tunc vacarent, aut cum primum illa per cessum vel decessum aut quamcumque aliam dimissionem illa obtinentium vacare contingeret, non nisi per abbates triennales in capitulo generali aut alias eligendos, sub certis modo et forma tunc expressis, regerentur etiam statuit;

Ac postremo cum idem Pius V praedecessor, tam ex tuis, quam aliorum fidedignorum insinuationibus, intellexisset, tam Sancti Benedicti et Cisterciensis praedictorum, quam Sancti Augustini canonicorum regularium Ordinum monasteria, tam ex eo quod in heremo et procul a magnis et populosis locis sita erant, aut exiguos habebant redditus, quam etiam quia difficile erat religiosos pro tot monasteriis

habitandis, qui, ut eos decebat, et ipse Pius V praedecessor totis exoptabat affectibus, monasticam, regularem et reformatam vitam ducere, et secundum eam Altissimo famulari vellent; in regnis autem praedictis diversas Sancti Dominici, Sancti Augustini heremitarum, carmelitarum, Societatis Jesu, Sancti Hieronymi aliarumque Religionum et Ordinum domos personis religiosis, sub regulari observantia viventibus, bonis instructis moribus, ac non mediocri doctrina praeditis, qui pro gentilium et aliorum infidelium, in partibus Indiae orientalis, Brasilii, Guineae et aliis locis, tibi etiam ratione Militiae Jesu Christi ejusdem Cisterciensis Ordinis temporali dominio subjectis, ad fidem Catholicam conversione, ac ad dictae Sedis obedientiam et reverentiam reductione, ad partes illas transmissi, magnum inibi ac proficuum in vinea Domini fructum afferre omnino possent reperiri; ipse Pius V praedecessor, ex his et aliis similiter tunc expressis causis, dilecto filio nostro, tunc suo, Henrico, tituli Sanctorum quatuor coronatorum Praesbytero Cardinali, Infanti Portugalliae, nuncupato nostro, tunc suo, et Sedis praedictae in dictis regnis de latere legato et venerabilibus fratribus Archiepiscopo Bracharensi ac Episcopo Leiriensi per reliquas suas litteras dedit in mandatis, quatenus, si pro tui parte forent requisiti, ipsi vel duo eorum, aut praedictus Henricus Cardinalis solus diligenter, omnia et singula Sancti Augustini canonicorum regularium, et praedictorum Sancti Benedicti ac Cisterciensis Ordinum monasteria regnorum eorundem, per se ipsos si commode possent, vel per idoneas personas ab ipso Henrico Cardinali deputandas, diligenter inspicerent et considerarent seu inspiceret et consideraret, ac quae ipsi seu dictus Henricus Cardinalis, secundum conscientias suas, quas super eo oneratas eis esse voluerat, magis idonea et apta ad observantiam regularem recipiendam et in illis restituendam esse cognovissent, ea omnia ad ipsius regularis observantiae formam, Apostolica auctoritate praedicta, reducerent et reduci facerent;

Illorum vero quae eis minus apta et idonea ad id visa forent, et in quibus tunc regularis non vigebat observantia, uniones, si illa Sancti Benedicti vel Cisterciensis Congregationibus praedictis, per ipsum Pium V praedecessorem, ut praefertur, unita, annexa et incorporata forent, nullius ad id requisito consensu, in primis, dicta auctoritate Apostolica, dissolverent; ac Ordines, quorum prius erant, ac dignitates abbatiales seu prioratus perpetuos, necnon statutum et dependentiam regulares in illis omnino supprimerent et extinguerent, illaque ex tunc, sine tamen praejudicio illa tunc obtinentium, aut si tunc vacabant, sive cum primum illa per cessum vel decessum aut quamcumque aliam dimissionem vel amissionem illa obtinentium, regimine et administratione destitui, vel illorum commendas aut admi-

nistrationes cessare contingeret, etiamsi de illis consistorialiter disponi consuevisset, cum omnibus illorum juribus, redditibus, proventibus et obventionibus Sancti Dominici, Societatis Jesu, Sancti Augustini et carmelitarum, necnon Sancti Hieronymi Ordinum seu Religionum fratribus hujusmodi, seu illi Religioni et Ordini, aut monasterio, domui vel collegio ex Ordinibus praedictis; etiamsi in alia dioecesi consisterent, cui melius id in Domino convenire cognoscerent, ad hoc ut ipsorum Ordinum superiores inibi aliquos religiosos suae professionis et Ordinis introducerent, et quolibet anno ex illorum religiosis competentem numerum, Henrici Cardinalis, ac archiepiscopi et episcopi praedictorum arbitrio, qui ad partes Indiae, vel Brasilii, Guineae aut aliorum locorum praedictorum accedere pro praemissis adimplendis annuatim tenerentur assignare, et ad id se in monasteria eorundem receptione obligare deberent, eadem Apostolica auctoritate, in perpetuum absque alicujus consensu omnino assignarent, concederent, donarent, unirent, applicarent, omniaque et singula alia in praemissis necessaria quomodolibet et opportuna, ac quae ipsi ad praemissorum executionem expedire arbitrati forent, omnino exequerentur, facerent et disponerent, plena, libera et omnimoda facultate, auctoritate et potestate, ipsi Henrico Cardinali, ac archiepiscopo et episcopo per dictum Pium V praedecessorem super praemissis omnibus et singulis cum irritanti decreto tradita et attributa.

Quarum litterarum vigore, sicut accepimus, Henricus Cardinalis praedictus plura Sancti Benedicti et Sancti Augustini Ordinum praedictorum monasteria et prioratus, unionibus praedictis dissolutis, cum primum illa per cessum vel decessum illa obtinentium, aut alias contingeret vacare, Ordinibus praedictis, abbatialibusque et prioralibus titulis in illis suppressis et extinctis, Sancti Dominici et Societatis Jesu Religionibus illorumque religiosis, sub certis modo et forma, concessit, donavit, univit et incorporavit, aliasque de illis disposuit et ordinavit, prout in ipsius Cardinalis patentibus plenius dicitur contineri, et in singulis ipsorum praedecessorum litteris praedictis plenius continetur.

Cum autem nos postmodum, dicto Pio V praedecessore, sicut Domino placuit, rebus humanis exempto, divina favente clementia, ad summi Apostolatus apicem assumpti, in crastinum assumptionis hujusmodi, per quandam constitutionem nostram, in Cancellaria Apostolica publicatam, rationabilibus tunc suadentibus causis, omnes uniones, annexiones et incorporationes, ac suppressiones etiam perpetuas, de quibuscumque monasteriis, prioratibus, dignitatibus, ac locis et beneficiis ecclesiasticis, per cessum vel decessum aut quamvis aliam dimissionem vel amissionem vacantibus tunc seu postea vacaturis,

qualiacumque essent, invicem, vel aliis monasteriis, mensis, prioratibus, dignitatibus, beneficiis, domibus, ac piis et aliis locis, universitatibus, etiam studiorum generalium, et collegiis, etiam in favorem ejusdem S.R.E. cardinalium, seu Ecclesiis, monasteriis et beneficiis, per eos obtentis quomodolibet, Apostolica vel alia quavis auctoritate factas, quae tunc suum non erant sortitae effectum, non tamen auctoritate Concilii Tridentini factas, ac quascumque concessiones et mandata super suppressionibus, unionibus, annexionibus et incorporationibus, ac aliis praemissis taliter faciendis revocaverimus, cassaverimus et irritaverimus, nulliusque decreverimus existere firmitatis, nec alicui quascumque clausulas vel adjectiones in quibusvis Apostolicis litteris; etiamsi in eis decretis esset illas ex tunc effectum sortitas esse, aut jus quaesitum fore, quomodolibet contentas adversus revocationem, cassationem et irritationem nostras praedictas voluerimus aliquatenus suffragari.

Tuque et regni tui felici administrationi et religiosorum disciplinae regulari conservandae magis expedire existimes, si, dictis unionibus et suppressionibus per constitutionem nostram jam sublatis, jus patronatus et praesentandi et nominandi facultas ad monasteria et prioratus praedictos, illorum occurrente vacatione, juxta concessionem tibi a Pio IV, praedecessore praedicto, factam, cum moderatione facultatis reservandi pensiones seu illorum loco fructuum reservationes, per Pium V, praedecessorem praedictum, ad tertiam partem fructuum et reddituum praedictorum revalidaremus, ac de novo concederemus.

Nos, qui Catholicorum Regum vota, quae ex religionis zelo prodire, ac ad regnorum suorum tranquilliorem statum tendere conspicimus, benignitate nostra, libenter praevenimus, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera liberalitate ac ex certa scientia, jus patronatus et nominandi personas idoneas ad monasteria et prioratus regnorum hujusmodi, tibi et successoribus tuis praedictis, per dictum Pium IV praedecessorem, ut praefertur, reservatum et concessum, quoad illa monasteria et prioratus, in quibus litterae Pii V aut aliarum litterarum ejusdem Pii V auctoritate gesta vere et realiter effectum sortitae non sunt; aut si suppressa et extincta in pristinum statum restitui quoquo modo contigerit, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis et decretis adversus revocationem, cassationem et annullationem praedictas in omnibus et per omnia perinde, ac si illae a dicto Pio V praedecessore nullatenus emanassent, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, restituimus, reponimus et plenarie reintegramus ac jus praedictum revalidamus.

Et nihilominus te amplioris gratiae nostrae favore prosequi volentes pro tua et successorum tuorum potiori cautela, tibi et pro tempore existenti Portugalliae et Algarbiorum Regi, jus patronatus, et nominandi seu praesentandi ad monasteria et prioratus, ut praefertur, quoad ea, in quibus litterae Pii V aut aliarum litterarum ejusdem Pii V praedecessoris auctoritate gesta, vere et realiter effectum non sunt sortitae, aut si suppressa et extincta in pristinum statum restitui contigerit, motu et scientia similibus ac auctoritate et tenore praedictis, perpetuo sub eisdemmet conditionibus, quibus per Pium IV illud reservatum et concessum fuit, de novo reservamus et concedimus; ita tamen quod tu, et pro tempore existens Rex, personas ipsas ad dicta monasteria et prioratus Ordinem dictorum monasteriorum expresse professas, et in aetate legitima constitutas, infra sex menses, a die vacationis hujusmodi computandos, nominare seu praesentare teneatis, et nos, ac Romanus Pontifex pro tempore, lapsis dictis sex mensibus et nulla facta nominatione seu praesentatione, aut dictis personis minus idoneis existentibus, eis monasteriis et prioratibus de aliis personis libere providere et de illis disponere possimus, et pro tempore existens Romanus Pontifex valeat, ipsaque monasteria et prioratus, illorum vacatione, ut praefertur, occurrente, pensionum reservationibus, aut illarum loco fructuum assignationibus usque ad tertiam singulorum monasteriorum et prioratuum eorumdem fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum et emolumentorum hujusmodi partem, juxta moderationem ejusdem Pii V praedecessoris ad favorem personarum, etiam alienigenarum et, ut praefertur, qualificatarum, et quae pro tempore existenti Romano Pontifici bene visae fuerint, etiamsi super illis alias pensiones annuas assignatas esse contingat, dummodo tertiam partem non excedant, per illas, quoad vixerint, vel eorum procuratores legitimos per eos, de quorum personis ipsis monasteriis provideri, et quibus prioratus hujusmodi conferri contigerit, ut praefertur, illorumque in dictis monasteriis et prioratibus successores, illaque pro tempore obtinentes annis singulis in locis et terminis, per nos, et Romanum Pontificem pro tempore, statuendis, ac sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, in similibus apponi solitis, integre persolvendis, seu tertiam fructuum, reddituum et proventuum partem uni, aut illam in plures partes divisam, loco pensionis annuae diversis personis, propria auctoritate, annis singulis, per personas praedictas, quibus pensiones hujusmodi aut fructus illarum loco reservati fuerint, etiam quoad vixerint, absque alio tuo, et pro tempore existentis Regis, aut ad monasteria et prioratus promovendorum hujusmodi, requirendo seu praestando consensu, percipiendam, exigendam et levandam, ac in suos usus et utilitatem convertendam,

cum exemptionibus, clausulis, derogationibus, decretis et dispensationibus, ac alias modo et forma per nos et Romanum Pontificem in earundem reservatione exprimendis et specificandis gravari possint.

Decernentes ex nunc quascumque electiones, postulationes, praefectiones, commendas, uniones, annexiones et dispositiones de monasteriis et prioratibus praedictis, alias quam de personis, per te, et pro tempore existentem Regem praedictum, ut praefertur, nominatis seu praesentatis, etiam per nos et Romanum Pontificem quomodolibet, exceptis casibus supradictis, per obreptionem et subreptionem obtentas et extortas censeri, ac propterea nullius roboris vel momenti existere, personasque, quibus dictae pensiones, aut illarum loco fructuum reservationes, a nobis seu Romano Pontifice reservatae fuerint, nullo unquam tempore, per te, et pro tempore existentem Regem, hujusmodi, aut eos, de quorum personis eisdem monasteriis seu prioratibus provideri, seu in quorum favorem disponi contigerit, super pensionibus hujusmodi, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, molestari, perturbari seu inquietari, ac praesentes de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari seu impugnari nullatenus posse, ac revocationes et suspensiones nullas fore, et quoties illas fieri contigerit, toties litteras ipsas in pristinum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas et de novo concessas esse; et sic per quoscumque judices, etiam commissarios, etiam ipsius S.R.E. cardinales, aut causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obstantibus capitulis, etiam ut praefertur, juratis et confirmatis, aliisque praemissis, ac de monasteriis et prioratibus praedictis, per nos, et Romanum Pontificem pro tempore, factis et faciendis reservationibus seu affectionibus generalibus vel specialibus; necnon de non expediendis litteris cujusvis pensionis annuae super fructibus alicujus beneficii, etiam motu proprio, nisi de consensu, dictam pensionem persolvere habentis, et Lateranensis Concilii novissime celebrati, pensiones annuas super fructibus mensarum abbatialium, nisi ex cessionis aut alia probabili causa, reservari prohibentis, ac quibusvis aliis Cancellariae Apostolicae regulis pro tempore editis vel edendis, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, necnon monasteriorum, prioratuum et Ordinum praedictorum fundationibus, ac illorum juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis

et litteris Apostolicis monasteriis, priortatibus et Ordinibus praedictis, illorumque conventibus, superioribus et personis; necnon regnis et dominiis praedictis illorumque incolis, etiam super electionibus per eosdem conventus de personis eorundem regnorum oriundis, faciendis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis; necnon irritantibus et aliis decretis, etiam iteratis vicibus, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia ad hoc exquisita forma servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, ac tam illa, quam privilegia ipsa, quoad hoc omnino suspendimus, et nemini suffragari posse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI Januarii MDLXXIV, Pontificatus nostri anno secundo.

296

Cum nos nuper

Sec. Brev. 33 fol. 7v-8r — die 10 februarii 1574
BM XV 1893

EXTENSIO FACULTATUM ET INDULGENTIARUM

Diebus 12 augusti et 8 septembris anni pontificatus sui secundi Gregorius XIII diversas gratias spirituales et indulgentias christifidelibus Indiae Orientalis et Occidentalis et sacerdotibus Societatis Iesu varias facultates ad decennium concessit. Nunc omnes et singulae facultates concessae ad collegia Societatis Iesu in *Angra, Madeira* et *Terceira* et ad alia loca, insulas et regiones extenduntur, quo sacerdotes Societatis Iesu mittuntur vel in navigatione appellant, et ad incolas ibi habitantes.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes literas inspecturis salutem etc. Cum nos nuper per alias in forma brevis literas sub data videlicet 12 augusti et 8 septembris diebus pontificatus nostri anno 2 diversas gratias spirituales christifidelibus Indiae tam orientalis quam occidentalis omniumque regionum et insularum transmarinarum ad quas Hispani et Lusitani accedunt, indulgentias et peccatorum remissiones, ac dilectis filiis presbyteris Societatis Iesu ad easdem partes pro uberibus fructibus in vinea Domini proferendis transmissis varias facultates ad decennium concesserimus, prout in eisdem literis latius per nos fuit explicatum. Volentes etiam aliarum qui in aliis regionibus a nobis penitus divisis degunt quique in dictis literis nequaquam sunt comprehensis saluti animarum prospicere omnes et singulas facultates per dictas literas concessas ad collegia presbyterorum dictae Societatis in Angre [1] e Madera [2] ac Terceus [3] aliisque in ea navigatione incurrentibus insulis et regionibus, quocumque presbyteros ipsos ire, mitti vel appellare contigerit, illarumque incolas apostolica auctoritate tenore presentium extendimus et quatenus opus sit easdem omnes et singulas facultates et gratias speciales, quas presentibus literis pro plene et sufficienter insertis haberi volumus de novo insulis et locis navigationis predictae in eisdem literis nequaquam comprehensis iuxta illarum formam et tenorem eadem auctoritate concedimus et impartimur. Non obstantibus omnibus quae in dictis literis decrevimus non obstare. Volumus autem quod praesentium transumptis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem ubique fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 10 februarii 1574, anno secundo.

---

[1] Angre = *Angra, San Salvador de Angra* in *Africa.*
[2] Madera = *Madeira,* insula.
[3] Terceus = *Terceira (Terceiras),* insula.

297

Vitae ac morum

Paenitentiariae, Reg. Matrim. et Divers. 182 fol. 36rv (pars secunda) — die 1 iunii 1574

LICENTIA DISPENSANDI

Ioannem Guilarte de Salazar, qui crure dextro claudicat, ut claudicatione non obstante ad omnes etiam presbyteratus ordines promoveri possit.

Gregorius XIII

Venerabili fratri episcopo Sancti Ioannis Portus Divitis in insulis maris Occeani et dilecto filio eius officiali, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita super quibus apud nos dilectus filius Ioannes Guilarte de Salazar clericus oppidi civitatis nuncupati de Puerto Rico insula Sancti Ioannis Portus Divitis diocesis partium Indiarum maris Occeani fide digno commendatur testimonio nos inducunt ut ipsum specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Ioannis petitio continebat quod ipse qui ut asserit magno devotionis fervore accensus ad omnes sacros et presbiteratus ordines promoveri desiderat, et quia crure dextro aliquantulum claudicat non tamen pede dextro terram percutit et in eo nulla quasi deformitas apparet minusve sibi impedit quominus stare ac sistere diutius queat desiderium suum in hac parte admittere non valet absque Sedis Apostolice dispensatione. Quare pro parte dicti Ioannis nobis fuit humiliter suppli-

catum ut ei super hoc de opportune dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Ioannem premissorum meritorum suorum intuitu gratioso favore prosequi volentes ac a quibusvis excommunicationis etc. quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum etc. censentes, ac certam etc. huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni vestre de qua in his et aliis etc. mandamus quatinus tu frater episcope seu fili officialis inspecto per te diligenter crure prefato si tanta deformitas aut debilitas in eo non appareat que scandalum generet in populo aut divinis prestet impedimentum super quo tuam conscientiam oneramus. Tunc cum prefato Ioanne quod claudicatione predicta non obstante ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines alias tamen rite promoveri et in illis promotus, etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeat, auctoritate nostra dispenses. Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Tusculi anno etc. 1574, kalendis iunii, pontificatus nostri anno tertio.

298

Apostolatus officium

Bull. Praed. V 430 — die 25 iunii 1574
Hernáez II 148
BM II 918

PROVISIO ECCLESIAE CARTHAGINENSIS

Cum Ecclesia Carthaginensis in partibus Indiae maris Oceani proprio pastore orbata esset ex eo quod eius episcopus Petrus regimini et administrationi illius in manibus Summi Pontificis sponte et libere cessit, idem Pontifex Fratrem Dionysium de Sanctis, Ordinis Fratrum Praedicatorum, quem Philippus Hispaniarum rex Catholicus ad hoc munus ex privilegio apostolico praesentaverat, illi Ecclesiae in episcopum et pastorem praeficit, curam et administrationem eiusdem ipsi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo.

Gregorius XIII

Gregorius Episcopus Servus servorum Dei. Dilecto filio Dionysio de Sanctis [1], electo Carthaginen., salutem et Apostolicam benedictionem. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus utiliter exequi, coadiuvante Domino, cupientes etc. soliciti corde reddimur etc. gubernare. Sane Ecclesia Carthaginen. in partibus Indiae maris Oceani existen., quae de iurepatronatus carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici ex privilegio Apostolico cui non est in aliquo derogatum esse dignoscitur etc. ex eo quod venerabilis frater noster Petrus [2] nuper episcopus Carthaginen. regimini et administrationi illius cui tunc praeerat in manibus nostris sponte et libere cessit, nosque cessionem etc. admittere pastoris solatio destituta etc. nos ad provisionem eiusdem ecclesiae celerem et felicem ne ecclesia ipsa longe vacationis etc. intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis fratrum Praedicatorum et Theologie professorem in presbyteratus ordine costitutum, ac verbi Dei concionatorem, quem predictus Philippus Rex nobis ad hoc per suas literas presentavit et cui apud nos de vitae munditia etc. incrementis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum etc. providemus, teque illi in episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos predicta ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas etc. commissam etc., tuque preter aeternae retributionis premium nostram et Apostolice Sedis benedictionem et gratiam etc. merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice Millesimo Quingentesimo Septuagesimo Quarto, septimo kalendas iulii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

---

[1] Dionysius de Sanctis ortus ex *Palma del Río (Córdoba)*, anno 1522 Ordini Fratrum Praedicatorum nomen dedit; mortuus est die 9 septembris 1577. *Egaña* 479-480.

[2] Petrus de Arévalo, Hieronymitanus, nominatus erat die 18 iulii 1571, sed paulo post munere se abdicavit. *Egaña* 479.

299

Muneris nostri debito

Sec. Brev. 80 fol. 129r die 13 septembris 1574

CONFIRMATIO CONSTITUTIONUM
NE ALUMINA INFIDELIUM AD CHRISTIANORUM PARTES
IMPORTENTUR

Summi Pontifices iteratim gravissimis poenis ecclesiasticis prohibuerunt, ne infidelium alumina ad christianorum regiones importentur. Gregorius XIII omnes huiusmodi Litteras et Constitutiones approbat et innovat cum eisdem censuris et poenis ecclesiasticis et iterum omnibus christifidelibus interdicit, ne dicta alumina audeant importare aut importantibus auxilium praebere.

Gregorius XIII

Ad futuram rei memoriam. Muneris nostri debito incumbit, ut quae a Romanis pontificibus praedecessoribus nostris pro christianae reipublicae utilitate statuta et decreta fuerunt, ea rata et firma manere atque ab omnibus diligenter observari curemus. Quocirca cum felicis recordationis Iulius II, Paulus III, Iulius etiam III et Pius IIII predecessores nostri prohibuerint ne infidelium alumina ad christianorum regiones et loca adveherentur et importarentur gravissimis censurarum, anathematis, amissionis bonorum aliisque contra inobedientes eorumve socios, fautores et auxiliatores propositis poenis idque propter iustas rationes et causas fecerint, nos volentes quae ab ipsis antecessoribus ita sancita fuerunt ad debitum effectum perduci, omnes eorum hac de re editas litteras et constitutiones tenore presentium

approbamus et innovamus cum eisdem censuris et poenis ac omnibus christifidelibus cuiuscunque status, gradus, ordinis et conditionis existentibus praecipimus et interdicimus, ne adversus predicta agendo alumina ipsa infidelium ad christianorum partes quovis modo audeant importare aut importantibus consilium, auxilium vel favorem prebere. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis statutisque et consuetudinibus etiam municipalibus iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis quibusvis personis publice vel privatim sub quibuscunque tenoribus et formis concessis, approbatis et innovatis, caeterisque contrariis quibuscunque. Ut autem presentes litterae in omnium notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica consitutae munitis eandem prorsus fidem haberi in iudicio et extra illud quae ipsis originalibus litteris haberetur si essent exhibitae vel ostensae. Nulli etc. nostre approbationis, innovationis, precepti, interdicti et voluntatis infringere etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Marcum anno incarnationis dominicae 1574 idibus septembris anno tertio.

300

Si laetatur Rex

Sec. Brev. 35 fol. 223r-224v — die 16 aprilis 1575

GRATIAE SPECIALES PRO FRATRIBUS ORDINIS SANCTI AUGUSTINI IN *PERÚ*

Summus Pontifex missionariis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini in partibus Indiarum Occidentalium et *Perú* licentiam et facultatem, ut cum Indis super irregularitate dispensare valeant et alias gratias speciales impertitur. Omnibus christifidelibus autem qui in die festivitatis sancti Augustini et illius octava ecclesias dicti Ordinis visitaverint et sacerdotibus eiusdem Ordinis qui idioma ac linguam earum regionum addicere curaverint et Indos in

fide catholica docuerint, ac illis sive regulares sive saeculares sint qui infirmis inserviverunt, consuetis condicionibus diversas indulgentias concedit. Christifidelibus autem visitantibus ecclesias dicti Ordinis in uno ex tribus diebus quo capitulum provinciale celebrabitur, indulgentiam plenariam concedit, si pro fidei exaltatione, haeresum extirpatione ac pro pace et unione principum christianorum oraverint.

Gregorius XIII

Ad futuram rei memoriam. Si laetatur Rex dum audit fines Regni sui longe lateque terra et mari protendi, quanto magis in Domino laetari debemus cum intelligimus fidem catholicam extra quam nulla salus est a religiosis viris vel in partibus remotissimis propagari, quo in numero cum iamdudum audiverimus dilectos filios professores Ordinis fratrum eremitarum Sancti Augustini existere eos, necnon illos qui veritatis viam ipsis suadentibus agnoscunt merito aliquibus gratiis et favoribus prosequimur. Dilectis filiis igitur provinciali aut vicario generali dicti Ordinis in partibus Indiarum occidentalium et del Peru existentibus, ut per viginti annos dumtaxat a data praesentium numerandos cum Indis, non autem cum personis ad ea loca commeantibus super irregularitate, quam ex quavis causa praeterquam ex homicidio voluntario contraxerint, necnon cum genitis ex illegitimo thoro ac bigamis et eis qui in haeresim prolapsi fuerint, etiam quoad posteros dispensare, necnon ut unam dumtaxat Ecclesiam in unaquaque provincia dictarum partium in cuius altari maiore, quoties missa pro anima cuiuscumque fidelis quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ipsa de thesauro Ecclesiae indulgentiam consequatur, quatenus Domini nostri Iesu Christi et beatissimae Virginis Mariae, beatorum Petri et Pauli, aliorumque sanctorum omnium meritis suffragantibus a purgatorii poenis liberetur constituere et deputare valeant, apostolica auctoritate tenore presentium licentiam et facultatem impartimur, necnon de omnipotentis Dei misericordia ac eorumdem Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi ad decennium tantum omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui in die festivitatis eiusdem Sancti Augustini, etiam illius octava ecclesias domorum eiusdem Ordinis in dictis partibus existentes devote visitaverint; ac professoribus dicti Ordinis vere poenitentibus et confessis, qui iter ceperint aut navem conscenderint ut ex causa religionis in dictas regiones se conferant plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam

et remissionem necnon illos qui idioma ac linguam earum regionum addicere curaverint ut illius cognitione adepta personas earum regionum in fide catholica erudire, ac verbum Dei disseminare et praedicare valeant postquam eius linguae cognitionem adepti fuerint ac eosdem Indos et alias personas catholicae fidei praecepta docuerint et verbum Dei praedicaverint ut praefertur centum dies; illis vero sive regulares sive seculares fuerint, qui in infirmariis dictarum domorum in infirmitate constitutis inserviverint quinquaginta dies de iniunctis aut alias quomodolibet debitis poenitentiis eisdemque infirmariis deservientibus vere poenitentibus et confessis, semel in vita et in mortis articulo plenariam; praeterea fratribus eiusdem Ordinis in ipsis infirmariis decedentibus etiam plenariam, necnon omnibus infirmis ac qui in dictis infirmariis deservierint, seu confratribus contritis et confessis tantum quos ab hac luce migrare contigerit et quorum corpora in Ecclesiis seu coemeteriis hospitalium Sancti Laurentii in Capinota et Sanctae Ceciliae in Cavacollo dictae provinciae del Peru ecclesiasticae tradentur sepulturae similiter plenariam. Postremo christifidelibus poenitentibus et confessis, visitantibus ecclesias dicti Ordinis in uno ex tribus diebus, quo celebrabitur capitulum provinciale dicti Ordinis, quod singulo quoque quadriennio celebrari consuevit, ac in eis pro fidei catholicae exaltatione, haeresum extirpatione ac principum christianorum pace et unione pias ad Deum preces effundentibus etiam plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate et tenore praemissis misericorditer in Domino elargimur, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 16 aprilis 1575, anno tertio.

301

Cum aliquando eveniat

Sec. Brev. 35 fol. 344v-345r — die 8 iunii 1575

LICENTIA PROCEDENDI CONTRA RELIGIOSOS DELINQUENTES

Aliquando evenit, ut religiosi varie delinquant. Summus Pontifex superioribus Ordinis Fratrum Praedicatorum in provincia Sancti Iacobi de *México*

concedit licentiam, ut contra fratres eiusdem Ordinis delinquentes procedere et culpabiles punire, citra tamen poenam sanguinis, et si opus fuerit degradatos curiae saeculari tradere possint.

Gregorius XIII

Ad futuram rei memoriam. Cum aliquando eveniat, ut etiam illi qui religioni se dederunt, Dei timore posposito, daemonisque malorum omnium auctoris fraude seducti, varie delinquant. Nos in eosdem qui habitum religionis induerint, graviter etiam animadvertendum esse censentes, universis et singulis praelatis Ordinis fratrum praedicatorum qui in provincia Sancti Iacobi de Mexico Indiarum maris Occeani pro tempore fuerint ut de caetero contra omnes et singulos dicti Ordinis fratres quomodolibet delinquentes tam ex officio, quam alias prout iuris ratio suaserit de alicuius iuris periti consilio procedere, illosque carcerare et repertos culpabiles aut alias punibiles citra tamen poenam sanguinis et mutilationis membrorum punire, corrigere et castigare et ubi opus fuerit eosdem fratres delinquentes confessos vel convinctos postquam servatis servandis degradati fuerint curiae seculari tradere puniendos, absque aliquarum censurarum et irregularitatis incursu libere et licite valeant, apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique ordinis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis praedicto ordini, illiusque professoribus ac superioribus et personis concessis et confirmatis. Quibus omnibus illorum tenores presentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 8 iunii 1575, anno IV.

302

De benignitate Sedis Apostolicae

Arm. XXX 251 fol. 154v-156v die 18 iunii 1575

FACULTAS TESTANDI DE BONIS PROPRIIS CONFIRMATUR

Supplicationi a Ioanne olim episcopo Carthaginensi ipsi porrectae annuens Summus Pontifex facultatem confirmat oratori a praedecessore iam defuncto Pio Papa V factam, vi cuius de bonis propriis quibuscumque iisque quomodolibet habitis vel acquisitis aut in posterum habendis vel acquirendis usque ad summam decem millium ducatorum libere et licite disponere et testari valeret. Praeterea ne orator effectu huiusmodi concessionis frustretur, Pontifex validitatem ultra spatium trium mensium extendit, quo ad normam a Pio IV statutam sumptum eiusmodi facultatis Camerae Apostolicae praesentare oportebat, ac facultatem pro tempore iam transacto revalidat, constitutione et ordinatione praedecessoris minime obstantibus.

Gregorius XIII

Venerabili fratri Iohanni [1] olim episcopo Carthaginensi.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem. De benignitate Sedis Apostolice providere equum est ut facultates disponendi de rebus et bonis ecclesiasticis suprema voluntate vel alias presertim pontificali dignitate preditis personis a Sede Apostolica concesse sublatis impedimentis quibuslibet subsistant suumque plenum sortiantur effectum. Exponi siquidem nobis nuper fecisti quod alias felicis recordationis Pius papa quintus predecessor noster postquam accepe-

[1] Ioannes de Simancas, episcopus Ecclesiae Carthaginensis 1561-1570. Cfr. de eo supra doc. 259.

rat te diem tue peregrinationis extremum testamentaria dispositione prevenire desiderare tibi ut de quibuscunque mobilibus et immobilibus ac se moventibus bonis nec non pecuniis creditis iuribus et actionibus per te tam ratione Carthaginen. cui tunc preesse dignoscebaris, quam aliarum quarumcunque Cathedralium etiam metropolitanarum ecclesiarum ad quas te transferri forsan contingeret, necnon monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura secularium et quorumvis ordinum regularium quomodolibet qualificatorum que ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis vel alias quomodolibet obtinueras et obtinebas ac imposterum obtineres, necnon quoruncunque fructuum, reddituum et proventuum ecclesiasticorum loco pensionum annuarum ac etiam quarumcunque pensionum annuarum super similibus fructibus et proventibus ei reservatorum et assignatarum, ac alias quomodocunque et qualitercunque habitis et acquisitis ac imposterum habendis et acquirendis seu alias tibi donatis et quomodolibet concessis ac donandis et concedendis ubicunque consisterent ac cuiuscunque qualitatis existerent usque ad summam decem millium ducatorum auri de Camera prout voluisses ac alias sub certis modo et forma tunc expressis testari, ordinare, donare, erogare et alias prout tibi videret statuere libere et licite posses et valeres plenam et liberam facultatem concessit; et quod antea pie memorie Pius papa quartus etiam predecessor noster per quamdam suam motu proprio et ex certa eius scientia sub data videlicet octavo idus augusti, pontificatus sui anno sexto, editam constitutionem statuerit et ordinaverit quod omnes et singuli etiam patriarchali, archiepiscopali, episcopali seu alia quacunque ecclesiastica dignitate et preeminentia fulgentes qui aliqua privilegia, gratias, facultates, licentias et indulta aut concessiones que aliqua ex parte quavis ratione seu causa directe vel indirecte principaliter secundarie vel accessione aut alias quovis modo Camere Apostolice qualecunque minimum interesse vel preiudicium, gravamen seu detrimentum concernere censerentur illa infra tres menses a die eorum impetrationis computandos in eadem Camera presentare ac ibidem registrare facere deberent et tenerentur alioquin lapsis tribus mensibus eisdem ac privilegiis, facultatibus, licentiis, gratiis ac indultis vel concessionis huiusmodi non presentatis minusque registratis illa in iuditio et extra nullatenus iidem facere possent et tamquam non concessa nullaque et ipso iure invalida ac nullius roboris vel momenti fuisse et fore neminique suffragari vel prodesse posse seu debere illaque extunc nulla et invalida irritaque et inania, ac nullius roboris vel momenti fuisse et esse et fore neminique ut prefertur suffragari posse declaraverit, prout in Pii quinti et Pii quarti predecessorum predictorum super premissis confectis litteris

plenius continetur. Quare nobis humiliter supplicari fecisti ut ad hoc ne ipse dicte facultatis testandi et disponendi de tuis bonis iuxta illius seriem frustreris effectu opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes necnon singularum litterarum facultatis et constitutionum prefatarum tenores presentibus pro expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati predictas litteras et per illas tibi concessam testandi facultatem predictam cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis et decretis adversus statutum, ordinationem et declarationem Pii 4 predecessoris predicti ac lapsum trium mensium huiusmodi ad alios tres menses a data presentium computandos, ita quod interim litteras et facultatem ipsam seu illarum sumptum autenticum in dicta Camera presentare et ibidem registrari facere omnino tenearis libere et licite possis in omnibus et per omnia proinde ac si intra primodictos tres menses adhuc existeres restituimus, reponimus et plenarie reintegramus illaque adversus dicti Pii 4 predecessoris predicti constitutiones, dispositiones revalidamus ac tibi quod litteris et facultate predictis uti et etiam si ultimo dictis tribus mensibus durantibus contingat te debitum nature persolvere nihilominus litteras et facultates predictas ac quicquid illarum vigore per te testatum dispositum, codicillis relictum, legatum vel alias ordinatum fuerit valida et efficacia esse tibique litteras et facultatem predictas ad testandum, disponendum, codicillos conficiendum, legandum et ordinandum, suffragari constitutione et ordinatione Pii 4 predecessoris predicti nequaquam obstantibus concedimus et indulgemus; necnon litteras et facultatem huiusmodi propterea minime expirasse neque expirare sed suos plenarios et integros effectus sortiri debere sicque per quoscunque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate ubique iudicari et diffiniri debere irritum quoque et inane decernimus quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Ispalensi ac Cordubensi et Giennensi episcopis per presentes mandamus quatinus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, facultatem predictam et presentes litteras et in eis contenta quecunque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte tua seu cuiusvis alterius desuper interesse habentes fuerint requisiti solemniter publicent, illisque in premissis efficacis defensionis presidio assistant et faciant auctoritate nostra vos premissis omnibus et singulis iuxta presentium continentiam et tenorem pacifice frui et gaudere, non permittentes vos a quoquam quomodolibet indebite molestari, perturbari aut inquietari. Non obstantibus Pii quarti predicti

aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon Camere predicte etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, decretis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Camere illiusque ministris etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus etiam si de illis specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quavis alia expressio habentes foret tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur presentibus pro plene et sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, necnon omnibus illis que in eisdem litteris Pii quinti predecessoris predicti non obstare decretum extitit, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XVIII iunii MDLXXV, pontificatus nostri anno quarto.

303

In supereminenti militantis Ecclesiae

Sec. Brev. 66 fol. 369v-375r; 67 fol. 502v-507r — die 19 iulii 1575
Hernáez II 679-680 (ex parte)

ERECTIO PROVINCIAE DE *RIO DO JANEIRO* IN VICARIAM SEU ADMINISTRATIONEM

Pontifex refert, quod ipsi a Sebastiano, Portugalliae et Algarbiorum rege expositum est, quod provincia Brasilii, sub eius dominio temporali reducta longe lateque se extenderet, cuius incolae et habitatores absque aliqua fidei catholicae institutione viverent. Propterea progenitores eiusdem regis ad divini nominis cultum in eadem provincia propagandum et incolas ad lumen veritatis perducendos pro huiusmodi gentilium et aliorum infidelium conversione diversos religiosos praesertim e Societate Iesu illuc transmiserunt et inibi sacros ministros introduci et ecclesias, monasteria et alia pia loca aedificari procurarunt. Tandem in Sinu Omnium Sanctorum (*Bahia de todos los Santos*) cathedralem

ecclesiam sub invocatione sancti Salvatoris de iure patronatus eiusdem regis apostolica auctoritate institui fecerunt. Cum autem interim in iis partibus Brasilii oppida et terrae illorumque habitatores ita multiplicati sint, ut episcopus Sancti Salvatoris ob ipsius dioecesis amplitudinem, locorum dissitorum copiam, itinerum maritimorum dispendia et pericula curae et administrationi sui gregis in partibus fluvii Ianuarii consistentis commode intendere nequeat, idem Sebastianus rex Pontifici supplicari fecit, ut ea pars provinciae, seu pars terrae fluvii Ianuarii ab Ecclesia et dioecesi Sancti Salvatoris perpetuo separaretur et inibi Vicaria seu Administratio erigeretur; quod Pontifex ex auctoritate apostolica concedit et decernit, Vicariam spiritualem provinciae fluvii Ianuarii erigendo, cum omnibus privilegiis et facultatibus, quibus Vicariae in aliis provinciis erectae gaudent.

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. In supereminenti militantis Ecclesiae specula, meritis licet imparibus, divina dispositione constituti ad universa orbis loca et provincias praesertim Omnipotentis Dei misericordia per Catholicos Reges et Principes ab infidelibus et barbaris nationibus recuperata et acquisita, aciem nostrae considerationis reflectentes et ut in locis ac provinciis ipsis plantetur et plantata confirmetur radicibus christiana religio, eorumque incolae et habitatores propriorum pastorum assistentia et regimine suffulti proficiant semper in fide, et quod in temporalibus sunt adepti non careant in spiritualibus incremento opem et operam libenter impendimus efficaces prout eorumdem Regum exposcit devotio, nosque locorum et rerum circumstantiis mature pensatis ad fidei orthodoxae conservationem et propagationem, animarumque salutem et profectum conspicimus in Domino salubriter expedire. Exponi nobis sane nuper fecit charissimus in Christo filius noster Sebastianus Portugalliae et Algarbiorum Rex illustris, quod alias, cum inter caeteras provincias progenitorum suorum auspiciis repertas et acquisitas ac sub eius temporali dominio reductas, provincia Brasilii in partibus Occidentalibus consistens longe lateque se extenderet, illiusque incolae et habitatores divinae legis expertos, absque aliqua fidei orthodoxae instructione viverent, praedicti progenitores pio affectu moti ac desiderantes in dicta provincia Brasilii illius gloriosissimi nominis cultu, cuius est orbis terrarum et plenitudo eius ac universi qui in eo habitant, propagari, et incolas praedictos ad lucem veritatis perduci, totque animas Deo lucrifieri, non sine

gravium impensarum et sumptuum mole, ad provinciam Brasilii huiusmodi pro gentilium et aliorum infidelium ad dictam fidem conversione et ad Apostolicae Sedis obedientiam reductione, ac humani generis Redemptoris agnitione et veneratione, diversos religiosos et praesertim praesbiterorum regularium Societatis de Iesu personas, vitae exemplo et morum honestate insignes, multiplicique doctrina et lectione praeditas transmiserunt, et inibi Dei cultum ac ministros ecclesiasticos paulatim introduci, necnon Ecclesias, monasteria, collegia et alia pia loca aedificari et fabricari, ac illa paramentis et ornamentis ecclesiasticis fulciri, et tandem in sinu Omnium sanctorum Baja de todos nuncupatum, partium Brasilii huiusmodi unam Cathedralem Ecclesiam sub invocatione Sancti Salvatoris nuncupatam, de iure patronatus praedicti Sebastiani Regis ex privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, existente, et ad praesens pastoris solatio destitutam sub certis modo et forma tunc expressis Apostolica auctoritate erigi et institui, ac eidem Ecclesiae sic erectae certum tunc expressum oppidum pro civitate et sinu Omnium sanctorum huiusmodi, necnon provinciam seu partem terrae Fluvium Ianuarii nuncupatam, omniaque in dictis partibus Brasilii tam versus partem Septentrionalem, quam Meridionalem ac alias consistentia loca et terras pro diocesi ipsarumque civitatis et diocesis incolas et habitatores pro clero et populo concedi et assignari etiam procurarunt. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat in dictis partibus Brasilii, benedicente Domino, oppida, loca et terrae, illorumque incolae et habitatores huiusmodi tam christiani quam gentiles ita multiplicasse noscatur, ut Episcopus Sancti Salvatoris pro tempore existens, ob ipsius diocesis per duo millia et septingenta miliaria se extendentis amplitudinem, frequentissimorum ac longe lateque dissitorum locorum et terrarum copiam, necnon provinciae seu partis terrae Fluvii Ianuarii huiusmodi distantiam, marisque incommoda ac difficilem et dispendiosam navigationem, piratarumque illic discurrentium periculum curae, regimini et administrationi sui gregis in partibus Fluvii Ianuarii huiusmodi consistentis, prout eius pastorali officio incumbit commode, nec sine incolarum et habitatorum alterius partis suae diocesis videlicet sinus Omnium sanctorum, huiusmodi salutis dispendio et ipsius vitae periculo intendere nequeat, ac exinde incolae et habitatores Fluvii Ianuarii huiusmodi nec fide, doctrina, nec pie vivendi praeceptis commode instrui, aut si quid deliquerint factae, corrigi ab Episcopo suo possint, illorumque multitudo copioso ministrorum numero specialisque pastoris, qui eos spirituali et coelesti pabulo personaliter pascat et reficiat, illorumque animarum saluti ac in his, quae ad divini cultus, fideique catholicae conservationem et incrementum necessaria et profi-

cua esse dignoscuntur specialiter intendat ne assistentia et regimine ob eiusdem pastoris carentiam et penuriam, quod tanta cura seminatum fuit inter tot tribulos et spinas suffocetur et intereat non parum indigere dignoscantur si diocesis ipsa in duas partes divideretur, eiusque rei causa tota provincia seu pais terrae Fluvii Ianuarii et exinde usque ad terminos et limites, quibus gubernium temporale eiusdem Fluvii Ianuarii circumstabitur ab Ecclesia et diocesi Sancti Salvatoris huiusmodi penitus separaretur et dismembraretur, illaque sic separata et dismembrata in vicarium seu administratorem spiritualem Fluvii Ianuarii nuncupandos pro uno vicario seu administratore in spiritualibus Fluvii Ianuarii nuncupandis, qui inibi omnimodam spiritualem et ecclesiasticam ac ordinariam et quasi episcopalem iurisdictionem tam in foro interiori quam exteriori haberet et exerceret erigeretur et institueretur, ex hoc profecto provincia Fluvii Ianuarii huiusmodi solicioribus proficeret incrementis, illiusque cleri et populi praedictorum saluti ac dictae fidei profectui et exaltationi divinique cultus incremento, ac tot incommodis et animarum periculis opportune consuleretur. Quare idem Sebastianus Rex nobis humiliter supplicari fecit, quatenus eamdem provinciam seu partem terrae Fluvii Ianuarii ab Ecclesia et diocesi Sancti Salvatoris huiusmodi perpetuo separare et dismembrare, ac inibi vicariam seu administrationem praedictam erigere et instituere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui Dei cultum et illius incrementum ac provinciarum quarumlibet salubrem directionem cum animarum christifidelium salute et spirituali consolatione intentis desideriis affectamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam ac gloriosissimae eius genitricis virginis Mariae, totiusque Curiae coelestis honorem et ipsius fidei catholicae exaltationem, eam diocesis Santi Salvatoris partem, in qua provincia seu pars terrae Fluvii Ianuarii huiusmodi consistit, ut praefertur, cum illius territorio, oppidis, villis, locis, necnon clero, populo et personis ac monasteriis, Ecclesiis, collegiis et piis locis ac beneficiis ecclesiasticis, secularibus et quorumvis ordinum regularibus ab Ecclesia Sancti Salvatoris et diocesi praedictis perpetuo separamus et dismembramus, et ab omni subiectione, iurisdictione, superioritate, correctione, visitatione et potestate pro tempore existentis Episcopi Sancti Salvatoris eiusque vicariorum et officialium ac a solutione quorumcumque iurium eidem Episcopo et dilectis filiis Capitulo dictae Ecclesiae Sancti Salvatoris per clerum, populum et personas Fluvii Ianuarii huiusmodi ratione subiectionis, iurisdictionis, superioritatis aut visitationis etiam diocesis, ita quod de caetero praedictus Episcopus Sancti Salvatoris aliquam iurisdictionem spiritualem praeterquam in his, quae sunt or-

dinis, demptis inferius expressis in oppida, terminos, territoria, villas et loca, ac clerum, populum, personas, monasteria, ecclesias et pia loca, necnon beneficia sub separatione et dismembratione huiusmodi comprehensa exercere, nec eadem beneficia, quae antea ad ipsius collationem, provisionem, institutionem vel quamlibet aliam dispositionem pertinebant conficere, seu de illis providere aut alias disponere, fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta per eum in Fluvio Ianuarii illiusque terminis, terris, oppidis, villis et locis praedictis ratione visitationis aut legis diocesis percipere nullatenus possint dicta auctoritate etiam perpetuo eximimus et totaliter liberamus, ipsamque provinciam Fluvii Ianuarii sic separatam et dismembratam in vicariam seu administrationem spiritualem provinciae Fluvii Ianuarii nuncupandam pro uno presbitero seculari vel cuiusvis ordinis regulari vicario seu administratore in spiritualibus provinciae Fluvii Ianuarii nuncupando in theologia seu decretis graduato, vel alias praevio examine seu iudicio deputatorum Senatus mensae regiae conscientiae et ordinum militarium, in quo complures viri tam seculares quam regulares literarum scientia moribusque et virtutis insignes reperiuntur habili et idoneo ad alios docendum approbato, ac per ipsum Sebastianum et pro tempore existentem Portugalliae et Algarbiorum Regem perpetuis futuris temporibus etiam hac prima vice libere, nullius ad id requisito consensu etiam ad tempus sibi benevisum deputando et constituendo, qui deputationis et constitutionis huiusmodi vigore absque alia Romani Pontificis vel Episcopi Sancti Salvatoris pro tempore existentium aut cuiusvis alterius confirmatione, approbatione, commissione, licentia vel consensu curam, regimen et administrationem provinciae Fluvii Ianuarii, ac cleri et populi tam christiani quam gentilis, necnon oppidorum, terrarum et locorum in illius districtu, limitibus et terminis praedictis consistentem habere, ac inibi praedicare et praedicari facere, gentilesque praedictos ad orthodoxae fidei cultum convertere et conversos in eadem fide instruere et confirmare, eisque baptismi gratiam et confirmationis sacramentum impendere, ac tam illis sic conversis quam aliis omnibus fidelibus in provincia Fluvii Ianuarii ac illius oppidis, terris, villis, locis, territoriis, districtu, limitibus et terminis praedictis pro tempore degentibus et ea declinantibus, Sacramenta Ecclesiastica et alia spiritualia munera non tamen ea quae sunt ordinis, ut praefertur, ministrare et administrari etiam facere et procurare, ac quaecumque beneficia ecclesiastica sub separatione et dismembratione huiusmodi comprehensa et quae antea ad ipsius Episcopi Sancti Salvatoris collationem, provisionem, institutionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinebant iure tamen patronatus Sebastiano et pro tempore existenti Regi praedicto ad ipsa

beneficia ex privilegio Apostolico vel alias quomodolibet competente semper salvo et illaeso remanente conferre, et de illis disponere ac in eis instituere, calices, campanas, vestimenta corporalia et alia paramenta et ornamenta ecclesiastica consecrare et benedicere, Ecclesias, cimiteria et loca ecclesiastica sanguinis et seminis effusione sive alias quomodolibet polluta vel profanata aqua per se ipsum benedicta reconciliare, ipsasque Ecclesias et loca sub eius districtu comprehensa, ac illorum personas visitare ac villarum statum, regimen, statuta, consuetudines, vitam, ritus, mores, delicta et disciplinam tam in capite quam in membris inquirere, necnon Evangelicae et Apostolicae doctrinae, sacrorumque canonum et generalium conciliorum decretis et institutis inhaerendo et prout occasio rerumque qualitas exegerit, quaecumque mutatione, correctione, emendatione, punitione, revocatione et renovatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoverit, reformare, mutare, corrigere, punire et etiam de novo condere, nec non beneficiales matrimonialesque et quascumque alias ecclesiasticas et civiles ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes causas motas et inchoatas ac interim movendas, cum earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis audire, decidere et fine debito, prout iuris fuerit terminare, seu causas ipsas alii vel aliis idoneis modo et forma praedictis ac cum simili vel limitata potestate pariter audiendas, decidendas et terminandas delegare, ac denique plenam, meram et omnimodam spiritualem et ecclesiasticam ac ordinariam iurisdictionem tam in foro interiori quam exteriori habere, et eam ac omnia et singula alia, quae pro tempore existens Episcopus Sancti Salvatoris in illis partibus hactenus habere, gerere et exercere debuit, potuit et consuevit similiter et pariformiter, nullaque prorsus differentia exceptis tamen iis, quae ut dictum est sunt ordinis, prout divini cultus augmento, ac ipsorum cleri et populi animarum saluti expedire cognoverit gerere, exercere, facere et exequi cum omnibus et singulis aliis privilegiis, facultatibus, exemtionibus, libertatibus, iurisdictionibus, praeeminentiis, favoribus, gratiis et indultis quibus inde Ormuz et Mocambique ac Cofala necnon Maluco, aliisque provinciis et locis erectae administrationis et illarum pro tempore deputati administratores similiter ordinariam, ut praefertur, iurisdictionem inibi habentes utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere potuerunt et poterunt quomodolibet in futurum auctoritate praedictis similiter perpetuo erigimus et instituimus. Decernentes easdem praesentes literas nullo unquam tempore ex quavis causa, etiam ex eo quod illae dicta Ecclesia Sancti Salvatoris pastoris solatio destituta, nec ei curatore deputato vel alias interesse habentibus minime vocatis de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel alio quovis de-

fectu notari vel impugnari, aut in ius vel controversiam vocari, aut contra illas restitutiones in integrum reductionem ad terminos iuris, aut quodvis aliud gratiae vel iuris remedium impetrari posse, causamque vel causas propter quas praemissa concessa fuerunt minime verificare, aut ob id iuribus carere minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam eis in toto vel in parte derogantibus vel obviantibus etiam a nobis et dicta Sede quomodolibet pro tempore emanatis nullatenus comprehendi sed semper validas et ab illis prorsus exceptas et quoties illae emanabunt, aut sub eis quovis modo comprehendi videretur toties in pristinum et eum in quo antequam illae emanarent statum restitutas et plenarie reintegratas ac de novo concessas esse et censeri et ad hoc ut sub illis non comprehendantur vim validi et efficacis contractus inter nos et dictam Sedem ac Sebastianum et pro tempore existentem Regem praedictum inibi et stipulati obtinere et omni tempore suos plenarios et integros effectus sortiri, sicque per quoscumque iudices et commissarios etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et diffiniri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis et quibusvis Apostolicis ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, necnon dictae Ecclesiae Sancti Salvatoris iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ac fundatione, erectione et institutione, privilegiis quoque indultis et literis Apostolicis, eidem Ecclesiae Sancti Salvatoris et illius praesuli pro tempore existenti ac praedictis capitulo et aliis personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie etiam motu proprio et ex certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine ac etiam consistorialiter vel alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis ac insertis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, statuimus et ordinamus quod clerus et populus aliique incolae et habitatores tam per praesentes erectae Fluvii Ianuarii quam de caetero earumdem

praesentium vigore erigendis vicariis seu administratoribus praedictis comprehensi et comprehendi in his quae sunt ordinis, ut praefertur, ad praedictum Episcopum Sancti Salvatoris pro tempore existentem habitis tamen a suis vicariis seu administratoribus ad id literis dimissorialibus recurrere teneantur. Quodque Fluvii Ianuarii et alii praesentium vigore pro tempore deputati vicarii seu administratores ratione personarum suarum dumtaxat visitationi, correctioni, superioritati et iurisdictioni praedicti Episcopi Sancti Salvatoris pro tempore existentis subsint et a sententiis diffinitivis tamen seu vim diffinitivam habentibus et quarum gravamen per appellationem a diffinitiva reparari nequeat per ipsos vicarios seu administratores aut eorum officiales pro tempore latis appellationes ad eumdem Episcopum Sancti Salvatoris pro tempore existentem interponi, ipsarumque appellationum causae per eum cognosci, decidi et fine debito prout iuris erit terminari possint. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 19 iulii 1575, anno quarto.

304

Exigit vestrae devotionis

Sec. Brev. 35 fol. 526v-527r — die 20 augusti 1575

INDULTUM SEPELIENDI CADAVERA IN ECCLESIA CARCERIS

Summus Pontifex confraternitati Caritatis in ecclesia carceris Civitatis Regum (*Lima*) canonice institutae indultum concedit sepeliendi sodalium cadavera in dicta ecclesia seu cappella et habendi pulpitum in eadem ecclesia ac concionatorem, sine tamen praeiudicio rectoris parochialis ecclesiae et de consensu Ordinarii loci.

Gregorius XIII

Dilectis filiis priori et administratoribus confraternitatis sub invocatione Charitatis in Ecclesia seu cappella carceris Civitatis Regum in

partibus del Peru Indiarum maris Oceani canonice instituta.

Dilecti filii salutem etc. Exigit vestrae devotionis affectus quem ad nos et Romanam geritis Ecclesiam ut votis vestris praesertim quae ex devotionis fervore prodire conspicimus quantum cum Deo licet libenter annuamus. Hinc est quod vos et vestrum quemlibet a quibusvis excommunicationis etc. censentes vestris hac in parte supplicationibus inclinati vobis et cuilibet vestrum, ut quandocumque contigerit vos seu quempiam vestrum ab humanis decedere, cadavera vestra ecclesiasticae sepulturae in dicta Ecclesia seu cappella sine tamen rectoris parrochialis Ecclesiae cuiuslibet vestrum praeiudicio tradi possent, quodque de consensu ordinarii in eadem Ecclesia seu cappella pulpitum et verbi Dei praedicatorum ab ordinario approbatum, qui verbum Dei huiusmodi carceratis dominicis et festivis ac aliis diebus vobis benevisis necnon unam parvam campanam ad convocandum populum ad missam et concionem sacram habere et tenere possitis, apostolica auctoritate tenore praesentium indulgemus. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 20 augusti 1575, anno quarto.

305

Eximiae devotionis

Sec. Brev. 35 fol. 525v-526r — die 20 augusti 1575
Hernáez I 526

FACULTAS RECIPIENDI ET EDUCANDI PUELLAS IN MONASTERIO

In monasterio monialium Civitatis Regum (*Lima*) Ordinis Sancti Augustini canonicorum regularium, 60 moniales vivunt in summa paupertate, ita ut nec monasterium nec ecclesiam ad culmen perduci possint. Supplicationibus earum annuens Summus Pontifex indulget, ut aliquot puellas recipere et inibi eas educare possint, sumptibus et expensis parentum earum.

Gregorius XIII

Dilectis in Christo filiabus priorissae et conventui monasterii Civitatis Regum partium del Peru Indiarum maris Oceani Ordinis Sancti Augustini canonicorum regularium.

Dilectae in Christo filiae salutem etc. Eximiae devotionis sinceritate qua nos et Romanam prosequimini Ecclesiam ducti votis vestris piis et humilibus libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Exponi siquidem nobis nuper fecistis quod in monasterio vestro Civitatis Regum partium del Peru Indiarum maris Oceani Ordinis Sancti Augustini canonicorum regularium estis numero sexaginta moniales et in summa paupertate constitutae ac dictum monasterium et illius Ecclesia propter rei familiaris vestrae angustiam ad culmen perduci non possunt et si vobis aliquot bonae indolis puellas personarum nobilium illarum partium in dictum monasterium recipere et inibi suis sumptibus educare liceret, parentes dictarum puellarum inopiae vestrae subvenirent et puellarum huiusmodi saluti plurimum consolaretur. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum quatenus statui vestro in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos vestris hac in parte supplicationibus inclinati vobis ut de licentia superiorum vestrorum aliquot puellas primatum illarum partium in vestrum monasterium recipere et inibi eas suis sumptibus et expensis alere ad effectum [1] puellas praedictas bonos mores docendo, omnemque illis modum per quem animarum suarum salutem consequantur aperiendi et demonstrandi, necnon puellas praedictas dictum monasterium ingredi et inibi per tempus eisdem superioribus benevisum permanere, ita tamen quod si puellas praedictas seu earum aliquam inde exire contigerit, illuc amplius reverti non possint libere et licite valeatis, apostolica auctoritate tenore praesentium indulgemus. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac monasterii et Ordinis praedictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 20 augusti 1575, anno quarto.

---

[1] *Hernáez* omittit verba sequentia usque ad «dictum».

306

Omnium saluti paterna charitate

Sec. Brev. 69 fol. 326v-327r; 70 fol. 324v-325r die 20 augusti 1575

ALTARE PRIVILEGIATUM IN ECCLESIA METROPOLITANA CIVITATIS *MÉXICO*

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Omnium saluti paterna charitate intenti inter tam multa pietatis officia, quae nos pro munere nostro convenit exercere, sacra interdum loca speciali privilegio insignimus, ut inde fidelium defunctorum saluti amplius consulatur. Quo circa ut altare Ecclesiae Metropolitanae nominandum per venerabilem fratrem archiepiscopum Mexicanum provinciae Novae Hispaniae Indiarum maris Oceani, ad quam dilectus filius Franciscus de Spinosa ordinis praedicatorum professor ac provinciae Sancti Iacobi dictarum partium procurator singularem gerit devotionis affectum, hoc speciali dono illustretur, auctoritate nobis a Domino tradita concedimus ut quoties missae ad dictum altare per dictum archiepiscopum semel nominandum celebrabuntur pro animabus quorumcumque fidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint ipsae de thesauro Ecclesiae indulgentiam consequantur, quatenus Domini nostri Iesu Christi et beatissimae virginis Mariae ac beatorum Petri et Pauli apostolorum aliorumque sanctorum omnium meritis suffragantibus a Purgatorii poenis liberentur. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 20 augusti 1575, anno quarto.

307

Omnium saluti paterna charitate

Sec. Brev. 69 fol. 327rv; 70 fol. 325rv die 20 augusti 1575

ALTARE PRIVILEGIATUM IN ECCLESIA MONASTERII MONIALIUM IN CIVITATE REGUM

Gregorius XIII

Ad futuram rei memoriam. Omnium saluti paterna charitate intenti inter tam multa pietatis officia, quae nos pro munere nostro convenit exercere sacra interdum loca speciali privilegio insignimus ut inde fidelium defunctorum saluti amplius consulatur. Quo circa ut Ecclesia monasterii monialium Civitatis Regum in partibus del Peru Indiarum maris Oceani ordinis Sancti Augustini canonicorum regularium ad quam, sicut accepimus, dilectus filius Franciscus Moran ordinis praedicatorum professor et provinciae terrae firmae dictarum partium procurator singularem gerit devotionis affectum simili usque adhuc privilegio minime decorata et situm in ea altare ut speciali dono illustretur, auctoritate nobis a Domino tradita concedimus ut quoties missae ad unum altare situm in dicta Ecclesia non tamen maius per priorissam dicti monasterii nominandum celebrabitur pro anima uniuscuiusque fidelis quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ipsa de thesauro Ecclesiae indulgentiam consequatur, quatenus Domini nostri Iesu Christi et beatissimae virginis Mariae ac beatorum Petri et Pauli apostolorum aliorumque sanctorum omnium meritis suffragantibus a Purgatorii poenis liberetur. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 20 augusti 1575, anno quarto.

308

Omnium saluti paterna charitate

Sec. Brev. 69 fol. 327v; 70 fol. 325v die 20 augusti 1575

ALTARE PRIVILEGIATUM PRO QUATTUOR ECCLESIIS IN PROVINCIIS TERRAE FIRMAE

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Omnium saluti paterna charitate intenti inter tam multa pietatis officia, quae nos pro munere nostro convenit exercere sacra interdum loca speciali privilegio insignimus ut inde fidelium defunctorum etc. saluti amplius consulatur. Quo circa ut quatuor Ecclesiae provinciae de terra firma nuncupatae ordinis praedicatorum in partibus del Peru et Carthaginen. Indiarum maris Oceani ad quas sicut accepimus dilectus filius Franciscus Moran dicti ordinis professor ac dictae provinciae procurator singularem gerit devotionis affectum, simili usque adhuc privilegio minime decoratae et sita in eis altaria hoc speciali dono illustrentur auctoritate nobis a Domino tradita concedimus ut quoties missae ad quatuor altaria in dictis quatuor Ecclesiis unum videlicet in qualibet Ecclesia per provincialem seu vicarium dictae provinciae nominandum celebrabuntur pro animabus quorumcumque fidelium quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, ipsae de thesauro Ecclesiae indulgentiam consequantur, quatenus Domini nostri Iesu Christi et beatissimae virginis Mariae ac beatorum Petri et Pauli aliorumque sanctorum omnium meritis suffragantibus a Purgatorii poenis liberentur. Datum Romae apud Sanctum Petrum die 20 augusti 1575, anno quarto.

309

Licet ex debito

Sec. Brev. 69 fol. 499v-501v; 70 fol. 494v-496v die 20 augusti 1575

INDULGENTIAE PRO HOSPITALI OPPIDI *XALATLACO*

Opera charitatis christifidelium, praesertim erga pauperes et infirmos, animos infidelium ad fidem catholicam amplectendam movent. Devotae personae propriis expensis et aliorum christifidelium eleemosynis hospitalia aedificarunt. Summus Pontifex omnibus qui infirmos hospitalis in oppido *Xalatlaco* dioecesis *México* visitant ac illis inserviunt et rectoribus atque ministris hospitalis indulgentias concedit, si in cappella hospitalis preces ad Deum effuderint, quoties id faciunt, in articulo mortis autem indulgentiam plenariam.

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Universis etc. Licet ex debito summi apostolatus officii nobis desuper iniuncti circa piorum locorum profectus nos doceat intentos existere, hospitalium tamen et ad illa confluentium ac in eis degentium pro tempore pauperum personarum omnium commodo et utilitati tanto nos potioribus studiis insistere convenit quanto ipsis pauperibus id conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque sicut exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus de Spinosa ordinis praedicatorum professor ac procurator provinciae Sancti Iacobi Novae Hispaniae Indiarum maris Oceani alias seu annis retroactis ad christifidelium notitiam, necnon divini numinis et fidei Catholicae et religionis christianae cooperante Altissimi bonitate, cognitionem et professionem reductarum in partibus predictarum Indiarum et provinciis Novae Hispaniae adhuc copiosissi-

mus infidelium numerus gregi Dominico sit aggregandus, nihilque existat quod eorum animos ita moveat et ad fidem Catholicam amplectendam religionemque christianam profitendam eos inducat quam christifidelium charitatis opera quibus ipsi maxime indigent. Hi enim qui totum fere mundum divitiis implent pauperrimi in charitatis et pietatis operibus, divinoque suffragio sunt, praecipue cum in infirmitatibus constituti extremas necessitates paterentur, multi enim in infidelitate, alii absque sacramentorum perceptione moriebantur, alii ecclesiastica sepultura caruere, alii siquidem neglecti in agris sepulti existunt et quod inhumanius erat nonnulli volucribus devorandi sunt relicti, quousque piae et devotae personae harum calamitatum misericordia commoti et devotione ducti propriis expensis ac aliorum christifidelium eleemosynis et suffragiis quaedam hospitalia cum ecclesiis seu cappellis, tam pro praefatorum infidelium, quam illorum noviter ad fidem et Ecclesiam Catholicam ac Christianam religionem conversorum curatione, institutione, defunctorumque sepultura aedificare coeperunt ubi in magno numero confluentes curantur et iisdem donec convalescunt necessaria ministrantur unde fideles gratia divina mediante liberati ad proprias domos redeuntes in fide et religione Catholica eo magis confirmantur; alii vero adhuc a tenebrarum caligine detenti beneficii recepti memores ad Christi fidem et illius professionem convertuntur et ad similia opera excitantur, ac ii qui in dictis hospitalibus moriuntur ante eorum obitum si appareat illos id divina illuminatione et ex spirituali affectu desiderare, ibidem baptizantur; aliis vero iam in fide instructi caetera Ecclesiae Sacramenta ministrantur et propter huiusmodi piorum operum exercitium quam plurimi tam fidelium quam infidelium etiam magnatuum ad similia et alia etiam maiora charitatis opera excitantur et adducuntur ac sacrosanctam Ecclesiam venerantur in ipsius fidei Catholicae non modicum augmentum, propterea, ut tam pia opera illis non solum manuteneantur, sed in dies benedicente et inspirante Domino magis accrescant, ipse Franciscus aliquem nostrum et Sedis Apostolicae favorem dictis piis operibus benigne praestari summopere desideret, utque ubi planctata sunt apostolicae benignitatis rore irrigata ab Altissimo incrementum suscipiant et iactis ex alto radicibus in Catholicae fidei petra consolidentur. Nos itaque pro nostri pastoralis officii debito et paterni amoris fervore praemissa charitatis et pietatis opera amplectentes et tam illa exercentes quam reliquos dictarum partium Indie christifideles ac alios ad cor reversos Christi fidem amplectentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui

singulis annis hospitale oppidi de Xalatlaco Mexican. dioc. dictarum partium in die ipsius invocationis a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei ipsosque infirmos illic pro tempore degentes charitative visitaverint et in cappella seu oratorio dicti hospitalis aut coram altare ipsius hospitalis pias ad Deum preces pro religionis christianae et Sedis Apostolicae felicis status conservatione et augmento dictarum partium et adhuc infidelium conversione, conversorumque perseverantiae et incremento in fide, ac dictorum infirmorum liberatione et salute et alias prout unicuique suggeret devotionis affectus effuderint quoties id fecerint, toties septem annos; illis vero qui in singulis diebus quadragesimae et omnibus sextis feriis totius anni praemissa egerint, quadraginta dies; praeterea singulis rectoribus, prioribus, ministris et servientibus in dicto hospitali quoties pro eo aut infirmis in eo existentibus aliquod pium opus sive obsequium exhibuerint, centum dies de iniunctis sibi poenitentiis auctoritate apostolica tenore presentium misericorditer in Domino relaxamus; denique omnibus et singulis tam infirmis quam rectoribus, prioribus et ministris ipsius hospitalis et ipsi hospitali deservientibus ac in eo decedentibus in mortis articulo Dominum nostrum Iesum Christum et illius auxilium corde, si voce non potuerint, invocantibus plenariam indulgentiam et remissionem omnium peccatorum suorum auctoritate et tenore predictis concedimus et elargimur praesentibus, quas sub quibusvis illarum aut similium vel dissimilium concessarum indulgentiarum et gratiarum revocationibus, suspensionibus, alterationibus, derogationibus vel aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos successoresque nostros, aut Sedem predictam etiam ex quavis causa et alias quomodolibet canonice vel de facto nunc et pro tempore factis et faciendis nullatenus comprehensas sed semper ab illis exceptas et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et de novo concessas existere, ac fore et censeri, ac eisdem christifidelibus suffragari debere decernimus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod earumdem presentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius in dignitate ecclesiastica constituti munitas eadem prorsus adhibeatur fides quae ipsis originalibus literis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 20 augusti 1575, anno quarto.

310

Licet ex debito

Sec. Brev. 69 fol. 503v-505v; 70 fol. 498v-500v die 20 augusti 1575

EAEDEM INDULGENTIAE PRO HOSPITALI CIVITATIS CARTHAGINENSIS

Gregorius XIII

Universis etc. Licet ex debito apostolatus officii nobis desuper iniuncti circa piorum locorum profectus nos doceat intentos existere hospitalium tamen et ad illa confluentium ac in eis degentium pro tempore pauperum personarum omnium commodo et utilitati tanto nos potioribus studiis insistere convenit, quanto ipsarum pauperum miserabili conditione pensata id conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque sicut exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Moran ordinis fratrum praedicatorum professor ac procurator provinciae terrae firmae in partibus del Perù et Carthaginen. Indiarum maris Oceani alias seu annis retroactis ad christifidelium notitiam, nec non divini numinis et fidei catholicae ac religionis christianae cooperante Altissimi bonitate cognitionem et professionem reductarum in partibus Indiarum dictarum et provinciis del Peru adhuc copiosissimus infidelium numerus gregi Dominico sit aggregandus, nihilque existat quod eorum animos ita moveat et ad fidem catholicam amplectendam, religionemque cristianam profitendam eos inducat quam christifidelium charitatis opera quibus ipsi maxime indigent; hi enim qui totum fere mundum divitiis implent pauperrimi in charitatis et pietatis operibus divinoque suffragio sunt, praecipue cum in in-

firmitatibus constituti gravissimas et extremas necessitates paterentur; multi enim in infidelitate alii absque divinorum sacramentorum administratione seu perceptione moriebantur, alii ecclesiastica sepultura caruere, alii siquidem neglecti in agris sepulti [existunt] et quod inhumanius erat nonnulli a volucribus devorandi sunt relicti, quousque piae et devotae personae harum calamitatum misericordia commotae et devotione ductae propriis et aliis christifidelium eleemosynis et suffragiis quaedam hospitalia cum ecclesiis seu cappellis tam pro praefatorum infidelium, quam illorum noviter ad fidem et Ecclesiam Catholicam ac christianam religionem conversorum curatione, institutione et confirmatione, defunctorumque sepultura aedificari coeperunt, ubi in magno numero confluentes curantur et eisdem donec convalescant necessaria ministrantur unde fideles, gratia divina mediante, liberati ad proprias domos redeuntes in fide et religione catholica eo magis confirmantur; alii vero a tenebrarum caligine detenti beneficii recepti memores ad Christi fidem et illius professionem convertuntur et ad similia opera excitantur, ac ii qui in dictis hospitalibus moriuntur ante eorum obitum si appareat illos id divina illuminatione et ex spirituali affectu desiderare, ibidem baptizantur; aliis vero iam in fide instructis coetera Ecclesiae Sacramenta ministrantur et propter huiusmodi piorum operum exercitium quam plurimi tam fidelium quam infidelium etiam magnatuum ad similia et alia etiam maiora charitatis opera excitantur et adducuntur, ac sacrosanctam ecclesiam venerantur in ipsius fidei catholicae non modicum augmentum; propterea ut tam pia opera illis non solum manuteneantur, sed in dies benedicente et inspirante Domino magis accrescant et augeantur, ipse Franciscus aliquem nostrum et Sedis Apostolicae favorem dictis piis operibus benigne praestare summopere desideret utque ubi plantata sunt apostolicae benignitatis rore irrigata ab Altissimo incrementum suscipiant et iactis ex alto radicibus in catholicae fidei petra consolidentur. Nos itaque pro nostri pastoralis officii debito et paterni amoris fervore praemissa charitatis et pietatis opera amplectentes et tam illa exercentes, quam reliquos dictarum partium Indie christifideles ac alios ad cor reversos Christi fidem amplectentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui singulis annis hospitale civitatis Carthaginen. dictarum partium in die ipsius invocationis a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei ipsosque infirmos illic pro tempore degentes charitative visitaverint et in cappella seu oratorio dicti hospitalis aut coram altare dicti hospitalis pias ad Deum preces pro religionis christianae et sedis Apostolicae felicis

status conservatione et augmento dictarum partium et adhuc infidelium conversione conversorumque perseverantia et incremento in fide, ac dictorum infirmorum liberatione et salute et alias prout unicuique suggeret devotionis affectus effuderint quoties id fecerint toties septem annos; illis vero qui in singulis diebus quadragesimae et omnibus sextis feriis totius anni praemissa egerint quadraginta dies; praeterea singulis rectoribus, procuratoribus, ministris et servientibus in dicto hospitali quoties pro eo aut infirmis in eo existentibus aliquod pium opus sive obsequium exhibuerint centum dies de iniunctis poenitentiis auctoritate apostolica tenore praesentium misericorditer in Domino relaxamus. Denique omnibus et singulis tam infirmis quam rectoribus, procuratoribus et ministris ipsius hospitalis et ipsi hospitali deservientibus in mortis articulo Dominum nostrum Iesum Christum et illius auxilium corde, si voce non potuerint, invocantibus plenariam indulgentiam et remissionem omnium peccatorum suorum auctoritate et tenore praesentium concedimus et elargimur praesentibus, quas sub quibuscumque illarum aut similium vel dissimilium concessarum indulgentiarum et gratiarum revocationibus, suspensionibus, alterationibus, derogationibus vel aliis contrariis dispositionibus etiam per nos successoresque nostros aut Sedem predictam etiam ex quavis causa et alias quomodolibet canonice vel de facto nunc et pro tempore factis et faciendis nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt toties in pristinum et validissimum statum restitutas et de novo concessas existere ac fore et censeri, ac eisdem infidelibus suffragari debere decernimus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius in dignitate ecclesiastica constituti munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae ipsis praesentibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 20 augusti 1575, anno quarto.

311

Licet ex debito

Sec. Brev. 69 fol. 505v-508v; 70 fol. 500v-503r die 20 augusti 1575

EAEDEM INDULGENTIAE PRO HOSPITALI
CIVITATIS *PANAMÁ*

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Universis etc. Licet ex debito summi apostolatus officii nobis desuper iniuncti circa piorum locorum profectus nos deceat intentos existere hospitalium tamen et ad illa confluentium ac in eis degentium pro tempore pauperum personarum omnium commodo et utilitati tanto nos potioribus studiis insistere convenit, quanto ipsis pauperibus id conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque sicut exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Moran ordinis fratrum praedicatorum professor ac procurator provinciae terrae firmae ex partibus del Peru et Chartaginen. Indiarum maris Oceani alias seu annis retroactis ad christifidelium notitiam necnon divini numinis et fidei catholicae et religionis christianae cooperante Altissimi bonitate cognitionem et professionem reductarum in partibus dictarum Indiarum et provinciis del Perù adhuc copiosissimus infidelium numerus gregi Dominico sit aggregandus, nihilque existat quod eorum animos ita moveat et ad fidem catholicam amplectendam religionemque christianam profitendam eos inducat, quam christifidelium charitatis opera quibus ipsi maxime indigent. Hi enim qui totum fere mundum divitiis implent, pauperrimi in charitatis et pietatis operibus divinoque suffragio sunt, precipue cum in infirmitatibus constituti extremas necessitates paterentur; multi enim in infidelitate, alii absque sacramentorum perceptione moriebantur, alii ec-

clesiastica sepultura caruere, alii siquidem neglecti et in agris sepulti existunt, et quod inhumanius erat nonnulli volucribus devorandi sunt relicti, quousque piae et devotae personae harum calamitatum misericordia commotae et devotione ductae propriis expensis et aliorum christifidelium eleemosynis et suffragiis quaedam hospitalia cum Ecclesiis seu cappellis tam pro praefatorum infidelium, quam illorum noviter ad fidem et Ecclesiam catholicam ac christianam religionem conversorum curatione, institutione et confirmatione, defunctorumque sepultura aedificari ceperunt, ubi in magno numero confluentes curantur et eisdem donec convalescant necessaria ministrantur, unde fideles, gratia divina mediante, liberati ad proprias domos redeuntes in fide et religione catholica eo magis confirmantur; alii vero adhuc a tenebrarum caligine detenti beneficii recepti memores ad Christi fidem et illius professionem convertuntur et ad similia opera excitantur, ac ii qui in dictis hospitalibus moriuntur ante eorum obitum, si appareat illos id divina illuminatione et ex spirituali affectu desiderare ibidem baptizantur; aliis vero iam in fide instructis caetera ecclesiastica Sacramenta ministrantur et propterea huiusmodi piorum operum exercitium quam plurimi tam fidelium, quam infidelium etiam magnatuum ad similia vel alia etiam maiora charitatis opera excitantur et adducuntur, ac sacrosanctam Ecclesiam venerantur in ipsius fidei catholicae non modicum augmentum; propterea ut tam pia opera illis non solum manuteneantur, sed in dies benedicente et inspirante Domino magis accrescant et augeantur, ipse Franciscus aliquem nostrum et dictae Sedis favorem dictis piis operibus benigne praestare summopere desideret, utque ubi plantata sunt apostolicae benignitatis rore irrigata ab Altissimo incrementum suscipiant et iactis ex alto radicibus in catholicae fidei petra consolidentur. Nos itaque pro nostri pastoralis officii debito et paterni amoris fervore praemissa charitatis et pietatis opera amplectentes et tam illa exercentes, quam reliquos dictarum partium Indie christifideles aut alios ad cor reversos Christi fidem amplectentes, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus poenitentibus et confessis, qui singulis annis hospitale civitatis de Panama dictarum partium in die ipsius invocationis a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei ipsosque infirmos illic pro tempore degentes charitative visitaverint, et in cappella seu oratorio dicti hospitalis pias ad Deum preces pro religionis christianae et Sedis Apostolicae felicis status conservatione et augmento dictarum partium et adhuc infidelium conversione, conversorumque perseverantia et incremento in fide, ac dictorum infirmorum liberatione et

salute et alias prout unicuique suggeret devotionis affectus effuderint, quoties id fecerint, toties septem annos; illis vero qui in singulis diebus quadragesimae et omnibus sextis feriis totius anni praemissa egerint, quadraginta dies; praeterea singulis rectoribus, procuratoribus, ministris et servientibus in dicto hospitali quoties pro eo aut infirmis in eo existentibus aliquod pium opus sive obsequium exhibuerint, centum dies de iniunctis sibi poenitentiis auctoritate apostolica tenore praesentium misericorditer in Domino relaxamus. Denique omnibus et singulis tam infirmis quam rectoribus, procuratoribus et ministris ipsius hospitalis deservientibus ac in eo decedentibus in mortis articulo Dominum nostrum Iesum Christum et illius auxilium corde, si voce non potuerint, invocantibus plenariam indulgentiam et remissionem omnium peccatorum suorum auctoritate et tenore supradictis concedimus et elargimur praesentibus, quas sub quibusvis illarum aut similium vel dissimilium concessionum, indulgentiarum et gratiarum revocationibus, suspensionibus, alterationibus, derogationibus vel aliis contrariis dispositionibus etiam per nos successoresque nostros, aut Sedem praefatam etiam ex quavis causa et alias quomodolibet canonice vel de facto nunc et pro tempore factis et faciendis nullatenus comprehensas sed semper ab illis exceptas et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et de novo concessas existere ac fore et censeri, ac eisdem christifidelibus suffragari debere decernimus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius in dignitate ecclesiastica constituti munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 20 augusti 1575, anno quarto.

312

Licet ex debito

Sec. Brev. 69 fol. 512r-513v; 70 fol. 507r-508v — die 20 augusti 1575

EAEDEM INDULGENTIAE PRO HOSPITALI OPPIDI *TAPETACTOE*

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Univeris etc. Licet ex debito summi apostolatus officii nobis desuper iniuncti circa piorum locorum profectus nos doceat intentos existere, hospitalium tamen et ad illa confluentium ac in eis degentium pro tempore pauperum personarum omnium commodo et utilitati tanto nos potioribus studiis insistere convenit, quanto ipsis pauperibus id conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque sicut exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus de Spinosa ordinis fratrum praedicatorum professor et procurator provinciae Sancti Iacobi Novae Hispaniae Indiarum maris Oceani alias seu annis retroactis ad christifidelium notitiam necnon divini numinis et fidei catholicae et religionis christianae cooperante Altissimi bonitate cognitionem et professionem reductarum in partibus dictarum Indiarum et provinciis Novae Hispaniae adhuc copiosissimus infidelium numerus gregi Dominico sit aggregandus, nihilque existat quod eorum animos ita moveat et ad fidem catholicam amplectendam religionemque christianam profitendam eos inducat, quam christifidelium charitatis opera quibus ipsi maxime indigent. Hi enim qui totum fere mundum divitiis implent, pauperrimi in charitatis et pietatis operibus divinoque suffragio sunt, precipue cum in infirmitatibus constituti necessitates extremas paterentur; multi enim in infidelitate alii absque sacramentorum perceptione moriebantur, alii ecclesiastica sepultura caruere, alii siquidem neglecti et in agris sepulti existunt, et quod inhumanius erat nonnulli volucribus devorandi sunt relicti, quousque piae et devotae personae harum calamitatum misericordia commotae et devotione ductae propriis expensis et aliorum christifidelium eleemosynis et suffragiis quaedam hospitalia cum Ecclesiis seu cappellis tam pro praefatorum infidelium, quam illorum noviter ad fidem et Ecclesiam catholicam ac christianam religionem conversorum curatione, institutione et confirmatione, defunctorumque sepultura aedificare ceperunt, ubi in magno numero confluentes curantur et eisdem donec convalescant necessaria ministrantur, unde fideles, gratia divina mediante, liberati ad proprias domos redeuntes in fide et religione catholica eo magis confirmantur; alii vero adhuc a tenebrarum caligine detenti beneficii recepti memores ad Christi fidem et illius professionem convertuntur et ad similia opera excitan-

tur, ac ii qui in dictis hospitalibus moriuntur ante eorum obitum, si appareat illos id divina illuminatione et ex speciali affectu desiderare ibidem baptizantur; aliis vero iam in fidem instructis caetera ecclesiastica Sacramenta ministrantur et propterea huiusmodi piorum operum excercitium quam plurimi tam fidelium quam infidelium etiam magnatuum ad similia vel alia etiam maiora charitatis opera excitantur et adducuntur, ac sacrosanctam Ecclesiam venerantur in ipsius fidei Catholicae non modicum augmentum; propterea ut tam pia opera illis non solum manuteneantur, sed in dies benedicente et inspirante Domino magis accrescant et augeantur, ipse Franciscus aliquem nostrum et Sedis Apostolicae favorem dictis piis operibus benigne praestare summopere desideret, utque ubi plantata sunt apostolicae benignitatis rore irrigata ab Altissimo incrementum suscipiant et iactis ex alto radicibus in catholicae fidei petra consolidentur. Nos itaque pro nostri pastoralis officii debito et paterni amoris fervore praemissa charitatis et pietatis opera amplectentes et tam illa exercentes, quam reliquos dictarum partium Indie christifideles aut alios ad cor reversos Christi fidem amplectentes, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus poenitentibus et confessis, qui singulis annis hospitale oppidi de Tapetactoe Mexican. diocesis dictarum partium in die ipsius invocationis a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei ipsosque infirmos illic pro tempore degentes charitative visitaverint, et in cappella seu oratorio dicti hospitalis aut coram altare ipsius hospitalis pias ad Deum preces pro religionis christianae et Sedis Apostolicae felicis status conservatione et augmento dictarum partium et adhuc infidelium conversione, conversorumque perseverantia et incremento in fide, ac dictorum infirmorum liberatione et salute et alias prout unicuique suggeret devotionis affectus effuderint quoties id fecerint, toties septem annos; illis vero qui in singulis diebus quadragesimae et omnibus sextis feriis totius anni praemissa egerint, quadraginta dies; praeterea singulis rectoribus, procuratoribus, ministris et servientibus in dicto hospitali quoties pro eo aut infirmis in eo existentibus aliquod pium opus sive obsequium exhibuerint, centum dies de iniunctis sibi poenitentiis auctoritate apostolica tenore praesentium misericorditer in Domino relaxamus. Denique omnibus et singulis tam infirmis quam rectoribus, procuratoribus et ministris ipsius hospitalis et ipsi hospitali deservientibus ac in eo decedentibus in mortis articulo Dominum nostrum Iesum Christum et illius auxilium corde, si voce non potuerint, invocantibus plenariam indulgentiam et remissionem omnium peccatorum suorum auctoritate et tenore praemissis concedi-

mus et elargimur praesentibus, quas sub quibusvis illarum aut similium aut dissimilium concessionum, indulgentiarum et gratiarum revocationibus, suspensionibus, alterationibus, derogationibus vel aliis contrariis dispositionibus etiam per nos successoresque nostros, aut Sedem praefatam et ex quavis causa et alias quomodolibet canonice vel de facto nunc et pro tempore factis et faciendis nullatenus comprehensas sed semper ab illis exceptas et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et de novo concessas existere ac fore et censeri, ac eisdem christifidelibus suffragari debere decernimus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius in dignitate ecclesiastica constituti munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 20 augusti 1575 anno quarto.

313

Licet ex debito

Sec. Brev. 69 fol. 508v-509v; 70 fol. 503v-504v [die 20 augusti 1575]

EAEDEM INDULGENTIAE PRO HOSPITALI
OPPIDI DE *NATA*

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Universis christifidelibus etc. Licet ex debito summi apostolatus officii nobis desuper iniuncti circa piorum locorum profectus nos doceat intentos existere, hospitalium tamen et ad illa confluentium ac in eis degentium pro tempore pauperum personarum omnium commodo et utilitati tanto nos potioribus

studiis insistere convenit, quanto ipsorum pauperum miserabili conditione pensata id conspicimus in Domino saubriter expedire. Cum itaque sicut exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Moran ordinis fratrum praedicatorum professor ac procurator provinciae terrae firmae in partibus del Perù et Carthaginen. Indiarum maris Oceani alias seu annis retroactis ad christifidelium notitiam, nec non divini numinis et fidei catholicae et religionis christianae cooperante Altissimi bonitate cognitionem et professionem reductarum in partibus dictarum Indiarum et provinciis del Perù adhuc copiosissimus infidelium numerus gregi Dominico sit aggregandus, nihilque existat quod eorum animos ita moveat et ad fidem catholicam amplectendam, religionemque christianam profitendam eos inducat, quam christifidelium charitatis opera quibus ipsi maxime indigent. Hi enim qui totum fere mundum divitiis implent pauperrimi in charitatis et pietatis operibus divinoque suffragio sunt praecipue cum in infirmitatibus constituti gravissimas et extremas necessitates paterentur, multi enim miseri in sua infidelitate, alii absque divinorum sacramentorum administratione seu perceptione moriebantur, alii ecclesiastica sepultura carere, alii siquidem neglecti in agris sepulti existunt et quod inhumanius nonnulli volucribus devorandi sunt relicti, quousque piae ac devotae personae harum calamitatum misericordia commotae et devotione ductae propriis expensis et aliorum christifidelium eleemosynis et suffragiis quaedam hospitalia cum Ecclesiis seu cappellis tam pro praefatorum infidelium, quam illorum noviter ad fidem et Ecclesiam catholicam ac christianam religionem conversorum curatione, institutione et confirmatione, defunctorumque sepultura aedificari ceperunt, ubi in magno numero confluentes curantur et eisdem donec convalescant necessaria ministrantur, unde fideles, gratia divina mediante liberati, ad proprias domos redeuntes in fide et religione catholica eo magis confirmantur; alii vero adhuc a tenebrarum caligine detenti beneficii recepti memores ad Christi fidem et illius professionem convertuntur et ad similia opera excitantur, ac ii qui in dictis hospitalibus moriuntur ante eorum obitum si appareat illos id divina illuminatione et ex spirituali affectu desiderare ibidem baptizantur; aliis vero iam in fidem instructis caetera Ecclesiae Sacramenta ministrantur et propter huiusmodi piorum operum exercitium quam plurimi tam fidelium, quam infidelium etiam magnatuum ac similia et alia etiam maiora charitatis opera excitantur et adducuntur ac Sacrosanctam Ecclesiam venerantur in ipsius fi[...].

314

Licet ex debito

Sec. Brev. 69 fol. 510v-512r; 70 fol. 505v-507r die 20 augusti 1575

EAEDEM INDULGENTIAE PRO HOSPITALI
OPPIDI CIVITATIS NOMINIS DEI
IN PARTIBUS INDIARUM DEL *PERÚ* ET CARTHAGINEN.

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Universis christifidelibus presentes literas inspecturis salutem etc. Licet ex debito summi apostolatus officii nobis desuper iniuncti circa piorum locorum profectus nos doceat existere, hospitalium tamen et ad illa confluentium ac in eis degentium pro tempore pauperum personarum omnium commodo et utilitati tanto nos potioribus studiis insistere convenit, quanto ipsorum pauperum miserabili conditione pensata id conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque sicut exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Moran ordinis fratrum praedicatorum professor ac procurator provinciae terrae firmae in partibus Indiarum del Peru et Carthaginen. Indiarum maris Oceani alias seu annis retroactis ad christifidelium notitiam, nec non divini numinis et fidei catholicae ac religionis christianae cooperante Altissimi bonitate cognitionem et professionem reductarum in partibus dictarum Indiarum et provinciis del Peru adhuc copiosissimus infidelium numerus gregi Dominico sit aggregandus, nihilque existat, quod eorum animos ita moveat et ad fidem catholicam amplectendam, religionemque christianam profitendam eos inducat, quam christifidelium charitatis opera quibus ipsi maxime indigent. Hi enim qui totum fere mundum divitiis implent pauperrimi in charitatis et pietatis operibus, divinoque suffragio sunt,

praecipue cum in infirmitatibus constituti gravissimas et extremas necessitates paterentur, multi enim miseri in sua infidelitate, alii absque divinorum sacramentorum administratione seu perceptione moriebantur, alii ecclesiastica sepultura caruere, alii siquidem neglecti in agris sepulti existunt et quod inhumanius nonnulli volucribus devorandi sunt relicti, quousque piae et devotae personae harum calamitatum misericordia commotae et devotione ductae propriis expensis et aliorum christifidelium eleemosynis et suffragiis quaedam hospitalia cum Ecclesiis seu cappellis tam pro predictorum infidelium, quam illorum noviter ad fidem et Ecclesiam catholicam ac christianam religionem conversorum curatione, institutione et confirmatione, defunctorumque sepultura aedificare ceperunt ubi in magno numero confluentes curantur et eisdem donec convalescant necessaria ministrantur, unde fideles gratia divina mediante liberati ad proprias domos redeuntes in fide et religione catholica eo magis confirmantur; alii vero adhuc a tenebrarum caligine detenti beneficii recepti memores ad Christi fidem et illius professionem convertuntur et ad similia opera excitantur, ac ii qui in dictis hospitalibus moriuntur ante eorum obitum si appareat illos id divina illuminatione et ex spirituali affectu desiderare ibidem baptizantur, aliis vero iam in fide instructis caetera ecclesiastica Sacramenta ministrantur, et propter huiusmodi piorum operum exercitium tam fidelium quam infidelium etiam magnatuum ad similia et alia etiam maiora charitatis opera excitantur et adducuntur ac Sacrosanctam Ecclesiam venerantur in ipsius fidei catholicae non modicum augmentum; propterea ut tam pia opera illis non solum manuteneantur, sed in dies benedicente et inspirante Domino magis accrescant et augeantur, ipse Franciscus aliquem nostrum et Sedis Apostolicae favorem dictis piis operibus benigne praestari summopere desideret ut quae ibi plantata sunt apostolicae benignitatis rore irrigata ab Altissimo incrementum suscipiant et iactis ex alto radicibus in catholicae fidei petra consolidentur. Nos itaque pro nostri pastoralis officii debito et paterni amoris fervore praemissa charitatis et pietatis opera amplectentes et tam illa exercentes, quam reliquos dictarum partium Indie christifideles ac alios ad cor reversos Christi fidem amplectentes spiritualibus favoribus et gratiis prosequi volentes de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui singulis annis hospitale oppidi civitatis nuncupati Nominis Dei dictarum partium in die ipsius invocationis a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei, ipsosque infirmos illic pro tempore degentes charitative visitaverint et in cappella seu oratorio dicti hospitalis aut coram altare ipsius hospitalis pias ad

Deum preces pro religionis christianae et Sedis Apostolicae foelicis status conservatione et augmento dictarum partium et adhuc infidelium conversione conversorumque perseverantia et incremento in fide, ac dictorum infirmorum liberatione et salute et alias prout unicuique suggeret devotionis affectus effuderint, quoties id fecerint, toties septem annos; illis vero qui in singulis diebus quadragesimae et omnibus sextis feriis totius anni praemissa egerint quadraginta dies. Propterea singulis rectoribus, procuratoribus, ministris et servientibus in dicto hospitali quoties pro eo aut infirmis in eo existentibus aliquod pium opus sive obsequium exhibuerint, centum dies de iniunctis sibi poenitentiis auctoritate apostolica tenore praesentium misericorditer in Domino relaxamus. Denique omnibus et singulis tam infirmis quam rectoribus, procuratoribus et ministris ipsius hospitalis et ipso hospitali deservientibus ac in eo decedentibus in mortis articulo Dominum nostrum Iesum Christum et illius auxilium corde, si ore non potuerint, invocantibus plenariam indulgentiam et remissionem omnium peccatorum suorum auctoritate et tenore praemissis concedimus et elargimur praesentibus, quas sub quibusvis illarum aut similium vel dissimilium concessionum indulgentiarum et gratiarum revocationibus, suspensionibus, alterationibus, derogationibus vel aliis contrariis dispositionibus etiam per nos successoresque nostros aut Sedem predictam etiam ex quavis causa et alias quomodolibet canonice vel de facto nunc et pro tempore factis et faciendis nullatenus comprehensas sed semper ab illis exceptas; et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et de novo concessas existere et fore et censeri, ac eisdem christifidelibus suffragari debere decernimus praesentibus futuris temporibus valituris. Volumus autem quod earumdem presentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius in dignitate ecclesiastica constituti munitis, eadem prorsus fide adhibeatur quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 20 augusti 1576, anno quarto.

315

Super gregem dominicum

Sec. Brev. 69 fol. 501v-502r; 70 fol. 496v-497r — die 20 augusti 1575

INDULGENTIA PLENARIA PRO ECCLESIA UBI RELIQUIAE MONASTERII TRIUM FONTIUM COLLOCANTUR

Gregorius XIII

Universis etc. Super gregem dominicum curae nostrae divinitus creditum intenti Pastoris exercentes officium singulos fideles quorum merita pro demeritis sunt imparia ad venerandas reliquias sanctorum indulgentiis et peccatorum remissionibus libenter invitamus ut christifideles ipsi eorumdem sanctorum suffulti suffragiis potiora in coelis retributionis praemia valeant promereri. Cum itaque sicut accepimus dilectus filius Franciscus Moran ordinis fratrum praedicatorum professus et provinciae terrae firmae in partibus del Perù et Carthaginen. Indiarum maris Oceani procurator, nonnullas reliquias a monasterio Trium Fontium prope et extra muros Urbis de nostra et inibi praesidentium licentia extraxerit, illasque ad Indiarum et alias partes per se vel alium seu alios asportare, nos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui in die dicta Ecclesiam seu cappellam Dedicationis, ubi huiusmodi reliquiae collocantur, visitaverint et ibi pias ad Deum preces pro Ecclesia sua sancta ac pace seu unione inter principes christianos conservanda, haeresum extirpatione et Sanctae Sedis Apostolicae exaltatione, infidelium conversione effuderint, auctoritate et tenore predictis plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus praesentibus ad viginti quinque annos dumtaxat duraturis. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XX augusti MDLXXV, anno quarto.

316

Dum praecelsa meritorum

Sec. Brev. 69 fol. 502r-503r; 70 fol. 497rv — die 20 augusti 1575

INDULGENTIA PLENARIA PRO ECCLESIA MONASTERII MONIALIUM SUB INVOCATIONE REGINAE ORDINIS CONCEPTIONIS IN CIVITATE *MÉXICO*

Gregorius XIII

Universis etc. Dum praecelsa meritorum insignia quibus Regina coelorum virgo Maria Dei genitrix Sedibus praelata sidereis quasi stella matutina praerutilat devotae considerationis indagine perscrutantur, quod ipsa utpote mater misericordiae et pietatis amica humani generis consolatrix pro salute fidelium qui delictorum onere gravantur, sedula exoratrix ad Regem quem genuit intercedit, dignum quin potius debitum reputamus ut Ecclesias ad earumdem sui nominis dedicatas indulgentiarum muneribus decoremus. Cupientes igitur ut Ecclesia monasterii monialium sub invocatione Reginae ordinis Conceptionis civitatis Mexican. provinciae Novae Hispaniae Indiarum maris Oceani ad quam sicut accepimus dilectus filius Franciscus de Spinosa ordinis fratrum praedicatorum professor et provinciae Sancti Iacobi dictarum partium procurator singularem gerit devotionis affectum in debita veneratione habeatur et a christifidelibus congruis frequentetur honoribus ipsisque christifidelis eo libentius devotionis causa ad illam confluant quo ex hoc dono coelestis dono gratiae uberius conspexerint se esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui singulis annis dictam Ecclesiam in festivitate Assumptionis beatae Mariae virginis a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem festi inclusive devote visitaverint et ibi ad Deum preces pro Sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione, haeresumque extirpatione ac mutua inter principes christianos conservanda pace et Indorum ad fidem catholicam conversionem devote effuderint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate apostolica tenore presentium misericorditer in Domino concedimus. Non obstantibus cancellariae apostolicae regulis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque presentibus ad viginti annos dumtaxat duraturis. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XX augusti MDLXXV, anno quarto.

317

Considerantes humana merita

Sec. Brev. 69 fol. 503r; 70 fol. 498r — die 20 augusti 1575

INDULGENTIA PLENARIA PRO ECCLESIA DOMUS FRATRUM PRAEDICATORUM

Gregorius XIII

Universis etc. Considerantes humana merita ad salutem aeternam consequendam esse penitus imparia fideles quoslibet ad visitandum Ecclesias et alia pia loca spiritualibus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus libenter inducimus ut per hoc et aliarum sanctarum operationum exercitium consensus valeant feliciter adipisci. De igitur omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus qui Ecclesiam domus fratrum praedicatorum provinciae noviter erectae de terra firma nuncupata in partibus del Peru et Carthaginen. Indiarum maris Oceani per dilectum filium provincialem seu vicarium dictae provinciae nominandam et in die quo [...] dictae provinciae adepta fuerit singulis annis devote visitaverint et ibi pro aliorum Indorum ad Christi fidem conversione sanctaeque matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem apostolica auctoritate tenore presentium misericorditer concedimus presentibus ad viginti annos dumtaxat duraturis. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XX augusti 1575, anno quarto.

318

Oblatae nobis nuper

Sec. Brev. 107 fol. 118v-119r die 1 septembris 1575

DISPENSATIO IN PRIMO ET SECUNDO CONSANGUINITATIS GRADU

Gregorius XIII

Dilecto filio Oduardo Conçalves Porta laico Ulixbonen. civitatis seu Pirtalegren. diocesis et dilectae in Christo filiae Catherinae Pimentel mulieri Goan. in partibus Indiarum Occidentalium oriundis residentiae.

Dilecte fili et dilecta in Christo filia salutem etc. Oblatae nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat, quod alias vos scientes vos primo et secundo consanguinitatis gradibus invicem esse coniunctos ex eo proveniente, quod dilecta in Christo filia Philippa Gomez mater tua filia Catherina soror tua germana fili Oduarde existit, matrimonium inter vos per verba de praesenti clandestine ante kalendas mensis maii 1564 in partibus Indiarum Occidentalium contraxistis, carnali copula subsecuta. Cum autem in huiusmodi matrimonio remanere non possitis absque Sedis Apostolicae dispensatione, et sicut eadem petitio subiungebat, si divortium fieret inter vos gravia exinde scandala possent verisimiliter exoriri, tuque filia Catherina perpetuo diffamata remaneres pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum quatenus vobis in praemissis de absolutionis beneficio et opportunae dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui scandalis ne eveniant quantum cum Deo possumus libenter obviamus vos et vestrum quemlibet a quibusvis excommunicationis etc. praeterquem praemissorum occasione censentes,

huiusmodi supplicationibus inclinati, vos et vestrum quemlibet a generali excommunicationis aliisque quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quas propter praemissa quomodolibet incurristis incestus reatu et excessibus huiusmodi in utroque foro Apostolica auctoritate tenore praesentium absolvimus penitus et liberamus, ac vobiscum ut impedimento primi et secundi consanguinitatis graduum huiusmodi, ac constitutionibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque nequaquam obstantibus, matrimonium inter vos publice servata forma Concilii Tridentini de novo contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite valeatis dummodo tu dilecta filia Catherina propter hoc rapta non fueris, auctoritate et tenore praedictis de specialis dono gratiae dispensamus prolem susceptam si qua sit et suscipiendam exinde legitimam decernentes. Quo circa dilectis filiis causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori et thesaurario Ecclesiae Lamacen. ac Alfonso Gonsalves canonico Ulixbonen. per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium, seu alios vobis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant vos praemissis omnibus et singulis iuxta praesentium continentiam et tenorem pacifice frui et gaudere non permittentes vos vel quemlibet vestrum a quoquam quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles et praemissis non parentes per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia appellatione postposita compescendo invocato etc. ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Volumus autem quod poenitentiam per confessorem, quem ex approbatis ab ordinario elegeritis iniungendam adimplere omnino teneamini alioquin praesentes literae quoad forum conscientiae nullae sint. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die prima septembris 1575, anno quarto.

319

Exponi nobis nuper

Sec. Brev. 38 fol. 24v-25r — die 25 ianuarii 1576

FACULTAS DISPENSANDI SUPER DEFECTU NATALIUM

Didacus Garzia propter defectum natalium sacerdos ordinari non potest sine dispensatione Summi Pontificis, qui supplicationibus Didaci inclinans episcopo civitatis Sancti Iacobi *Remo de Chile* facultatem impertitur, ut Didacum, si ad id idoneus repertus fuerit, auctoritate apostolica super defectu natalium dispensare et ad omnes ordines sacros promovere valeat.

Gregorius XIII

Venerabili fratri episcopo [1] Sancti Iacobi Remo de Chile Indiarum Occidentalium.

Venerabilis frater salutem etc. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Didacus Garzia incola civitatis Sancti Iacobi Remo regni de Chile Indiarum occidentalium, quod ipse zelo devotionis accensus ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri et in illis promotus, etiam in altaris ministerio ministrare desiderat, sed quia defectum natalium ex dilecto filio Didaco de Cacerez soluto seu coniugato et soluta seu coniugata genitus vel alias patitur, desiderium suum hac in parte adimplere non potest absque Sedis Apostolicae dispensatione. Quare pro parte dicti Didaci Garzia nobis fuit humiliter supplicatum quatenus suo pio desiderio in praemissis opportune annuere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Didacum Garziam qui ut asserit idioma illarum partium callet a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae de qua in his et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus per praesentes committimus et mandamus quatenus cum eodem Didaco Garzia si a te ad id idoneus repertus fuerit, ut ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri et in illis promotus etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeat auctoritate nostra dispenses. Non obstantibus defectu praedicto ac Pictaviensis Concilii et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 25 ianuarii 1576, anno quarto.

---

[1] Didacus de Medellin, OFM. Cfr. infra doc. 404.

320

Nuper ad nos

Sec. Brev. 38 fol. 25v-26r die 25 ianuarii 1576
Hernáez I 222-223

FACULTAS DISPENSANDI DE ILLEGITIMITATE

Propter magnam sacerdotum qui idioma Indorum sciant inopiam, verbum Dei cum interpretibus annuntiatur. Numerus sacerdotum augmentari posset, si filii spurii et illegitimi ex Hispanis et Indis ac ex Hispanis tantum genitis ad sacros ordines admitterentur. Summus Pontifex ideoque episcopis in partibus Indiarum Occidentalium facultatem concedit dispensandi de impedimento illegitimitatis et promovendi ad sacros ordines filios spurios, dummodo idonei sint et idioma Indorum loqui et intelligere possint.

Gregorius XIII

Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis partium Indiarum occidentalium.

Venerabiles fratres salutem etc. Nuper ad nos perlatum est maximam sacerdotum seu presbyterorum qui idioma Indorum sciant penuriam in illis partibus existere et communiter verbum Dei cum interpretibus ipsis Indis annunciandum esse, propter quod verbum Dei non modicum patitur detrimentum, ac Indi predicti peccata sua confiteri non valent; quod si cum filiis ex Hispanis et Indis ac ex Hispanis tantum in illis partibus commorantibus spuriis et illegitime genitis, aut quemlibet alium defectum patientibus nunc et pro tempore existentibus apostolica auctoritate dispensaretur, ut defectibus huiusmodi non obstantibus ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri possent, verbum ipsum magnum susciperet incrementum ac saluti

animarum Indorum predictorum plurimum consultum foret. Nos igitur praemissis causis adducti, fraternitati vestrae et vestrum unicuique quatenus unusquisque vestrum consideratis prius diligenter circumstantiis universis quae circa idoneitatem promovendorum fuerint ostendendae cum praedictis defectum, ut praefertur, patientibus, diocesanis scilicet vestris, si alias idonei et iuxta decreta concilii Tridentini qualificati fuerint, et idioma loqui et intelligere sciverint, super quibus conscientiam vestram oneramus ut clericali charactere insigniri et ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri et in illis sic promoti etiam in altaris ministerio ministrare, ac verbum Dei praedicare et confessiones audire possint, gratis dispensare valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium facultatem concedimus. Non obstantibus natalium et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod praesentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 25 ianuarii 1576, anno quarto.

321

Nuper exponi nobis

Sec. Brev. 38 fol. 37r-38r — die 25 ianuarii 1576

FACULTAS ERIGENDI CONFRATERNITATEM

Fratres Ordinis Praedicatorum in portu maris *Buenaguija* dioecesis Civitatis Regum (*Lima*) domum et ecclesiam fundaverunt. Nautae illius portus desiderant, ut in dicta ecclesia confraternitas sub invocatione sancti Helmi instituatur. Summus Pontifex facultatem impertitur erigendi huiusmodi confraternitatem, quae guardiano seu praelato dictae domus subiecta existat et ab Ordinario loci visitetur. Sodalibus confraternitatis et christifidelibus diversas in-

dulgentias concedit sub consuetis condicionibus, si insuper rosarium Beatae Mariae Virginis pro conversione Indorum et conservatione pacis inter principes christianos recitaverint.

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Nuper exponi nobis fecit dilectus filius Petrus de la Serra professor Ordinis fratrum Praedicatorum provinciae Sancti Ioannis Baptistae del Peru Indiarum occidentalium, quod domus Beatae Mariae de Buenaguija nuncupata dicti Ordinis diocesis Civitatis Regum noviter in portu maris construi coepta existit, ac fratres ipsius domus in praedicatione verbi Dei magnos sustinent labores et nautae illius portus propter devotionis affectum quem erga Sanctum Helmum gerunt, desiderant quamdam confraternitatem sub invocatione dicti Sancti Helmi in dicta ecclesia erigi et institui. Quare pro parte eiusdem Petri nobis fuit humiliter supplicatum quatenus nautarum praedictorum pio desiderio in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur supplicationibus dicti Petri hac in parte inclinati fratribus dictae domus confraternitatem sub invocatione eiusdem Sancti Helmi, quae guardiano seu praelato dictae domus subiecta existat, ab ordinario tamen visitetur instituendi licentiam et facultatem apostolica auctoritate tenore praesentium impartimur, ut autem dicta ecclesia in debita veneratione habeatur et ad dictam ecclesiam christifideles eo libentius devotionis causa confluant, quo exinde dono celestis gratiae uberius conspexerint se esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac communicatis, qui ecclesiam praedictam in singulis festivitatibus eiusdem beatae Mariae virginis devote visitaverint et inibi rosarium sive coronam eiusdem beatae Mariae virginis pro conversione Indorum ad fidem catholicam et conservatione pacis inter Principes christianos recitaverint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concedimus quam quidem indulgentiam animabus defunctorum, quae Dei in charitate coniunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii prodesse volumus; nec non iis qui dictam confraternitatem postquam erecta et instituta fuerit ingredientur in die primi illorum ingressus dummodo confessi et communicati fuerint respective plenariam pariter indulgentiam elargimur, nec non auctoritate nobis a Domino tradita concedimus ut quoties missa ad

unum altare eiusdem Ecclesiae per vicarium dicti conventus semel tantum eligendum celebrabitur pro anima cuiuscumque fidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ipsa de thesauro Ecclesiae indulgentiam consequatur quatenus Domini nostri Iesu Christi et beatissimae virginis Mariae, beatorum Petri et Pauli praedictorum, aliorumque sanctorum omnium meritis suffragantibus a Purgatorii poenis liberetur praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis etc. impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem ubique fides adhibeatur quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 25 ianuarii 1576, anno quarto.

322

Super gregem dominicum

Sec. Brev. 69 fol. 521rv; 70 fol. 516rv — die 25 ianuarii 1576

INDULGENTIA PLENARIA

In diebus festivis sancti Pauli pro visitantibus ecclesiam monasterii sancti Pauli de *Arequipa,* et pro conversione Indorum coronam B.M.V. recitantibus.

Gregorius XIII

Universis etc. Super gregem Dominicum curae nostrae divinitus creditum prout nobis desuper ex alto conceditur intenti pastoris exercentes officium singulos christifideles quorum merita pro demeritis sunt imparia ad Ecclesias in honorem sanctorum dedicatas debite venerandas, ac ipsorum sanctorum solemnia devote celebranda spiritua-

libus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus libenter invitamus, ut christifideles ipsi eorumdem sanctorum suffulti suffragiis potiora in coelis retributionis praemia valeant promerere. Cupientes igitur ut Ecclesia monasterii seu conventus Sancti Pauli de Arequipa ordinis fratrum praedicatorum, Cuzchen. diocesis, in partibus Indiarum occidentalium ad quam sicut accepimus dilectus filius Petrus de la Serra eiusdem ordinis professus singularem gerit devotionis affectum in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus, ipsique christifideles eo libentius devotionis causa ad eamdem Ecclesiam confluant, quo ex hoc dono coelestis gratiae uberius se conspexerint esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac communicatis qui dictam Ecclesiam in festivitatibus commemorationis ac conversionis Sancti Pauli apostoli a primis vesperis cuiuslibet festivitatis usque ad occasum solis eiusdem festi inclusive devote visitaverint et inibi Rosarium seu coronam beatae Mariae virginis pro conversione Indorum ad fidem catholicam semel recitaverint, quoties id fecerint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate apostolica tenore presentium misericorditer in Domino concedimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod presentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsis presentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XXV ianuarii 1576, anno quarto.

323

Salutem cunctarum animarum

Sec. Brev. 69 fol. 521v-522; 70 fol. 516v-517r — die 25 ianuarii 1576

INDULGENTIA PLENARIA

Pro visitantibus ecclesiam confraternitatis Sanctissimi Sacramenti ibique pro Indorum conversione precantibus, necnon pro religiosis verbum Dei Indis lingua eorum praedicantibus.

Gregorius XIII

Universis etc. Salutem cunctarum animarum pastorali sollicitudine cupientes omnes quas possumus exquirimus vias ut veritatis semitas investigamus, per quas haereditatem Domini nostri Iesu Christi ut populum fidelem dirigere valeamus et consumato nostrae mortalitatis cursu fideles ipsi spe, fide et charitate muniti ad coelestia gaudia valeant foeliciter pervenire. Cum itaque sicut accepimus confraternitas sub invocatione Sanctissimi Sacramenti in aliquibus Ecclesiis domorum ordinis fratrum praedicatorum in partibus Indiarum occidentalium apostolica auctoritate instituta reperitur et ut christifideles ad Ecclesias ubi confraternitas huiusmodi instituta fuerit eo libentius devotionis causa confluant, quo exinde dono coelestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac communicatis, qui processionem cum Sanctissimo Sacramento per confratres dictae confraternitatis faciendam associaverint et associando processionem huiusmodi Rosarium seu coronam beatae Mariae virginis pro foelici statu Sanctae Romanae Ecclesiae et Indorum conversione semel recitaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et elargimur, necnon omnibus et singulis religiosis qui linguam Indorum callentes verbum Dei populo illarum partium praedicaverint seu annunciaverint, quoties id fecerint septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Contrariis non obstantibus quibuscumque praesentibus quarum transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XXV ianuarii 1576 anno quarto.

324

Super gregem dominicum

Sec. Brev. 69 fol. 522r-523r; 70 fol. 517rv die 25 ianuarii 1576

INDULGENTIA PLENARIA

Pro visitantibus ecclesiam conventus sancti Dominici *de la Cimba* in die festo sancti Ioannis Baptistae ibique rosarium pro conversione Indorum recitantibus.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes literas inspecturis salutem etc. Super gregem dominicum curae nostrae divinitus creditum prout nobis desuper conceditur intenti pastoris officium exercentes singulos christifideles quorum merita pro demeritis sunt imparia ad Ecclesias in honorem sanctorum dedicatas debere venerandas, ac ipsorum sanctorum solemnia devote celebranda spiritualibus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum remissione libenter invitamus ut christifideles ipsi eorumdem sanctorum suffulti suffragiis potiora in coelis retributionis praemia valeant promereri. Cupientes igitur ut Ecclesia conventus seu monasterii Sancti Dominici de la Cimba ordinis praedicatorum extra flumen de Arequipa, Cuzchen. diocesis, in partibus del Peru Indiarum maris Oceani ad quam, sicut accepimus, dilectus filius Petrus de la Serra dicti ordinis professus singularem gerit devotionis affectum in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus, ipsique christifideles eo libentius devotionis causa ad eamdem Ecclesiam confluant, quo ex hoc dono coelestis gratiae uberius se conspexerint esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate

confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui dictam Ecclesiam in festo nativitatis Sancti Ioannis Baptistae a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei inclusive devote visitaverint et inibi semel Rosarium seu coronam beatae Mariae virginis pro conversione Indorum ad fidem catholicam devote recitaverint, quoties id fecerint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate apostolica tenore presentium misericorditer in Domino concedimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod praesentium transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur quae presentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XXV ianuarii 1576, anno quarto.

325

Desiderantes cunctorum

Sec. Brev. 69 fol. 523rv; 70 fol. 518rv — die 25 ianuarii 1576

INDULGENTIA PLENARIA

Pro associantibus processionem in die Veneris Sancti in Civitate Regum et pro conversione Indorum rosarium recitantibus.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes literas inspecturis salutem etc. Desiderantes cunctorum christifidelium animarum salutem ea libenter concedimus per quae salutem ipsam et conscientiae pacem Deo propitio valeant promereri. Cum itaque sicut accepimus in civitate Regum partium Indiarum occidentalium a duobus annis citra fuerit instituta

quaedam processio in honorem beatae Mariae virginis nuncupatae, illaque singulis annis in feria sexta maioris hebdomadae per dictam civitatem a conventu domus eiusdem beatae Mariae virginis de Rosario nuncupatae dictae civitatis ordinis fratrum praedicatorum fieri soleat, ut igitur dicti christifideles eo libentius devotionis causa intersint quo exinde dono coelestis gratiae uberius conspexerint se esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac communicatis, qui dictam processionem associaverint et associando processionem huiusmodi Rosarium seu coronam eiusdem beatae Mariae virginis pro pace inter principes christianos ac Indorum ad fidem catholicam conversione recitaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et elargimur, contrariis non obstantibus quibuscumque praesentibus quarum transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XXV ianuarii 1576, anno quarto.

326

Romanus Pontifex

Sec. Brev. 69 fol. 523v-524r; 70 fol. 518v-519r — die 25 ianuarii 1576

INDULGENTIA PLENARIA

Pro puellis orphanis in monasterium Civitatis Regum ingrediendis ac earum viris quibus aliquando matrimonio coniungantur, necnon mulieribus in monasterio existentibus ac omnibus christifidelibus ecclesiam monasterii visitantibus et pro conversione Indorum precantibus.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes literas inspecturis salutem etc. Romanus Pontifex cui per beatum Petrum apostolum in terris a Domino collata est ligandi aut solvendi potestas christifideles ad visitandas Ecclesias et alia pia opera exercenda spiritualibus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus libenter inducit ut per hoc et aliorum sanctorum operum exercitium aeternam beatitudinem valeant foeliciter adipisci. Cum itaque sicut accepimus in quoddam monasterium civitatis Regum provinciae de Peru Indiarum occidentalium reperiantur puellae orphanae filiae Hispanorum et Indorum illarum partium et in eo nutriantur ac manuteneantur ad effectum illas matrimonio collocandi de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis puellis predictis quae vere poenitentes et confessae ac communicatae dictum monasterium ingredientur in die primi illarum ingressus semel recitando Rosarium beatae Mariae virginis pro foelici statu Sanctae Romanae Ecclesiae et conversione Indorum, ipsisque puellis ac earum viris etiam confessis et communicatis in die in quo matrimonium inter se contraxerunt Rosarium recitando et orando, ut praefertur, nec non omnibus mulieribus in dicto monasterio existentibus similiter confessis et communicatis in eorum mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate apostolica tenore praesentium respective concedimus, nec non omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus etiam vere poenitentibus et confessis ac communicatis, qui Ecclesiam dicti monasterii in festivitate Purificationis eiusdem beatae Mariae virginis devote visitaverint et Rosarium seu coronam predictam pro eorumdem Indorum conversione recitaverint et oraverint, ut praefertur, plenariam pariter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate apostolica tenore presentium concedimus et elargimur; quam indulgentiam animabus etiam defunctorum quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverunt per modum suffragii prodesse posse volumus, contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus autem quod praesentium transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsis presentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 25 ianuarii 1576, anno quarto.

327

Cum aliquando

Sec. Brev. 38 fol. 51v-52r
Bull. Praed. V 343-344
BM II 933

die 3 februarii 1576

QUOMODO PUNIENDUS QUI DELIQUERIT

Cum aliquando religiosi varie delinquant, Summus Pontifex praelatis Ordinis Fratrum Praedicatorum in provincia Sancti Ioannis Baptistae in *Perú* concedit, ut contra fratres delinquentes procedere eosque punire, citra tamen poenam sanguinis et mutilationis membrorum, ac brachio saeculari puniendos tradere valeant.

Gregorius XIII

Ad futuram rei memoriam. Cum aliquando evenit ut etiam illi, qui religioni se dederunt, Dei timore postposito demonisque malorum omnium authoris fraude seducti varie delinquant, nos in eosdem, qui habitum religionis induerint, graviter etiam animadvertendum esse censentes universis et singulis praelatis Ordinis fratrum Praedicatorum qui in provincia Sancti Ioannis Baptistae del Peru Indiarum maris Occeani prò tempore fuerint, ut de caetero contra omnes et singulos dicti Ordinis fratres quomodolibet delinquentes tam ex officio, quam alias prout iuris ratio suaserit, de alicuius iuris periti consilio procedere, illosque carcerare et repertos culpabiles, aut alias punibiles citra tamen poenam sanguinis et mutilationis membrorum punire, corrigere et castigare et ubi opus fuerit eosdem fratres delinquentes confessos vel convinctos postquam servatis servandis degradati fue-

rint curiae seculari puniendos tradere, absque aliquarum censurarum et irregularitatis incursu libere et licite valeant apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique Ordinis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis praefato Ordini, illiusque professoribus ac superioribus et personis concessis et confirmatis. Quibus omnibus illorum tenores praesentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod praesentium transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem ubique fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis presentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 3 februarii 1576, anno quarto.

328

Vitae ac morum

Sec. Brev. 38 fol. 94rv — die 17 februari 1576

DISPENSATIO SUPER DEFECTU AETATIS

Summus Pontifex Antonio Marcello et Ioanni Ordóñez clericis dioecesis de *Cuzco* dispensationem super defectu aetatis concedit et permittit, ut ad presbyteratus ordinem promoveri possint, cum primum vicesimum tertium annum aetatis attingerint, *dummodo ad id idonei reperti fuerint.*

Gregorius XIII

Dilectis filiis Antonio Marcello et Ioanni Ordonez clericis Chuzchensis seu alterius diocesis in partibus del Peru Indiarum occidentalium.

Vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita super quibus apud nos fidedigno commendamini testimonio nos inducunt ut vos specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Hinc est quod nos volentes vos praemissorum meritorum nostrorum [1] intuitu favore prosequi gratioso et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati vobiscum, ut cum primum vigesimum tertium vestrae aetatis annum attingeritis ab ordinario vestro ad praesbyteratus ordinem, dummodo ad id idonei reperti et iuxta decretorum Concilii Tridentini formam qualificati fueritis promoveri et sic promoti in illo etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeatis defectu aetatis praemissae, ac Lateranensis necnon Viennensis et quorumvis aliorum Conciliorum, aliisque constitutionibus apostolicis, caeterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus, eidemque ordinario ut ordinem predictum vobis impendere possit indulgemus, caeterum quia difficile foret praesentes literas ad singula quaeque loca ubi necesse fuerit deferri volumus et dicta auctoritate decernimus, quod transumpto presentium literarum sigillo alicuius praelati ecclesiastici munito et manu notarii publici subscripto eadem fides tam in iudicio, quam extra illud ubilibet adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 17 februarii 1576, anno quarto.

---

[1] Id est vestrorum.

329

Desiderantes etc.

Sec. Brev. 69 fol. 534v-535r; 70 fol. 529v-530r — die 17 februarii 1576

INDULGENTIA PLENARIA

Pro sacerdotibus qui de superiorum licentia ad provinciam de *Tucumán* ad praedicandum se contulerunt, ac pro christifidelibus ecclesiam primae domus Ordinis Fratrum Praedicatorum in illa provincia visitantibus.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes literas inspecturis salutem etc. Desiderantes etc. valeant promereri. Omnibus itaque sacerdotibus, tam secularibus quam regularibus qui de licentia suorum praelatorum ad regnum seu provinciam de Tucuman in partibus del Peru Indiarum occidentalium ad praedicandum verbum Dei Indis et personis illarum partium se contulerint ut ipsi confessi et contriti ac coronam seu Rosarium beatae Mariae virginis pro conversione Indorum praedictorum recitando in die quo descesserint ad regnum seu provinciam huiusmodi profecturi animam quae Deo in charitate coniunctam ab hac luce migraverit a poenis Purgatorii per modum suffragii liberare possint, per praesentes concedimus nec non omnibus etc. contritis qui in festivitatibus Annunciationis et Assumptionis eiusdem beatae Mariae virginis Ecclesiam primae domus seu conventus ordinis fratrum praedicatorum in dicta provincia fabricanda, singulis annis devote visitaverint et inibi coronam seu Rosarium huiusmodi semel devote recitaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, ipsisque utriusque sexus christifidelibus qui dictam Ecclesiam in qualibet festivitate domus seu conventus huiusmodi visitaverint et coronam seu Rosarium praedictum recitaverint, ut praefertur, ut indulgentiam et remissionem omnium peccatorum pro defunctis consequantur auctoritate et tenore praemissis elargimur praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum quia difficile foret praesentes literas ad singula quaeque loca ubi necesse fuerit deferri volumus et dicta auctoritate decernimus quod transumpto praesentium literarum sigillo alicuius praelati ecclesiastici munito et manu notarii publici subscripto, eadem fides tam in iudicio quam extra illud ubilibet adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 17 februarii 1576, anno quarto.

330

Desiderantes cunctorum

Sec. Brev. 69 fol. 530v-531r; 70 fol. 525v-526r die 17 februarii 1576

INDULGENTIA PLENARIA

Pro sacerdotibus qui ad praedicandum verbum Dei Indis in *Perú* se contulerunt, ac omnibus qui ecclesiam primae domus Ordinis Fratrum Praedicatorum visitaverint.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes literas inspecturis salutem etc. Desiderantes cunctorum christifidelium animarum salutem ea libenter concedimus per quae piis operibus salutem ipsam et conscientiae pacem Deo propitio valeant promereri. Omnibus itaque sacerdotibus tam secularibus quam regularibus, qui de licentia suorum praelatorum ad regnum seu provinciam Sanctae Crucis de Sierra in partibus del Perù Indiarum occidentalim ad praedicandum verbum Dei Indis et personis illarum partium se contulerint ut ipsi confessi et communicati ac coronam seu Rosarium beatae Mariae virginis pro anima alicuius defuncti, qui Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, devote recitando in die quo discesserint ad regnum seu provinciam huiusmodi profecturi de thesauro Ecclesiae meritorum Domini nostri Iesu Christi et sanctorum martyrum per modum suffragii tantum elargimur ut dicta anima a poenis Purgatorii liberari possit divina acceptante providentia; nec non omnibus etc. qui in festivitatibus inventionis et exaltationis Sanctae Crucis Ecclesiam primae domus seu conventus ordinis fratrum praedicatorum in dicta Ecclesia fabricandam, postquam constructa fuerit, singulis annis visitaverint et inibi coro-

nam seu Rosarium huiusmodi semel devote recitaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem ipsisque utriusque sexus christifidelibus, qui dictam Ecclesiam in qualibet festivitate visitaverint et coronam seu Rosarium predictum, ut praefertur, devote recitaverint ut eandem indulgentiam et remissionem omnium peccatorum pro animabus fidelium defunctorum quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii consequantur auctoritate et tenore praemissis elargimur praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod presentium transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae etc. die XVII februarii 1576, anno quarto.

331

Desiderantes etc.

Sec. Brev. 69 fol. 532v-533r; 70 fol. 527v-528r — die 17 februarii 1576

INDULGENTIA CENTUM DIERUM

Pro addiscentibus idioma Indorum, ac pro in festivitatibus Inventionis et Exaltationis Sanctae Crucis conventum Ordinis Fratrum Praedicatorum in civitate Sancti Iacobi (*Chile*) visitantibus et rosarium pro conversione Indorum recitantibus.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes literas inspecturis etc. Desiderantes etc. valeant promereri. Omnibus itaque christifidelibus tam regularibus quam secularibus qui se occupaverint in discendo idioma Indorum ad effectum docendi doctrinam Indis in partibus del Peru et regno seu provincia de Chile Indiarum occidentalium quolibet die quo in hoc se occupaverint centum dies de iniunctis aut alias quomodolibet debitis poenitentiis auctoritate apostolica misericorditer in Domino relaxamus, nec non omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus confessis et communicatis, qui in festivitatibus inventionis et exaltationis Sanctae Crucis cappellam Sanctae Crucis conventus seu domus ordinis praedicatorum civitatis Sancti Iacobi dicti regni seu provinciae de Chile singulis annis a primis vesperis usque ad occasum solis cuiuslibet festivitatis huiusmodi devote visitaverint et inibi coronam seu Rosarium beatae Mariae virginis pro conversione Indorum et conservanda pace inter principes christianos semel devote recitaverint plenariam etc. elargimur. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque presentibus perpetuo duraturis. Volumus autem quod earumdem presentium transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides adhibeatur quae ipsis presentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae etc. die XVII februarii 1576, anno quarto.

332

Alias felicis recordationis

Hernáez I 729-730 die 17 februarii 1576

PROROGATIO AD SEX ANNOS BULLAE CRUCIATAE

Pius papa V christifidelibus in regnis Hispaniarum et insulis Sardiniae qui suis sumptibus ad exercitum Philippi regis in hostes pugnaturi accessissent vel aliud genus servitii ob eandem causam praestitissent, indulgentias et gratias

pro vivis et defunctis concessit, sex annis durantibus. Gregorius XIII quoque indulgentias et indulta huiusmodi eadem de causa concessit atque ad Indiarum et maris Oceani dominia extendit. Ac tandem motu proprio spatium sex annorum ad aliud sexennium prorogat.

Gregorius XIII

Ad futuram rei memoriam. Alias felicis recordationis Pius P. P. V, Praedecessor noster, justis et urgentissimis causis adductus Charissimo in Christo Filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico, Religionis Christianae contra Turcas defensioni et illorum expugnationi incumbenti, omnibus et singulis Christi Fidelibus in Hispaniarum Regnis, et illis adjacentibus etiam Sardiniae Insulis, qui intra biennium a die publicationis Litterarum praedictarum in singulis locis, in quibus publicarentur computandum, ad exercitum praedicti Philippi Regis in hostes pugnaturi suis sumptibus accessissent, et ibidem usque ad certum tempus mansissent, seu aliquos misissent, aut aliud genus servitii eam ob causam praestitissent, nonnullas indulgentias, concessiones et gratias ac indulta pro vivis et defunctis concessit liberaliterque elargitus fuit: dictoque biennio expirante, ipsas indulgentias et alia, ut praefertur, concessa expirare declaravit: ac deinde biennium praedictum ab illius fine, et deinde secundo dictum biennium ad aliud simile biennium a secundi dicti biennii fine computandam, ita de novo concessit, ut sex annis durantibus, Venerabilis F. Bernardus Fresneda, tunc Episcopus Conchensis, quem etiam tunc Commissarium super praemissis deputaverat, seu qui pro tempore esset, illas de novo, modo et forma in concessione praedicta praescriptis, publicare posset, ac Venerabilem F. Franciscum nuper Segobricensem et Albarracinensem, nunc vero Salmanticensem Episcopum in dicti Bernardi tunc Episcopi Conchen. locum quoad praemissa omnia et alia in ejus Litteris contenta subrogavit, et successive, dicto Praedecessore, sicut Domino placuit, ab hac luce subtracto. Nosque, Divina voluntate ad Summi Apostolatus apicem evecti, dum animadvertimus Christianae Reipublicae utilitati non mediocriter expedire opus praedictum tam pium exerceri, per varias nostras Litteras, nonnullas indulgentias etiam plenarias ac plenissimas, peccatorumque remissiones, necnon gratias, facultates et indulta pro vivis et pro defunctis concessimus, ac declarationes seu extensiones super ejusdem Praedecessoris concessionibus a Nobis prodire curavimus: bienniique tempus praedictum, ad

annum reduximus, ita ut quatuor anni quoad Hispaniarum Regna et alia loca in Litteris Pii Praedecessoris hujusmodi contenta, ubi prima biennii publicatio jam coepta esset, et quoad Siciliae Regnum, necnon Regna, loca, terras, oppida et dominia Terrae firmae, Indiarum et Maris Occeani, seu alias nuncupata, et alia Regna, Insulas et loca eidem Philippo Regi subjecta, ad quae Nos indulgentias, gratias, facultates et indulta hujusmodi extendimus et prorogavimus sex annis durantibus, respective singulo quoque anno expirante, easdem indulgentias, facultates, concessiones et indulta, tam per dictum Praedecessorem quam per Nos, occasione dictae expeditionis et defensionis, quomodolibet concessa omnino expirare voluerimus: et quod idem Franciscus Episcopus et Commissarius dictis duobus ultimis et tribus respective bienniis durantibus, non jam singulo biennio, sed singulo quoque anno easdem gratias, indulgentias, facultates, concessiones et indulta quaecumque, tam per Praedecessorem praedictum quam per Nos occasione expeditionis et defensionis huiusmodi concessa de novo, modo et forma in eisdem concessionibus expressis, publicare posset, aliasque concessimus, statuimus, decrevimus et ordinavimus, prout in variis dicti Praedecessoris ac nostris desuper confectis Litteris plenius continetur. In praesentia vero animo revolventes, quod, ubi aliqua a Praedecessoribus nostris, Rom. Pontificibus ad communem universorum Fidelium utilitatem concessa, et nostra auctoritate comprobata fuerunt ac ad usum redacta, non mediocriter expedire dignoscuntur, curandum esset ut longiori temporis spatio perdurent: ac propterea quarumcumque Litterarum, tam a dicto Praedecessore quam a Nobis emanatarum, etiam praedictarum summarium indulgentiarum, et aliarum gratiarum, indultorum videlicet et facultatum, tam spiritualium quam temporalium seriem complectentium tenores ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, Motu proprio, non ad ipsius Philippi Regis vel alterius pro eo nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex nostra mera deliberatione sex annorum spatium in dictis et aliis forsan desuper confectis Litteris adjectum et praefixum, aliud simile sexennium a fine ultimi anni ex sex annis ante dictis prout in qualibet Provincia seu Regno finem habebunt, numerandum, ita similiter ut omnia in dictis Litteris contenta singulo quoque anno sex annis per praesentes prorogatis, cum omnibus et singulis indulgentiis, gratiis, facultatibus, concessionibus, indultis, conditionibus, clausulis et decretis, in prioribus Litteris praedictis contentis et juxta illarum tenorem publicarentur et expirent, Apostolica auctoritate tenore praesentium extendimus et prorogamus, et novo concedimus: ita quod eisdem modo et forma quibus dicti Christi Fideles dictas indulgentias

etiam pro defunctis consequuntur: ac tam spiritualibus, quam temporalibus gratiis de praesenti fruuntur, et durante priori sex annorum spatio frui poterunt in futurum, sic sex prioribus annis exactis per sex annorum spatium sequentium, juxta publicationes faciendas, omni prorsus differentia sublata, uti, frui et gaudere possint, etc.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 17 Februarii 1576, Pontificatus nostri anno quarto.

333

Desiderantes cunctorum

Sec. Brev. 69 fol. 535v-536r; 70 fol. 530v-531r die 3 martii 1576

INDULGENTIAE

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes literas inspecturis salutem etc. Desiderantes cunctorum christifidelium etc. valeant promereri de omnipotentis Dei misericordia etc. omnibus etc. qui missae sacrificium coram noviter conversis Indis celebraverint et eis doctrinam catholicam impartiti fuerint, illisque ac aliis qui dictos Indos in eadem fide confirmare studuerint et catholicam doctrinam et ipsius fidei rudimenta docuerint pro qualibet vice qua id fecerint decem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 3 martii 1576, anno quarto.

334

Exponi nobis nuper

Paenitentiariae, Reg. Matrim. et Divers. 185 ff. 31v-32v (pars secunda) — die 15 martii 1576

LICENTIA INDULGENDI AB OBLIGATIONE

Participandi processionem disciplinantium confraternitatis Sanctae Crucis et Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi, valetudinis causa.

Gregorius XIII

Venerabili fratri episcopo Guatimalen. et dilecto filio eius officiali, salutem etc. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Lupus Rodriguez de las Varillas laicus incola oppidi civitatis nuncupati Sancti Iacobi de Guatimala Guatimalen. diocesis partium Indiarum maris Oceani [...] stabilimentorum confraternitatis laicorum sub vocabulo Sanctae Crucis et Sanguinis Domini nostri Iesu Christi in ecclesia dicti oppidi canonice institute, cuius ipse Lupus confrater existit, singulis annis feria quinta hebdomade sancte processionem disciplinantium a dilectis filiis ipsius confraternalis confratribus dicta nocte per vias publicas eiusdem oppidi fieri solitam etiam actualiter se disciplinando associare teneatur prout per plures annos hactenus facere consuevit. Nihilominus quia ipse Lupus corpulentus et obesus ac adversa valetudine, ut asserit, laborans existit et temporis experientia edoctus quod occasio dicte discipline sepissime post aliquot dies graviter infirmatur desiderat ab huiusmodi obligatione disciplinandi se dicta nocte liberari et ad associandum dictam processionem et faciendum reliqua alia sibi a deputatis societatis predicte premissorum occasione imponi

obligatus remanere. Quare iidem Lupus nobis humiliter supplicari fecit ut sibi spirituali consolatione ac corporali salute in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur honestis precibus dicti Lupi annuentes ipsumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis etc. censentes ac certam de premissis notitiam non habentes huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni vestre de cuius providentia et religione plurimum in Domino confidimus, tenore presentium apostolica auctoritate committimus et mandamus, quatinus tu frater episcope seu fili officialis, si est ita ut dictus Lupus id a te humiliter fecit dictam obligationem se nocte predicta disciplinando et processionem huiusmodi associando quod ad dictum Lupum tantum sibi in alia societatis opera arbitrio tuo auctoritate nostra committes ita ut de cetero dictus Lupus quoad vixerit in processione prefata se disciplinare non teneatur nec ad id cuiusvis statuti dicte confraternitatis contextu etiam a predicto Lupo medio iuxta [...] dictus Lupus alia onera dicte confraternitatis arbitrio deputatorum illius dicta nocte subire debeat dicta auctoritate indulgens eundem Lupum ab obligatione predicta liberes penitus non obstantibus premissis etc. contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, idus martii, pontificatus nostri anno quarto.

335

Ut Deiparae semper virginis

Sec. Brev. 69 fol. 537v-538v; 70 fol. 532v-533v die 28 martii 1576

COMMUTATIO INDULGENTIARUM

Gregorius XIII anno 1573 christifidelibus ecclesiam B.M.V. de *Guadalupe* visitantibus ibique pias preces effundentibus indulgentiam plenariam aliasque indulgentias concesserat. Easdem indulgentias ecclesiae cathedrali commutat, ne ipsa assueto concursu populi destituatur.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes literas inspecturis salutem etc. Ut Deipare semper virginis cultus et veneratio a christifidelibus ferventiori zelo exerceatur, Ecclesiaeque in eius honorem erectae et institutae ab eis frequentius invisentur licet a nobis per antea ipsis concessae indulgentiae hactenus debito fructu caruerint eas tamen pro qualitate temporum, salute animarum, commoditate personarum, Ecclesiarumque decore nonnumquam in aliud tempus commutamus et prorogamus, ut ipsi fideles spiritualibus gratiis et muneribus propositis viam aeternae beatitudinis non deserant. Cum itaque alias de anno videlicet 1573 per nos accepto quod in provincia Mexicana in partibus Indiarum maris Oceani inter alia sit Ecclesia sub invocatione beatae Mariae de Guadalupe de Tepeaquilla [1] nuncupata habens circumcirca plura oppida et terras valde populo referta, in quibus plurimi christiani noviter ad fidem conversi christianam inhabitabant, qui eximia devotione mediante doctrina evangelica ministrorum illius dictam Ecclesiam colebant aderit magnam exinde fidei incrementum gratia Dei in dies acquirebatur, nos ut eo magis Dei amore accenderentur ipsis christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui Ecclesiam huiusmodi in nativitatis et assumptionis eiusdem gloriosae virginis Mariae festivitatum diebus a primis vesperis usque ad secundas vesperas et occasum solis dierum huiusmodi annuatim decennio devote visitaverint, ibique etc. piae ad Deum preces effuderint, pro prima vice plenariam omnium suorum indulgentiam et remissionem auctoritate apostolica concessimus. Deinde in reliquis annis eisdem christifidelibus qui praemissa similiter adimplerent septem annos et totidem quadragenas de iniunctis sibi vel alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxaverimus, prout in nostris in forma brevis desuper confectis literis, quas ad decennium tantum durare voluimus, plenius continetur; et sicut etiam accepimus festivitatum diebus huiusmodi populus ad Cathedralem Ecclesiam concurrere soleat, sicque fructu salutari huiusmodi indulgentiae Ecclesiae praedictae beatae Mariae de Guadalupe non gaudeat, nos, ne Cathedralis ipsa in talibus festivitatibus assueto concursu populi destituatur, sed tam illa quae primodicta Eccelsia debita in veneratione commodiori tempore providere volentes, easdem indulgentias primodictae Ecclesiae, ut praefertur, concessas in diem dominicam infra ipsarum festivitatum octavas;

[1] *Tepeyac.*

seu si dominica octava fuerit, in ipsam dominicam octavae eadem auctoritate transferimus et commutamus, nec non attento provinciae huiusmodi maximo intervallo periculisque interpositis ac navigationis in certo appulsa tum in frequentia commeantium decennium praedictum ad aliud decennium a fine primi concessi decennii computandum per presentes prorogamus. Volumus autem quod si eisdem christifidelibus primodictam Ecclesiam visitantibus et ut praefertur orantibus aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad certum tempus nondum tamen elapsum duratura concessa fuerit, eaedem praesentes literae nullae sint. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 28 martii 1576, anno quarto.

336

Etsi cunctae orbis Ecclesiae

Sec. Brev. 38 fol. 168v-169v die 30 martii 1576

INDULGENTIA PLENARIA IN DIE FESTI SANCTI DOMINICI

Ecclesias sancto Dominico dedicatas celebriori memoria convenit venerari. In civitate Sancti Dominici Indiarum Occidentalium dies festus sancti Dominici quinto die augusti celebratur. Summus Pontifex christifidelibus in provincia Sanctae Crucis ecclesias monasteriorum sancti Dominici visitantibus in die quinto augusti, sub consuetis condicionibus indulgentiam plenariam concedit, si insuper preces pro Ecclesiae exaltatione, conversione infidelium, haeresum extirpatione et pro pace inter principes catholicos effuderint.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem etc. Etsi cunctae orbis Ecclesiae sub Sanctorum fundatae vocabulis sint pia fidelium devotione venerandae, illas tamen quae in honorem

Sancti Dominici dedicatae dignoscuntur qui vitae sanctimonia et institutis eximiis ordinem instituit, quique inter alios religiosorum ordines quibus fides catholica quasi gemmis rutilantibus illustratur, singulari quodam splendore refulget, celebriori memoria convenit venerari et ut hoc ferventius adimpleri valeat, visitantibus illas spiritualis thesauri munere libenter elargimur. Cum itaque sicut accepimus civitas eiusdem Sancti Dominici Indiarum occidentalium quinto die augusti christifidelibus habitari cepta fuerit, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus in provincia Sanctae Crucis degentibus per presentes praecipimus et mandamus quatenus festum eiusdem sancti Dominici in omnibus dictae provinciae oppidis in quibus reperiuntur monasteria Ordinis fratrum Praedicatorum observent et ab omnibus servilibus operibus sese abstineant et ut christifideles ipsi eo libentius ad Ecclesias monasteriorum huiusmodi confluant, quo ex hoc dono coelestis gratiae uberius conspexerint se esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, eisdem christifidelibus vere penitentibus et confessis ac communicatis, qui Ecclesias monasteriorum dicti Ordinis in provincia predicta existentium dicto die festo a primis vesperis usque ad occasum solis diei dicti festi singulis annis devote visitaverint et inibi pias ad Deum preces pro Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, infidelium conversione ac haeresum extirpatione, necnon pace inter Principes christianos confovenda effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et elargimur praesentibus quoad indulgentiam ad viginti quinque annos dumtaxat valituris. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 30 martii 1576, anno quarto.

337

Dum praeclara

Sec. Brev. 69 fol. 537rv; 70 fol. 532rv — die 30 martii 1576

INDULGENTIA PLENARIA

Gregorius XIII

Universis etc. Dum praeclara gloriosae virginis Mariae meritorum insignia intra nostri pastoris arcana diligentius recensemus dignum immo potius debitum reputamus ut Ecclesias ad sui nominis honorem et reverentiam decoratas spiritualibus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus decoremus, de igitur omnipotentis Dei misericordia etc. confisi, omnibus etc. qui Ecclesiam monasterii sub invocatione beatae Mariae de Rosario ordinis fratrum praedicatorum partium Indiarum occidentalium erigendi in festo nativitatis eiusdem beatae Mariae virginis a primis vesperis etc. et inibi etc. effuderint plenariam etc. et elargimur praesentibus ad viginti quinque annis dumtaxat valituris. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 30 martii 1576, anno quarto.

338

Super gregem dominicum

Sec. Brev. 69 fol. 532v; 70 fol. 427v — die 30 martii 1576

INDULGENTIA PLENARIA

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes literas inspecturis salutem etc. Super gregem dominicum etc. valeat promereri. Cupientes igitur ut Sancti Petri martyris ac Sancti Antonii de Padua, nec non Sancti

Francisci et Sanctae Luciae Ecclesiae insulae Margaritae in partibus Indiarum in debita veneratione habeantur et a christifidelibus congruis frequententur honoribus, ipsique christifideles eo lubentius devotionis causa confluant quo ex hoc dono coelestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos de omnipotentis Dei misericordia etc. omnibus etc. qui Ecclesias praedictas in festivitatis Sancti Petri, Sancti Antonii, Sancti Francisci et Sanctae Luciae huiusmodi seu earum aliquam devote visitaverint et inibi etc. effuderint plenariam etc. elargimur praesentibus ad viginti quinque annos dumtaxat valituris. Datum Romae etc. die 30 martii 1576, anno quarto.

339

Cupientes Indiarum

Sec. Brev. 38 fol. 252v-254r — die 1 maii 1576

FACULTAS MITTENDI FRATRES IN PARTES INDIARUM

Summus Pontifex magistro generali Ordinis Fratrum Minorum Conventualium facultatem impertitur mittendi quoscumque fratres sui Ordinis in partes Indiarum maris Oceani qui ibi, de licentia tamen Ordinariorum locorum, ecclesias et monasteria erigere et privilegiis ac facultatibus a Sede Apostolica fratribus sui Ordinis concessis gaudere valeant, et deputandi provincialem.

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Cupientes Indiarum maris Occeani amplas regiones in quibus ingens fidelium numerus ad verae lucis quae est Christus Dominus cognitionem divina Spiritus Sancti gratia cooperante iam pervenerunt et imposterum eadem divina operante bonitate pervenient catholicis et religionis zelo insignibus viris, ac

scientia et virtute praeditis in quibus timor Domini sanctus permaneat esse refectas, ac pro messis magnitudine operarios non desiderari, praecibus quoque dilecti filii Petri Antonii Ca[m]illi de Nuceria ordinis fratrum minorum conventualium generalis magistri inclinati, eidem Petro Antonio et pro tempore dicti ordinis generali magistro, ut quoscunque fratres dicti ordinis ad illustrandum in illis partibus Christi Domini et Redemptoris nostri nomen destinare possit, qui eisdem in regionibus de licentia tamen ordinariorum locorum his in partibus, in quibus magis pro Dei gloria ac divini cultus augmento opportunum duxerint quascumque Ecclesias ac prope illas sive alibi domos, conventus et monasteria utriusque sexus tam virorum quam mulierum religiosorum dicti ordinis, in quibus eiusdem ordinis fratres qui pro tempore a generali magistro illis in locis destinati fuerint et alii qui religionem amplecti voluerint se recipere, ac in spiritu humilitatis queant Altissimo famulari ad instar aliarum eiusdem ordinis Ecclesiarum, domorum, conventuum et monasteriorum cum campanili, campanis, dormitorio, claustro, hortis et aliis necessariis officinis ita quod omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, indultis, facultatibus, tam per mare magnum, sive bullam auream, sive alias nuncupata rescripta a Sede Apostolica quam alia quavis auctoritate concessis, quibus aliae dicti ordinis Ecclesiae, domus, conventus sive monasteria utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum uti, potiri et gaudere possint, sive tamen parrochialium Ecclesiarum ac illarum rectorum intra quarum limites Ecclesiae, domus, conventus et monasteria erigentur aut alicuius alterius praeiudicio erigere et instituere et in eisdem domibus, conventibus et monasteriis statum et essentiam regulares dicti ordinis introducere, eidemque Petro Antonio Camillo et pro tempore generali eiusdem ordinis, ut illis in provinciis et locis dicti ordinis professorem quem ad infrascriptum munus magis idoneum existimaverint ab eisdem Petro Antonio et pro tempore generali magistro iuxta eiusdem ordinis statutorum et constitutionum seu per literas apostolicas praescriptam formam in magistrum provincialem dictarum provinciarum et locorum constituere et deputare valeant ad hoc, ut fratres in dictis regionibus degentes sub eius obedientia degant, eisdemque facultatibus quibus alii eiusdem ordinis provinciales fungentur, ac supremam auctoritatem et iurisdictionem in fratres in dictis Indiarum partibus degentes habeant, prout alii provinciales dicti ordinis aliis in provinciis et locis habere consueverunt, apostolica auctoritate tenore presentium facultatem concedimus et impartimur, irritumque et inane decernimus quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus apostolicis ac in

provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac praedicti ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis magistro generali praedicto, aliisque superioribus et personis concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus eorum tenores praesentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die primo maii 1576, anno quarto.

340

Dum praecelsa meritorum

Sec. Brev. 69 fol. 660r-661r; 70 fol. 655rv die 20 octobris 1576

COMMUTATIO INDULGENTIARUM

Dignum, immo debitum est, ecclesias B.M.V. dedicatas indulgentiarum muneribus decorare. Senatus et populus civitatis *México* ecclesiam sub invocatione B.M.V. Remediorum erexerunt. Gregorius XIII ipsae ecclesiae omnes et singulas indulgentias commutat, quas praedecessores sui hospitali in collegio sancti Ioannis concesserat, easque amplificat.

Gregorius XIII

Universis etc. salutem etc. Dum praecelsa meritorum insignia, quibus Regina coelorum virgo Maria Dei Genetrix sedibus praelata sidereis, quasi stella matutina praerutilat, devotae considerationis indagine perscrutamur et intra cordis nostri sacrarium revolvimus quod ipsa, ut pote mater misericordiae et pietatis amica, ac humani generis

consolatrix pro salute fidelium, qui delictorum onere pregravantur; sedula exoratrix ad Regem quem genuit intercedit dignum, quin potius debitum, reputamus ut Ecclesias ad laudem sui nominis dedicatas indulgentiarum muneribus decoremus. Cum itaque sicut accepimus senatus et populus civitatis Mexican. partium Indiarum maris Oceani precibus beatae Mariae virginis adiuti, dictam civitatem et successive magnum Indiarum prefatarum partem expugnaverint et pro tanto foelici rerum successu ac in memoriam tantae victoriae Ecclesiam sub invocatione eiusdem beatae Mariae virginis Remediorum nuncupatae in dicta civitate erexerint; ut igitur dicta Ecclesia in debita veneratione habeatur et christifideles omnes et praesertim Indi ad fidem catholicam noviter conversi eo lubentius devotionis causa ad dictam Ecclesiam confluant quo exinde dono coelestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos, omnes et singulas indulgentias hospitali sub invocatione Conceptionis eiusdem beatae Mariae virginis in collegio Sancti Ioannis Pateramen dictae civitatis Mexican. a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessas eidem ecclesiae apostolica auctoritate tenore presentium communicamus seu similes indulgentias ipsi Ecclesiae concedimus nec non omnibus et singulis christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui in die qua dicta Ecclesia erecta fuit, a primis vesperis visitaverint etc. et pias inibi etc. effuderint; ac qui in confraternitatem sub dicta invocatione beatae Mariae virginis in Ecclesia praedicta canonice instituta admissi fuerint, in die eorum admissionis et in cuiuslibet eorum mortis articulo respective plenariam etc. elargimur praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 20 octobris 1576, anno quinto.

341

Salvatoris Domini nostri

Bull. Rom. (ed. Taurinensis) VIII 148-151 — die 30 octobris 1576
Monumenta Historica Soc. Iesu. Monumenta Mexicana I (1570-1580) 570-579.

CONFIRMATIO ET EXTENSIO PRIVILEGII

Pro Religione clericorum regularium Societatis Iesu quod ubique ecclesias et domus aedificare possint, non obstante privilegio aliis Ordinibus concesso et concedendo, quod prope eorum loca nova monasteria constitui nequeant. Ratio est quia presbyteri eiusdem Societatis Iesu ab aliis religiosis *tam in Mexicana quam in Guaxicana novae Hispaniae civitatibus* molestantur.

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Salvatoris Domini nostri Iesu Christi, qui caritas est et Deus pacis, his in terris vices, licet immeriti, gerentes, ea quae pacis sunt, praesertim cum militantis Ecclesiae firmamentum omnisque filiae Sion decor in animorum coniunctione, pace et tranquillitate versetur, nosque unum in Christo corpus simus, pro nostri debiti officio, tamquam ipsius mystici corporis caput, quaerentes, litium quarumvis, quae fraternam dilectionem lacerant, maxime vero quae inter religiosas personas ventilantur, occasionibus obviamus, exortasque, quantum cum Deo possumus, consopimus.

Sane, ut accepimus, licet dilecti filii presbyteri venerabilis Societatis Iesu in vinea Domini, tamquam fructiferi palmites, in toto fere orbe, tam in continendis in via mandatorum christifidelibus, infirmis in fide consolidandis aegrotisque sanandis, confractis alligandis, et abiectis reducendis, ovibus dispersis et lupis vespertinis leonumque famelicis catulis in devorationem expositis reclamandis et defendendis, quam etiam iis, quae extra ovile Christi sacrosanctique imperii nostri tutelam, sub ignorantiae iugo, in obscuris et tenebricosis locis ac desertis per montuosas ac difficiles vias aberrant, convertendis, et ad nationes catholica religione imbutas, et ad immanes barbarasque divini cultus politicique ornatus ignaras gentes, ferino potius quam humano more viventes, sese extendentes, optimum et uberrimum fructum attulerint, et in dies maiori cum sollicitudine afferre, zizania extirpare, bonum semen revocare, plantare, terrasque incultas evangelico sulco ac ecclesiasticae disciplinae vomere eruderare non cessent.

Ac dudum, propter ipsius Societatis tam utiles tamque necessarias functiones, quas tum in domibus per frequentem Poenitentiae et Eucharistiae sacramentorum administrationem et ad eorum frequentationem sectandam exhortationem praedicationemque et spiritualia

exercitia ac alia verbi Dei ministeria, tum in collegiis per lectiones tam bonarum litterarum quam philosophiae etiam et theologiae ad iuventutem bonis moribus et litteris imbuendam, ex ipsius Societatis primaeva instituti erectione ac divina vocatione, magno Dei beneficio et Ecclesiae spirituali emolumento, exercet, felicis recordationis Paulus Papa tertius speciali privilegio, ut quaecumque domos, ecclesias et collegia aedificare, vel concessa recipere et inhabitare posset, indulserit.

Et deinde piae memoriae Iulius, etiam Papa tertius indultum huiusmodi confirmaverit.

Et successive recolendae memoriae Pius quartus, praedecessores nostri, idem indultum, etiam intra centum quadraginta cannas Ordinum Mendicantium, de novo concesserit.

Nosque postremo, cum lis et causa seu controversia aut quaestionis materia desuper, occasione certae domus per ipsos presbyteros a dilecto filio comite de Orgaz Toleti emptae, concessionem eiusdem Pii praedecessoris confirmantes, emptionem dictae domus recte factam et in ea presbyteros ipsos habitare posse et debere declaraverimus, et alias prout in singulis litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur.

Nihilominus praefati presbyteri a diversis dictorum Ordinum religiosis diversimode, vigore seu praetextu privilegiorum huiusmodi cannarum, adhuc, prout de facto, tam in Mexicana quam in Guaxicana novae Hispaniae civitatibus, non sine animi nostri displicentia, molestantur, immo et excommunicationis sententia interdum feriuntur, in christiani populi scandalum non modicum.

Nos igitur, attendentes dictam Societatem, quae, quamvis collegia habeat annexa, et haec redditus pro studentium necessitate habere possint, inter Mendicantium Ordinum Religiones, per sanctae memoriae Pium Papam quintum, similiter praedecessorem nostrum, per quasdam suas in forma brevis litteras, sub die septima mensis iulii, pontificatus sui anno sexto, expeditas, adscripta et declarata, ac privilegiorum Ordinum Mendicantium particeps effecta fuit, ex eius instituto et constitutionibus apostolica auctoritate confirmatis, bona stabilia possidere non posse, sed incertis eleemosynis fideliumque largitionibus et subventionibus vivere, nec minus quam ceteros Mendicantes Ordines in excolenda vinea Domini assidue laborare, immo nec alios iuxta se domos et monasteria aedificare prohibere, neve ullum aut certe quam minimum praeiudicium aliis religiosorum monasteriis ex Societatis domorum, collegiorum et ecclesiarum vicinitate provenire, ex eo quod, propter diversam functionum et instituti rationem, Societas ipsa nec chori usum habet, nec ad funerales associationes accedit,

nec defunctorum funera nisi rara, nulla item missarum vel sepulcralia stipendia, nullas sepulcrorum vel cappellaniarum fundationes, nullam denique prorsus eleemosynam, quae ad quodvis ipsius Societatis ministerium vel opus dirigi intelligatur, admittit. Ac, prout nostrum nos invitat officium, inconvenientibus huiusmodi obviare, ac scandala quaecumque et contentionum, praecipue inter religiosas personas, occasiones removere, necnon tam salubribus dictae Societatis ministeriis quae, pro eorum dignitate ac maiori fidelium fructu, in locis aptis, ubi maior seges et frequentior populi consuetudo viget, exerceri et ministrari debent, viam potius aperire quam impedimenta ulla obiici permittere volentes.

Motu proprio ac de apostolicae potestatis plenitudine, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, eosdem presbyteros eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; ac supradictarum litterarum, necon et aliorum Ordinum privilegiorum et in eis contentarum clausularum tenores, ac alia etiam forsan circa praemissa de necessitate exprimenda, praesentibus pro expressis habentes; ac privilegia dictorum Ordinum super non aedificatione infra dictas cannas, quoad dictam Societatem tantum, suspendentes, revocantes ac invalidantes; silentium perpetuum quibusvis super praemissis aut eorum aliquo, vigore cuiusvis confirmationis aut ampliationis et de novo concessionis dictarum cannarum a Sede Apostolica, quomodolibet et pari motu, etiam consistorialiter, ac cum quibusvis praesentium derogationibus specifice factis obtentarum et in futurum obtinendarum, contra praesentium tenorem venientibus imponentes.

Eisdem presbyteris et Societati, ut quaecumque domos, collegia, ecclesias et alia aedificia erigere, ac per eos ubivis locorum erecta inhabitare; ac quaecumque loca, domos, ecclesias, oratoria et alia cuiuscumque structurae aedificia, sibi quomodolibet relicta vel oblata, recipere, acceptare, emere, possidere et retinere; ac in eis omnia et singula functiones, lectiones et ministeria, in aliis eiusdem Societatis domibus, collegiis, ecclesiis et aliis locis fieri et exerceri solita, habere, facere et exercere libere et licite possint et valeant, earumdem praesentium tenore, de speciali dono gratiae, concedimus et indulgemus. Eosque a quibusvis censuris et poenis, in illos praemissorum occasione forsan latis, absolvimus.

Necnon indulta per Paulum, Iulium et Pium, praedecessores no-

stros praedictos, et nos eis, ut praefertur, concessa et confirmata, cum omnibus et singulis in eis contentis concessionibus, privilegiis, facultatibus, praerogativis et aliis gratiis, declarationibus, derogationibus aliisque quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis et clausulis, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus.

Necnon oppositionem et contradictionem quorumcumque, quovis titulo, vigore, praetextu, colore, ipsis presbyteris praeiudicium afferre, ac praesentes litteras de obreptionis seu subreptionis vitio aut intentionis nostrae defectu notari vel impugnari, suspendi, revocari, annullari, invalidari aut ad viam iuris reduci, vel contra illas attentari non posse neque debere; sed illas perpetuo validas, efficaces et illibatas existere, et ubi aliquid contra eas extorqueri et obtineri contigerit, illas nihilominus in suo pleno et integro robore, absque eo quod desuper impetranda sit a Sede praedicta illarum confirmatio, restitutio, revalidatio vel nova concessio, permanere; irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, in posterum contigerit attentari, decernimus. Ac quasvis excommunicationis sententias, vigore talium privilegiorum cannarum, contra dictos presbyteros vel Societatem latas et ferendas, eos vel eorum aliquem nullatenus afficere posse declaramus.

Quocirca universis et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, per praesentes, pari motu, mandamus quatenus ipsi vel eorum quilibet, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit et quoties pro parte dictorum presbyterorum aut alterius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in premissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos decreto, confirmatione, indulto aliisque praemissis pacifice gaudere, ac easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque perpetuo inviolabiliter observari. Non permittentes eos super eisdem praemissis vel eorum aliquo, per quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, religiosos, seu locorum ordinarios, aut alios quoscumque iudices et personas, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existant, et quacumque, etiam pontificali, regia vel alia auctoritate fungantur, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse, quovis quaesito colore vel ingenio, impediri, molestari, perturbari vel alias quomodolibet inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas et alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus praemissis ac piae memoriae Bonifacii Papae octavi, etiam praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo non ultra tres diaetas quis auctoritate praesentium ad iudicium trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; nenon dictorum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem Ordinibus illorumque superioribus et personis etiam super non aedificandis ecclesiis, domibus, collegiis, et aliis aedificiis aliarum Religionum intra centum quadraginta cannas ab eorum coenobiis, conventibus vel monasteriis et domibus, ac aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, per quoscumque Romanos Pontifices concessis, confirmatis et innovatis, ac omnibus aliis quae nos et praedicti praedecessores nostri in singulis litteris praedictis voluimus non obstare. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non tamen per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, tenores illorum, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu simili, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Volumus autem et eadem auctoritate decernimus quod ipsarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius praelati vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae aut curiae ecclesiasticae vel etiam generalis praepositi ipsius Societatis munitis, in iudicio et alibi, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur eisdem presentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX octob. MDLXXVI, pontificatus nostri anno V.

342

Provisionis nostrae

Hernáez I 121-122 die 28 novembris 1576

FACULTAS PRO SODALIBUS SOCIETATIS IESU DISPENSANDI NEOPHYTOS SUPER IMPEDIMENTO CONSANGUINITATIS

Ex minuta originali textus litterarum Pii IV diei 15 iunii anni 1563 transcribitur, quibus ad forum externum extenditur quod *certus Romanus Pontifex* sacerdotibus Societatis Iesu vivae vocis oraculo concesserat, nempe in foro conscientiae dispensandi neophytos ut in omnibus gradibus, a iure divino non prohibitis, invicem coniunctis, matrimonio copulari valeant, in regionibus Sinarum, Iaponiae, Africanae et utriusque Indiae, ubi episcopi commode adiri nequeunt. Et insuper Pius IV concesserat pro 20 annis, ut provinciales Societatis Iesu cum neophytis in utroque foro dispensare et prolem legitimam decernere possent in provinciis Ordinariorum praesentia destitutis vel ab eis remotis. Gregorius XIII easdem facultates confirmat.

Gregorius XIII

Ad futuram rei memoriam. Provisionis nostrae debet provenire subsidio, ut jus suum unicuique conservetur. Hinc est quod Nos, tenorem quarumdam litterarum felicis recordationis Pii Papae IV, praedecessoris nostri, in secretaria domestica ipsius praedecessoris repertum, pro eo quod, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum, Generalis, aliorumque Praepositorum Societatis Jesu, petitio continebat, ipsi hujusmodi tenore ex certis causis indigere noscantur, ex minuta originali de verbo ad verbum transcribi et ad supradictorum instantiam praesentibus adnotari fecimus, qui talis est, a tergo,

videlicet: — Dilectis Filiis, Generali, aliisque Praepositis et Presbyteris Societatis Jesu, — intus vero — Pius Papa IV. Dilecti Filii, salutem et apostolicam benedictionem. — Exuberans et indefessus gentilitatis ad creatoris sui agnitionem adducendae, christianaeque religionis propagandae zelus, quem cordibus vestris impressit altissimus, prorsus exigit, ut pias petitiones vestras de proximi salute sollicitas, exauditionis gratia condonemus. Exponi siquidem nobis nuper fecistis, quod licet dudum per certum Romanum Pontificem, praedecessorem nostrum, facultas cum Neophytis Indiarum aliarumque Orientalium regionum, quas ibi verbum Dei seminando, caliginosasque brachmanuum suorum tenebras evangelici lampadis fulgore collustrando, et idolorum templa, quae Pagodas vocant, in sanctissimas summi Dei ecclesias consecrando, jam pridem peragrare non cessatis, ut etiam in omnibus gradibus, a jure divino non prohibitis, invicem conjunctis, matrimonialiter copulari valeant, in foro conscientiae dispensandi, vivae vocis oraculo, concessa fuerit; quia tamen nihil de hoc in scriptis apparet, veremini, ne aliqui locorum Ordinarii vel eorum in spiritualibus Vicarii vestrae super hoc assertioni non acquiescentes, ad personarum ita conjugatarum separationem aliquando procedere velint, in grave plantationis hujus novellae, quae ob ejus, partim naturalem inclinationem, partim paucitatem, vix intra primi gradus consanguinitatis limites se continet, scandalum. Quare nobis humiliter supplicari fecistis, quatenus vobis hujusmodi facultatem per litteras nostras concedere, eamque ad forum exteriorem in illis partibus, ubi nullus omnino reperitur Episcopus, prout sunt Sinarum, Giappone, Inguambane, Giafanapaton, Imperii Monopotapa, Angolaeque regiones, et aliae Lybiae, Ethiopiae, interioris et utriusque Indiae provinciae, ad quas, aliasque idolatrarum nationes, salutiferae crucis vexilla et regenerantis aquae baptismus, sanctumque Domini et Dei nostri Jesu Christi evangelium per intrepidum charitatis et praedicationum vestrarum ministerium, Domino miserante, penetrarunt: ac etiam ad alias partes, unde Indiae praelati commode adiri nequeunt, extendere, ac alias infrascriptis necessitatibus subvenire, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur plantas illas tenellas, solidioris cibi nondum capaces, quasi lacte, donec ea, quae parvulorum sunt, evacuent, coalendas esse censentes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, ut vestrae societatis Provinciales, vel ab eis deputati Presbyteri, cum eisdem Neophytis in quocumque seu quibusvis a jure divino non prohibitis consanguinitatis vel affinitatis gradibus, vel alias conjunctis, ut impedimentis hujusmodi non obstantibus, matrimonium inter se contrahere et solemnizare, seu in jam, etiam scienter, contractis matrimoniis hujusmodi remanere valeant, in partibus videlicet ubi Ordinarii

locorum facile adiri possunt, in foro conscientiae tantum, perpetuo. Et insuper ibidem infra tamen viginti annos proxime futuros tantum, quod ipsi locorum Ordinarii de presbyterorum eorumdem tanquam adjutorum suorum et assessorum, in locis ubi eorum poterit commode haberi copia, consilio, cum illis etiam in judiciali foro, in reliquis autem provinciis Ordinariorum praesentia destitutis vel ab eis remotis, quod iidem Provinciales et deputati Presbyteri cum eisdem Neophytis, etiam in utroque foro, auctoritate apostolica gratis dispensare. Necnon eos qui in gradibus prohibitis hujusmodi, etiam scienter, contraxerint, ab istis excessibus, ac excommunicationis, aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis per eos propterea incursis, in utroque similiter foro, injuncta eis pro modo culpae poenitentia salutari absolvere, ac prolem inde susceptam vel suscipiendam legitimam decernere. Et praeterea quoniam presbyteris etiam sollicitis et diligentibus accidere potest, ut illis in fractione sacrosanctae Eucharistiae vel alias dum in altaris ministerio celebrant, aliqua Eucharistiae fragmenta seu minutiae intercidant, quos ipsi Societatis presbyteri, tam in dictis partibus, quam alibi ubilibet constituti, quibus hujusmodi minutiae vel super corporalia vel alias pro tempore interciderint, illis etiam post peractum sacrificium absque ullo conscientiae scrupulo reverenter sumere et deglutire libere et licite valeant, plenam et liberam facultatem, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus praemissis et quibusvis apostolicis etc. caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem etc. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 15 Junii 1563, Pontificatus nostri anno quarto [1].

Caeterum, ut earumdem litterarum tenor praedictus sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat auctoritate apostolica decernimus, ut illud idem robur, eamdem vim et eumdem vigorem dictus tenor per omnia habeat, quae haberent originales litterae supradictae, ac eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur quandocumque et ubicumque, sive in judicio sive alibi, ubi fuerit exhibitus vel ostensus, et eidem tenori firmiter stetur in omnibus, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibitae vel ostensae. Per hoc autem nullum jus de novo cuiquam acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 28 Novembris 1576, Pontificatus nostri anno quinto.

---

[1] Cfr. supra doc. 191.

343

Veluti Iesu Christi

Sec. Brev. 68 fol. 237rv; 69 fol. 561r-562r; 70 fol. 556rv — die 8 ianuarii 1577

INDULGENTIA PRO ECCLESIIS FRATRUM MINORUM DE OBSERVANTIA

Eximiae dilectionis Iesu Christi in sanctum Franciscum memor, Summus Pontifex christifidelibus qui ecclesias Fratrum Minorum de Observantia in regno *Perú,* Nova Hispania et aliis partibus Indiarum devote visitant, in die festivitatis sancti Francisci indulgentiam plenariam concedit si inibi *pias ad Deum preces pro Sedis Apostolicae exaltatione et haeresum extirpatione effuderint.*

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes literas inspecturis salutem etc. Veluti Iesu Christi Domini nostri in beatum Franciscum specialis et eximiae cuiusdam dilectionis signum fuit, Michaelem Archangelum Seraphim crucifixi effigiem inter alas continentem divo Francisco, qui in solitudinem montis Alverni se contulerat, apparuisse, eiusque manibus et pedibus clavorum Domini vestigia impressisse; sic nobis tanti viri quem praecaeteris amasse et ornasse Dominum constat merita et memoriam recoli volentes sub eius nomine Deo sacratas ecclesias indulgentiarum convenit nos ornare muneribus, ut eius intercessione tandem adiuti gratia nobis assistente Domina caelestis Patriae possimus esse consortes. Cum itaque sicut accepimus ad ecclesias domorum ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum in regno de Perù, Novae Hispaniae et aliis partibus Indiarum in earum dedicationum festivitatibus magnus fiat populi concursus, ut igitur dictae ecclesiae congruis frequententur honoribus et christifideles eo liben-

tius devotionis causa ad illas confluant, quo exinde dono coelestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos, precibus quoque dilectorum filiorum Christophori de Capite Fontium ministri generalis ac Didaci de Villades procuratoris generalis ordinis fratrum minorum de observantia nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui easdem ecclesias seu earum aliquam in festo Sancti Francisci a primis vesperis usque ad occasum solis diei dicti festi annis singulis devote visitaverint et inibi pias ad Deum preces pro Sedis Apostolicae exaltatione haeresumque extirpatione effuderint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et indulgemus. Presentibus quarum transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides adhibere volumus, quae ipsis presentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae, perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 8 ianuarii 1577, pontificatus nostri anno quinto [1].

---

[1] In margine additur: Generalis dicti ordinis dixit Sanctissimum Dominum nostrum concessisse.

344

Sane comprobata vestri

Arm. XLII 29 fol. 65r-66r — die 15 ianuarii 1577
Sec. Brev. 42 fol. 19v-21r

FACULTATES VIVA VOCE SOCIETATI IESU DATAE LITTERIS CIRCUMSCRIBUNTUR

Propter zelum missionariorum Societatis Iesu in propagatione fidei, et difficultates episcopos adeundi, Pius V aliquibus eorum in Indiis Orientalibus

degentibus, viva voce concessit, ut nondum ad sacros ordines promotos ad omnes ordines etiam extra tempora, interstitiis temporum non observatis et aliquando ante annum tantum aetatis legitimae, dummodo aliae ordinandorum qualitates defectum supplent, ordinari facere possent. Gregorius XIII facultates istas etiam ad Iaponiam, Indias Occidentales, Brasiliam, *México, Perú,* et Insulas maris Oceani extendit. Ne Ordinarii loci concessiones illas in dubium vocare possint, quia viva voce tantum datae erant, praesentibus litteris circumscribuntur.

Gregorius XIII

Dilectis fratribus generali aliisque prepositis et presbiteris societatis Iesu.

Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Sane comprobata vestri in christianae religionis ad exteras infidelium nationes introducendo et propagando cultu religiosi zeli et instituti fidelitas ac sedula per vos impensa et abundantiori sperata profectu opera nostram interpellat auctoritatem ut illa quae ad maiorem Dei gloriam favorabili expectatione per nos postulantur desideratis animis concedamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra petitio continebat quod alias vobis seu vestrum aliquibus India degentibus ob navigationis ad loca, ubi episcopi residebant accedendi difficultatem ut religiosi Societatis vestrae nondum ad sacros ordines promoti extra tempora a iure statuta etiam forsan interstitiis temporum huiusmodi non expectatis ad eosdem ordines et aliquando etiam ante aetatem legitimam dummodo defectus aetatis ad id a sacro Concilio Tridentino requisitae annum non excederet, atque coeterae ordinandorum qualitates defectum aetatis supplerent, promoveri et sic promoti postmodum in illis ac in altaris ministerio ministrare missasque et alia divina officia celebrare valerent sanctae memoriae Pius V predecessor noster de speciali gratia ad decennium tantum valitura die 4 mensis ianuarii 1569 vivae vocis oraculo concessit, nosque postmodum huiusmodi concessionem aliaque privilegia quomodolibet alterutri Indiae concessa ad utramque Indiam Brasiliamque ac Novam etiam Hispaniam per quasdam nostras in forma brevis litteras extendimus, prout in illis plenius continetur. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat tam in Orientalis Indiae Iapaniam usque quam in Brasiliae et Occidentalis Peru videlicet et Mexicanis regionibus insulisque maris Oceani in quibus operariorum penuria viget nonnisi magno labore et temporis dispendio ad nostros levitici ordinis praelatos spiritualisque militiae in terris duces aut propter eorum absentiam, improsperamque valetudi-

nem, aut occupationes, seu etiam illorum in illis partibus raritatem sediumque episcopalium tum longissimam distantiam, tum vacantiam dum ea contingit diuturnissimam, seu etiam pluribus in regionibus episcoporum carentiam Apostolicae auctoritatis nobis divinitus attributae et per nos iisdem prelatis qui vices nostras in diversis terreni orbis partibus quibus nostra presentia ac salutifera provisio officiique nobis crediti diligens studium id terrarum causantibus intervallis corporaliter adesse non potest circa gregis dominici curam subeunt communicatae impertitionem et administrationem ab ipsis praelatis consequi potestis, tum etiam quia cum litterae dictae concessionis expeditae non fuerint veremini ne aliqui locorum ordinarii vel eorum in spiritualibus vicarii vestrae super hoc assertioni non acquiescant, et propterea nobis humiliter supplicari fecistis ut pii patris familias sollicitudinem gerentes in premissis oportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur humilibus precibus vestris adducti vobis ut religiosi dumtaxat vestram societatem ingressi et utriusque Indiae, Brasiliae ac Novae Hispaniae aliasque remotissimas partes et maris Oceani Insulas peragrantes seu incolentes nondum ad ordines promoti ut ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines etiam extra tempora a iure statuta aliquibus tribus dominicis vel aliis festivis diebus etiam non interpellatis aut interstitiis temporum sic a iure aut consuetudine vel privilegio seu etiam Concilio Tridentino praefixorum minime expectatis et aliquando etiam si unius anni tantum ad requisitam aetatem defectum patiantur dummodo tamen aliae ordinandorum qualitates defectum huiusmodi suppleant promoveri et promoti in illis ac in altaris ministerio ministrare missasque et alia divina officia celebrare ac sacramenta ecclesiastica, evangelicam predicationem, confessionum auditionem aliaque omnia et singula quae vobis Societatique vestrae concessa sunt exercere de tua fili generalis praeposite vel provincialium seu aliorum a te deputatorum vel deputandos licentia libere et licite valeant ac tam eis recipiendi quam Antistitibus conferendi ordines huiusmodi licentiam et facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus defectu aliisque praemissis necnon quibusvis Apostolicis ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis quibuscumque presentibus ad alterum decennium a fine dicti decennii computandum dumtaxat valituris. Volumus autem quod presentium transumptis manu alicuius notarii publici subscriptis et alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae sive ipsius Societatis sigillo munitis ea prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae originalibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die XV ianuarii 1577 anno 5°.

345

Ad augendam fidelium religionem

Sec. Brev. 68 fol. 281rv die 1 februarii 1577

INDULGENTIAE PRO ECCLESIA MONASTERII
B.M. CONCEPTIONIS IN CIVITATE *MÉXICO*

Summus Pontifex christifidelibus qui ecclesiam monasterii Beatae Mariae Virginis Conceptionis in civitate *México* in festivitatibus sanctae Annae et sanctorum Egidii et Francisci visitant indulgentiam plenariam concedit, si pro concordia principum catholicorum, pro extirpatione haeresum et pro exaltatione Ecclesiae pias preces ad Deum effuderint; in festivitatibus Beatae Mariae autem indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes literas inspecturis salutem etc. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam monasterii beatae Mariae Conceptionis civitatis Mexican. Indiarum maris Oceani ad quam sicut accepimus dilectus filius Egidius Gonzalez de Avila singularem gerit devotionis affectum in Sanctae Annae ac Sanctorum Egidii et Francisci festivitatibus a primis vesperis usque ad occasum solis singularum festivitatum huiusmodi singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia et unione ac haeresum extirpatione Sanctaeque matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint quo die ex predictis id egerint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur; qui autem etiam contriti et

confessi in singulis eiusdem beatae Mariae festivitatibus pariter visitaverint septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino harum serie relaxamus contrariis non obstantibus quibuscumque, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die prima februarii 1577, pontificatus nostri anno quinto [1].

---

[1] In margine additur: Cardinalis Gesualdus dixit Sanctissimum Dominum nostrum concessisse.

346

Salvatoris Domini nostri

Sec. Brev. 68 fol. 310v — die 1 februarii 1577

ALTARE PRIVILEGIATUM PRO CAPPELLA FAMILIAE DE AVILA

Summus Pontifex precibus Egidii Gundisalvi de Avila incolae civitatis *México*, altare cappellae familiae de Avila in ecclesia monasterii sancti Augustini Ordinis Fratrum Eremitarum eiusdem civitatis, altare privilegiatum declarat.

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Salvatoris Domini nostri Iesu Christi aeterno Patri consubstantialis et coaeterni qui pro redemptione generis humani de summo coelorum solio ad huius mundi etc. de divina etc. confisi. Praecibus etiam dilecti filii Egidii Gundisalvi de

Avila incolae civitatis Mexican. Indiarum maris Oceani nobis super hoc humiliter porrecti inclinati tenore praesentium perpetuo concedimus ut quoties quicumque sacerdos missam ad altare cappellae familiae de Avila sitae in Ecclesia monasterii Sancti Augustini ordinis fratrum eremitarum eiusdem civitatis Mexican. pro liberatione unius animae etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die prima februarii 1577, anno quinto [1].

[1] In margine additur: Cardinalis Granvellanus dixit Sanctissimum Dominum nostrum concessisse.

347

Oblatae nobis nuper

Sec. Brev. 68 fol. 296v-297v; 107 fol. 182rv — die 5 februarii 1577

DISPENSATIO IN SECUNDO AFFINITATIS GRADU

In provincia *Cuba* pauci tantum Hispani habitant et adhuc pauci nobiles existant qui possint invicem matrimonium contrahere nisi inter consanguineos. Maria de Rojas nobilis aetatis matrimonium inire cupit cum Roderico de Carrera. Sed quia secundo affinitatis gradu sibi invicem coniuncti sunt, dispensationem apostolicam implorarunt. Summus Pontifex, de praemissis certam notitiam non habens, episcopo dioecesis Sancti Iacobi de *Cuba* mandat, ut sese de praemissis diligenter informet et ab impedimento auctoritate apostolica dispenset, dummodo dicta Maria ab aliquo rapta non fuerit.

Gregorius XIII

Venerabili fratri episcopo seu dilecto filio officiali Sancti Iacobi del la Cuba in partibus Indiarum maris Oceani.

Venerabilis frater seu dilecte fili salutem etc. Oblatae nobis nuper pro parte dilecti filii Roderici de Carrera laici et dilectae in Christo filiae Mariae de Rojas natae Alphonsi etiam de Rojas et Ioannae Ximenez coniugum incolarum oppidi Sancti Christophori della Nanara Sancti Iacobi de la Cuba dioecesis, Indiarum maris Oceani, quod cum ipsi incolae existant terrae valde remotae in qua admodum pauci hispani nec homines principales ad gubernium dictae provinciae idonei habitant et admodum pauci nobiles in ea existant qui possint invicem matrimonium contrahere nisi inter consanguineos seu affines et dicta Maria nobilis existat aetatis et illius parentes tractaverint medio nonnullorum amicorum de matrimonio inter dictos Rodericum et Mariam contrahendo, nec invenerint in dicta insula nec in eius circuitu sexcenta milliaria continentis in qua tres aut quatuor loci tantum paucos incolas continentes existunt, aliam personam cum qua melius et magis convenienter dicta Maria nubere possit iuxta eius qualitatem et nisi matrimonium inter eosdem Rodericum et Mariam contraheretur eadem Maria absque spe coniugii remaneret; cuperent propterea iidem Rodericus et Maria invicem matrimonialiter copulari, sed quia secundo affinitatis gradu ex eo proveniente quod dictus Rodericus matrimonium per verba de praesenti cum quadam Elisabeth de Soto secundo consanguinitatis gradu in linea aequali dictae Mariae coniuncta contraxit, invicem se attinent desiderium eorum in hac parte adimplere non possunt absque nostra et Sedis Apostolicae dispensatione. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt tam Rodericus quam Maria predicti quatenus in praemissis de opportunae dispensationis beneficio providere de benignitate apostolica dignaremur; nos igitur eosdem Rodericum et Mariam a quibusvis excommunicationis etc. censentes, nec non de praemissis certam notitiam non habentes, fraternitati tuae, frater episcope, seu discretioni tuae fili officialis per presentes committimus et mandamus quatenus deposita per te omni spe cuiuscumque muneris aut praemii etiam sponte oblati a quo te omnino abstinere debere monemus de praemissis te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi praemissa vera esse repereris prout superius enarratur cum eisdem Roderico et Maria dummodo dicta Maria propter hoc ab aliquo rapta non fuerit, quod impedimenta secundi affinitatis gradus huiusmodi in linea aequali non obstante matrimonium inter se publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite valeant auctoritate nostra dispenses prolem suscipiendam exinde legitimam decernendo. Volumus autem quod si spreta monitione nostra huiusmodi aliquod munus aut praemium etiam sponte oblatum recipere temere praesumpseris, tu frater episcope a

regimine et administratione tuae Ecclesiae illiusque fructuum perceptione suspensus existas, tu vero fili officialis excommunicationis latae sententiae poenam incurras. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 5 februarii 1577, pontificatus nostri anno quinto.

348

Religiosam vitam eligentibus

Sec. Brev. 42 fol. 137r-139r die 1 martii 1577

ABSOLUTIO A REATU HOMICIDII ET CONCESSIO SUSCIPIENDI HABITUM RELIGIOSUM

Isabellam de Padilla in mortem viri sui cooperasse pro parte fisci regii praetenditur, ideoque iam per multum tempus in locis abditis se abscondit ne in manus iudicum incideret et ultimi forsan supplicii poena afficeretur. Simplex votum castitatis perpetuae emisit et monasterium monialium ingredi decrevit. Per Franciscum de Victoria Ordinis Fratrum Praedicatorum Summum Pontificem supplicari fecit, ut eam in hoc laudabili proposito confovere dignaretur. Gregorius XIII eam a reatu homicidii in utroque foro absolvit et postquam monasterium ingressa fuerit anno probationis non expectato professionem regularem emittere licentiam concedit. Sub excommunicationis poena officialibus, iudicibus et iustitiae ministris districte inhibet ne Isabellam molestent. Episcopis mandat ut ei ac monasterio quod ingressa fuerit efficacis defensionis praesidio assistant.

Gregorius XIII

Dilectae in Christo filiae Isabellae de Padilla mulieri Cuzchen. diocesis regni del Peru maris Occeani seu de los Characas.

Dilecta in Christo filia salutem etc. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse praesidium. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus de Victoria Ordinis fratrum praedicatorum professor, in theologia magister, tuo nomine, quod cum timore iustitiae secularis iam per multum temporis spatium delicueris in locis abditis pro eo quod pro parte fisci civitatis de la Plata aut alterius cuiuscumque etiam forsan eidem fisco adherentium praetenditur te in mortem viri tui machinatam fuisse et cooperasse, prout plures adversus te extare de ea re suspitiones et iudicia asseruntur, ac si in manus iudicum secularium huiusmodi incederes tormentis vel etiam ultimi supplicii poena, si in praemissis culpabilis reperta esses afficereris et dum in his periculis ac angustiis fecisti simplex votum perpetuae castitatis ac forsan religionis emiseris ac demum religiosam vitam amplecti, necnon in claustris Altissimo famulari certo animi iudicio; et propterea aliquod monasterium monialium Ordinis approbati in regno del Peru existens ingredi decreveris ac in eo statim habitum regularem suscipere ac incontinenti professionem per eiusdem monasterii moniales in dicto monasterio emitti solitam emittere, ac omnino profiteri intendas. Propterea nobis per eundem Franciscum pro parte tua humiliter supplicatum fuit ut in praemissis statui tuo opportune consulere simulque te in hoc laudabili proposito confovere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes favore religionis iuris rigorem mansuetudine temperandum esse huiusmodi supplicationibus inclinati te a reatu homicidii et excessibus huiusmodi quacumque ratione vel causa illius culpabilis existas, necnon quibuscumque spiritualibus et temporalibus etiam corporis afflictivis ac bonorum districtivis poenis quas propterea forsan incurristi apostolica auctoritate tenore praesentium in utroque foro penitus absolvimus et totaliter liberamus, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam praemissorum occasione quomodolibet contractam omnino abolemus et totaliter liberamus, teque in pristinum et eum in quem ante praemissa quomodolibet eras statum restituimus, reponimus et plenarie reintegramus tibique ut postquam aliquod ex monasteriis predicti regni del Peru ingressa fueris, habitumque susceperis, qui in eodem monasterio petitur, ubicumque superioribus Ordinis monasterii cuius illud fuerit, visurum fuerit expedire anno probationis non expectato professionem regularem quae in eodem monasterio emitti consuevit, emittendi ac per te emittendam professionem huiusmodi ut praefertur recipiendi liberam facultatem concedimus et impartimur, omnibusque et singulis officialibus et iudicibus, iustitiaeque ministris tam ecclesiasticis quam secularibus nunc et pro tempore in dicto regno vel alibi existentibus ne te occasione praemissorum realiter vel personaliter quoquo modo

directe vel indirecte molestent sub excommunicationis latae sententiae eo ipso incurrenda poena districte inhibemus, ac per te in expectato tempore probationis emittendam professionem ut praefertur valere, nec de illius observationem omnino teneri et obligatam esse omnibusque et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indultis, praerogativis et gratiis quibus aliae monasteriorum moniales post annum professae, etiam quoad vocem activam et passivam, quod tam alias eius monasterii moniales predicti monasterii ad officia eligere, quam ab illis ad eiusdem monasterii munera eligi valeas utuntur, potiuntur et gaudent ac uti, potiri et gaudere posse prorsus differentia sublata, ac si post annum professa fuisses, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos quavis auctoritate fungentes sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpraetandi facultate et auctoritate iudicari et diffiniri debere, irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Civitatis Regum et de Arequipa ac del Cuzco episcopis seu eorum in spiritualibus vicariis generalibus per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios tibi ac monasterio quod ingressa fueris in praemissis omnibus et singulis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostra te absolutione, abolitione, restitutione aliisque praemissis pacifice frui et gaudere, non permittentes te desuper his per quoscumque contra praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per opportuna iuris et facti remedia ac demum per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii papae VIII de una et concilii generalis de duabus dietis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac monasterii et ordinis praedictorum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus illorum tenores praesentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem; caeterum quia difficile foret presentes literas ad singula quaeque loca ubi necesse fuerit deferri, volumus et Apostolica auctoritate decernimus quod

transumptis praesentium literarum sigillo alicuius praelati ecclesiastici munitis et manu notarii publici subscriptis eadem fides tam in iudicio quam extra illud ubilibet adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum die prima martii 1577, anno quinto.

349

Desiderantes cunctorum

Sec. Brev. 68 fol. 362r-363r; 69 fol. 567v-568r; 70 fol. 562v-563r — die 1 martii 1577

TRANSLATIO INDULGENTIARUM AD ALIAM FESTIVITATEM

Pius V christifidelibus ecclesiam monasterii monialium Ordinis Sancti Augustini in Civitate Regum visitantibus in festo Annunciationis B.M.V. singulis annis indulgentiam plenariam certis modo et forma concessit. Sed quia praecipuum festum quod in dicta ecclesia celebratur est illud Expectationis partus B.M.V., quod «della O» vocatur, Gregorius XIII indulgentiam plenariam ad hoc festum transfert. Praeterea moniales monasterii omnium aliarum indulgentiarum quae aliis ecclesiis eiusdem civitatis concessae sunt, faciendo intra earum claustra quae ad illas consequendas requiruntur, participes facit.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes literas inspecturis salutem etc. Desiderantes cunctorum fidelium animarum nedum novas indulgentias proponimus verum etiam iam concessas in magis opportunum tempus transferimus, prout ex religiosorum virorum relatione noscimus expedire. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus de Victoria ordinis fratrum praedicatorum professor ac theolo-

giae magister, quod postquam felicis recordationis Pius papa V praedecessor noster christifidelibus visitantibus Ecclesiam monasterii monialium Civitatis Regum ordinis Sancti Augustini sub certis modo et forma tunc expressis in festo Annunciationis beatae Mariae virginis annis singulis in perpetuum plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concessit, considerantes autem quod dicti monasterii moniales praecipuum festum quod in earum Ecclesia celebratur esse expectationis partus eiusdem beatae Mariae virginis quod della O. [1] vocant, et annis singulis mense decembris celebratur, propterea per eumdem Franciscum moniales praedictae nobis humiliter supplicari fecerunt ut indulgentiam a praedecessore nostro praedicto in die Annunciationis concessam huiusmodi in festum praedictum della O. transferri de benignitate apostolica dignaremur; nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati indulgentiam plenariam et remissionem peccatorum praedictas in die Annunciationis christifidelibus a dicto praedecessore concessam in diem festi della O. apostolica auctoritate tenore presentium transferimus, eamdemque indulgentiam et peccatorum remissionem perinde christifidelibus in die festo della O. servata alias dicti praedecessoris literarum forma suffragari decernimus, ac si christifidelibus in die festi della O. eamdem Ecclesiam visitantibus indulgentia praedicta ab initio per eumdem praedecessorem concessa fuisset, necnon dicti monasterii moniales quod intra earum monasterii septa adimplendo ea quae in dicti praedecessoris nostri literis continentur, eamdem indulgentiam consequi posse volumus. Praeterea moniales praedictas omnium aliarum indulgentiarum et peccatorum remissionum quae aliis quibusvis ecclesiis dictae civitatis concessa sunt et pro tempore concedentur faciendo intra earum claustra quae ad illas consequendas requiruntur participes facimus, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Volumus autem et apostolica auctoritate decernimus quod transumptis praesentium literarum sigillo alicuius praelati ecclesiastici munitis et manu notarii publici subscriptis eadem fides tam in iudicio quam extra illud ubilibet adhibeatur, ac si forent exhibitae seu ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die prima martii 1577, pontificatus nostri anno quinto [2].

---

[1] Festum «della O» = festum Expectationis partus Beatae Mariae Virginis die 18 decembris. «O» est allusio ad grembi curvamen. Hoc festum introductum est a Patribus X Concilii Toletani anno 654. Cfr. Abadías Benedictinas. Encalcat-Santo Domingo de Silos, libro de Horas. Burgos 1958 p. 1455.

[2] In margine additur: D. Magister Camerae misit memoriale asserens Sanctissimum Dominum nostrum concessisse.

350

Gloriosus Deus in sanctis

Sec. Brev. 69 fol. 567rv; 70 fol. 562rv — die 1 martii 1577

INDULGENTIA PLENARIA

Pro visitantibus cappellam sanctorum Cosmae et Damiani in ecclesia sancti Dominici Civitatis Regum, ac vetitum extrahendi reliquias ex hac cappella, quas Franciscus de Victoria OP collegit eoque attulit.

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Gloriosus Deus in sanctis suis etc. Cum itaque sicut dilectus filius Franciscus de Victoria ordinis fratrum praedicatorum professor ac theologiae magister nobis exponi fecit ipse plures sanctorum reliquias in diversis mundi partibus collegerit, ac secum ad partes Indiarum maris Oceani pro excitanda devotione populorum earum regionum attulerit et in cappella Sanctorum Cosmae et Damiani sita in Ecclesia Sancti Dominici Civitatis Regum decenter ornatas collocaverit, cupiatque pro insigni quam erga eamdem cappellam gerit devotionis affectu easdem reliquias in loco in quo nunc sunt perpetuis futuris temporibus permanere, ac intactas conservare; propterea nobis humiliter supplicari fecit ut eius pio desiderio hac in parte satisfacere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dicti Francisci supplicationibus inclinati, quibuscumque personis tam secularibus quam regularibus quavis dignitate etiam episcopali praeditis quoad episcopos sub suspensionis a regimine et administratione Ecclesiae, cui praesunt seu illos praeesse contigerit et illius fructuum perceptione, quo vero ad alios inferiores excommunicationis eo ipso incurrendae per contrafacientes poenis, ne aliquid ex predictis reliquiis

ex dicta cappella extrahere aut partem vel minimam ex illis diminuere aut de loco ad locum easdem mutare vel transferre praesumant tenore presentium apostolica auctoritate prohibemus; cupientes autem cappellam huiusmodi congruis frequentari honoribus ac in dies a christifidelibus maioris devotionis ardore visitari, quo exinde dono coelesti uberius noverint se refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri etc. omnibus etc. qui cappellam predictam Sanctorum Cosmae et Damiani in festo omnium Sanctorum a primis etc. singulis annis in perpetuum visitaverint et ibi etc. plenariam etc. Non obstantibus etc. Volumus autem et auctoritate apostolica decernimus quod transumptis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die prima martii 1577, anno quinto.

351

Salutem animarum

Sec. Brev. 68 fol. 366r-367r; 69 fol. 566rv; 70 fol. 561rv — die 5 martii 1577

INDULGENTIAE PRO ECCLESIA HOSPITALIS

Franciscus de Belaltacar laicus in civitate *Popayán* hospitale ad recipiendos pauperes et peregrinos tam hispanos quam naturales suis sumptibus construi intendit. Ut ad id construi faciendum ferventius concitetur et christifideles ad visitandum eo libentius confluant, Summus Pontifex eis et infirmis diebus festis beatae Mariae Magdalenae, sub cuius invocatione hospitale eiusque ecclesia construuntur, et beatorum Petri et Pauli indulgentias impertitur.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes literas inspecturis salutem etc. Salutem animarum cunctorum fidelium desiderantes omnes quas pos-

sumus vias exquirimus et veritatis semitas investigamus per quas haereditatem Domini nostri Iesu Christi, videlicet populum fidelem dirigere valeamus et consumato nostrae mortalitatis cursu fideles ipsi spe, fide et charitate muniti ad coelestia gaudia valeant feliciter pervenire. Cum itaque sicut accepimus dilectus filius Franciscus de Belaltacar laicus zelo devotionis accensus de suis propriis bonis sibi a Deo collatis unum hospitale sub invocatione beatae Mariae Magdalenae ad effectum in eo recipiendi pauperes et peregrinos tam hispanos, quam etiam naturales indicos illarum partium et alia pietatis opera inibi exercendi in civitate Popayan partium Indiarum construi et aedificari facere intendat, ut igitur dictus Franciscus ad id construi faciendum ferventius concitetur ac christifideles ad visitandum eo lubentius devotionis causa confluant quo ex hoc dono coelestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui dictum hospitale seu illius ecclesiam postquam constructum seu constructa fuerit in eiusdem beatae Mariae Magdalenae plenariam, qui vero in beatorum Petri et Pauli apostolorum festis hospitale seu ecclesiam huiusmodi devote visitaverint et pias inibi preces ad Deum pro Sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, infidelium conversione, pace inter principes christianos confovenda et alias prout unicuique suggeret devotio effuderint, decem annos et totidem quadragenas nec non pauperibus etiam vere poenitentibus et confessis, qui eo die quo in hospitale predictum recepti fuerint, Sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum sumpserint ac similiter illis qui sic contriti et confessi dictum Eucharistiae Sacramentum sumpserint et in eodem hospitali ab hac vita decesserint respective plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus praesentibus quoad visitantes dictum hospitale seu Ecclesiam huiusmodi ad viginti annos, quoad vero in dictum hospitale recipiendos et ab hac vita in eo decedentes perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod si visitantibus hospitale seu Ecclesiam huiusmodi ac in dictum hospitale recipiendis et in eo decedentibus aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum per nos concessa fuerit praesentes literae nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 5 martii 1577, pontificatus nostri anno quinto [1].

[1] In margine additur: D. Magister Camerae misit memoriale asserens Sanctissimum Dominum nostrum concessisse.

352

Salvatoris Domini nostri

Sec. Brev. 69 fol. 620v; 70 fol. 615v — die 20 martii 1577

ALTARE PRIVILEGIATUM
PRO ECCLESIA IN CIVITATE *QUITO*, PARTIUM INDIARUM

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Salvatoris Domini nostri Iesu Christi aeterno Patri consubstantialis et coaeterni qui pro redemptione generis humani de summo coelorum solio ad huius mundi infima descendere et carnem nostram ex utero virgineo assumere dignatus est, vices licet immeriti gerentes in terris et eius exempla sectantes animabus christifidelium defunctorum in Purgatorio existentibus, quae per charitatem Deo unitae ab hac luce decesserunt et piorum suffragiis iuvari meruerunt opportuna de thesauris ecclesiae subsidia ministrare studemus, ut illae quantum divinae bonitati placuerit adiutae ad coelestem patriam facilius valeant pervenire. De divina igitur misericordia confisi precibus quoque dilecti filii fratris Ferdinandi de Luxan fratris ordinis praedicatorum nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tenore presentium concedimus ut quoties quicumque sacerdos sive secularis sive regularis missam in altari Sanctissimi Crucifixi de Quito, partium Indiarum, suo vel alterius arbitrio pro liberatione unius animae in Purgatorio existentis celebraverit, ipsa anima pro huiusmodi celebratione easdem indulgentias et peccatorum remissiones consequatur et ipsius animae liberationem pro qua celebrabitur dicta missa operetur, quas consequeretur et operaretur si predictus sacerdos hac de causa missa ad altare situm in Ecclesia beati Gregorii de Urbe ad id deputatum celebraret. Non obstantibus nostra de non

concedendis indulgentiis ad instar et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 20 martii 1577, anno quinto.

353

Salvatoris Domini nostri

Sec. Brev. 68 fol. 390r — die 20 martii 1577

ALTARE PRIVILEGIATUM
IN ECCLESIA CIVITATIS *QUITO*

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Salvatoris Domini nostri etc. De divina igitur misericordia confisi praecibus quoque dilecti filii Ferdinandi de Luxan ordinis fratrum praedicatorum nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tenore praesentium concedimus ut quoties quicumque sacerdos sive secularis sive regularis missam ad altare Sanctissimi Crucifixi sitam in Ecclesia de Quito partium Indiarum suo vel alterius arbitrio pro liberatione unius animae in Purgatorio existentis celebraverit etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 20 martii 1577, pontificatus nostri anno quinto [1].

---

[1] In margine additur: D. Magister Camerae misit memoriale asserens Sanctissimum Dominum nostrum concessisse.

354

Ad augendam

Sec. Brev. 68 fol. 380v die 22 martii 1577

INDULGENTIAE PRO CAPPELLA
SANCTAE CATHERINAE DEDICATA

Gregorius XIII

Universis etc. Ad augendam etc. Omnibus etc. qui cappellam sub invocatione Sanctae Catherinae in Monte Sinai sitam in Ecclesia Chiten. regni del Peru partium Indiarum, quam sicut accepimus dilectus filius Franciscus Iopatauche a Talpaba suis expensis construi fecit et competenter dotavit et ad eam maximum gerit devotionis affectum in festivitate eiusdem Sanctae Catherinae a primis vesperis usque ad occasum solis ipsius festivitatis singulis annis devote visitaverint et ibi etc. plenariam etc., praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 22 martii 1577, pontificatus nostri anno quinto [1].

[1] In margine additur: Cardinalis Columna attestatus est Sanctissimum Dominum nostrum concessisse.

355

Apostolatus officium

Bull. Praed. V 431-432
Hernáez II 185-186
BM II 943

die 15 aprilis 1577

PROVISIO ECCLESIAE DE *AREQUIPA* IN *PERÚ*

Antonius de Ervias Ordinis Fratrum Praedicatorum, episcopus Ecclesiae de *Arequipa* in provinciis de *Perú, quam nos hodie ereximus*, et quae iurispatronatus regis Hispaniae subest, constituitur. Professionem Fidei in manibus archiepiscopi vel decani Civitatis Regum (*Lima*) praestare et formam in scriptis suo sigillo signatam per nuntium ad Sedem Apostolicam destinare debet.

Gregorius XIII

Gregorius Episcopus Servus servorum Dei. Dilecto filio Antonio de Ervias [1] electo de Arequipa, salutem et Apostolicam benedictionem. Apostolatus officium, meritis licet imparibus etc. gubernare. Dudum siquidem provisiones Ecclesiarum omnium apud Sedem Apostolicam tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum etc. attentari. Postmodum vero Ecclesia de Arequipa, quam nos hodie in provinciis del Peru partium Indiarum maris Oceani ex certis causis de fratrum nostrorum consilio, Apostolica auctoritate ereximus et instituimus, et ad quam iuspatronatus etiam praesentandi personam idoneam infra annum quoties illius vacatio hac prima vice dumtaxat excepta

[1] Erectio et provisio Ecclesiae Arequipensis effectum non habuerunt. Ecclesia haec noviter erecta est anno 1609 (1612). Antonius de Ervias die 9 ianuarii 1579 translatus est ad Ecclesiam Verae Pacis (cfr. infra doc. 375) et die 28 septembris 1587 ad Ecclesiam Carthaginensem, quam per decem annos rexit. *Egaña* 481.

pro tempore occurrerit, carissimo in Christo filio nostro Philippo et pro tempore existenti Hispaniarum Regi Catholico, de simili consilio dicta auctoritate reservavimus, prout in nostris etc. continetur, ab eius primeva erectione huiusmodi apud Sedem predictam vacante, nos ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum eisdem fratribus habuimus diligentem, demum ad te Ordinis fratrum Praedicatorum, et theologie professorem in presbyteratus ordine constitutum, cui apud nos de vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis, fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis etc. quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta dicte ecclesie de ipsorum fratrum consilio, eadem auctoritate providemus teque illi in episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. In illo, qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dirigente Domino actus tuos predicta ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter aeterne retributionis premium etc. merearis. Volumus autem quod antequam possessionem, seu quasi regiminis et administrationis dicte ecclesie vel illius bonorum, aut maioris partis eorum assequaris, seu in illis te immisceas, fidem catholicam iuxta formam, quam sub Bulla nostra mittimus introclusam in manibus venerabilis fratris nostri archiepiscopi Civitatis Regum et dilecti filii decani ecclesie Civitatis Regum, quibus, et eorum cuilibet per alias nostras etc. mandamus quatenus ipsi, vel eorum alter professionem a te recipiant, vel recipiat antedictam, omnino profiteri, et facta huiusmodi profęssione fidei formam in scriptis tuo sub sigillo per proprium nuncium ad Sedem predictam quantocitius destinare tenearis, alioquin provisio et prefectio huiusmodi nulle sint. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice Millesimo Quingentesimo Septuagesimo septimo, Decimoseptimo Kalendas maii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

356

Exponi nobis nuper

Sec. Brev. 42 fol. 221v-222r; 68 fol. 414rv die 20 aprilis 1577

INDULGENTIA PLENARIA PRO MORIENTIBUS IN HOSPITALI SANCTI IACOBI

Sanctus Iacobus in regnis Novae Hispaniae et de *Perú* maxima veneratione gaudet. Quia fideles illarum provinciarum ob itineris magnitudinem ecclesiam Compostellanam in Hispania accedere nequeunt, Summus Pontifex procuratori generali Ordinis Fratrum Minorum de Observantia licentiam impartitur erigendi duo hospitalia, unum in civitate Mexicana alterum in civitate Limensi, ac christifidelibus inibi morientibus indulgentiam plenariam elargitur.

Gregorius XIII

Dilectis filiis Christophoro de Capite Fontium ministro, ac Didaco Vallades procuratori generali Ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum.

Dilecti fili salutem etc. Exponi nobis nuper fecistis quod in Regnis Novae Hispaniae et del Peru ac omnibus Indiarum maris Occeani partibus sanctus Iacobus apostolus uti regnorum Hispaniarum specialis patronus in maxima veneratione habetur, et christifideles in dictis regnis habitantes ad civitatem et ecclesiam Compostellanam, in qua eiusdem sancti Iacobi apostoli corpus requiescit, cuiusque nomini dicta ecclesia dicata fuit, ob itineris magnitudinem, illiusque incommoda accedere nequeant, nos eorumdem fidelium in illis partibus degentium animarum saluti consulere volentes vestris hac in parte supplicationibus inclinati, vobis et cuilibet vestrum unam in civitate Mexicana Novae Hispaniae et alteram in civitate Regum seu de Lima

nuncupata in Peru hospitalia seu domos eiusdem sancti Iacobi erigendi et instituendi licentiam et facultatem apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et impartimur; necnon de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui in dictis hospitalibus seu eorum altero postquam constructa et erecta fuerint, mortem obierint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem apostolica auctoritate tenore praesentium elargimur praesentibus, perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 20 aprilis 1577 anno quinto.

357

Salvator noster

Sec. Brev. 69 fol. 579rv; 70 fol. 574rv — die 23 aprilis 1577

INDULGENTIAE

Pro sacello sub invocatione B.M. *de la Antiqua* in ecclesia civitatis *Quito*, a duobus laicis sumptibus suis erecto.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus praesentes literas inspecturis salutem etc. Salvator noster Iesus Christus Dei filius Summo Patri consubstantialis et coaeternus, ut humanum genus a primi parentis prevaricatione aeterna morte damnatum salvum faceret et ipsi Patri reconciliaret, de eiusdem Patris sinu ad huius mundi infima descendere et carnem nostram ex utero virgineo assumere et tandem crucis patibulo affigi et mortem temporalem subire dignatus est, unde nos pie consi-

derantes humana merita ad salutem ipsam consequendam fore poenitus imparia fideles quoslibet ad visitandum Ecclesias et alia pia loca spiritualibus muneribus et gratiis indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus libenter invitamus ut per hoc et aliarum sanctarum operationum exercitium aeternam beatitudinem valeant foeliciter adipisci. Cum itaque sicut accepimus dilectus filius Bernardinus de Cisneros laicus et dilecta in Christo filia Bernardina de Carausa mulier coniuges, incolae civitatis Sancti Francisci del Quito regni del Peru partium Indiarum pia devotione ducti quamdam perpetuam cappellaniam sub invocatione beatae Mariae del Antiqua nuncupatae in Ecclesia Quiten. de licentia loci ordinarii sumptibus suis et expensis construi et aedificari fecerint, ut igitur christifideles ad cappellaniam predictam eo lubentius devotionis causa confluant, quo ex hoc dono coelestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui dictam cappellaniam in Annunciationis et Assumptionis beatae Mariae virginis festivitatibus in primis vesperis [1] usque ad occasum solis dictarum festivitatum devote visitaverint et inibi pias ad Deum preces pro catholicae fidei propagatione et Sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione devote effuderint primo, decimo et ultimo annis plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur, alias autem septem annos et totidem quadragenas de eis iniunctis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus praesentibus ad viginti annos dumtaxat valituris. Volumus autem quod si visitantibus dictam cappellaniam aut alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes literae nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 23 aprilis 1577, anno quinto.

---

[1] Sec. Brev. 70 fol. 574v: a primis vesperis.

358

Romanus Pontifex

Sec. Brev. 69 fol. 575r-576r; 70 fol. 570rv die 24 aprilis 1577

INDULGENTIA PLENARIA

Pro ecclesia B.M.V. del Rosario provinciae de *Riobamba,* aliique favores spirituales pro christifidelibus eiusdem ecclesiae.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes literas inspecturis salutem etc. Romanus Pontifex cui per beatum Petrum in terris a Domino collata est ligandi atque solvendi potestas ad excitandam fidelium devotionem Ecclesias in honorem sanctorum dedicatas indulgentiarum muneribus ornat ut christifideles ipsi sanctorum eorumdem recolentes memoriam et eorum Ecclesias visitantes quod suis meritis non valent impetrare apud Deum illorum intercessione mereant. Cum itaque sicut accepimus in Ecclesia beatae Mariae virginis del Rosario nuncupatae provinciae de Riobamba, diocesis Quiten., in partibus Indiarum maris Oceani reliquiae sanctorum martyrum Zenonis et sociorum suorum cum debita reverentia et honore collocatae existant et dilectus filius Ioannes Sanchez de Minno presbiter dictae Ecclesiae vicarius eidem per viginti annos deservierit Sacramenta Ecclesiastica administrando et Indos ad fidem catholicam convertendo, ut igitur Ecclesia ac reliquiae huiusmodi in debita veneratione habeantur et a christifidelibus congruis frequententur honoribus ipsique christifideles eo lubentius devotionis causa ad ecclesiam et reliquias huiusmodi confluant, quo ex hoc dono coelestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolo-

rum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui dictam ecclesiam in festo Sancti Ioannis Baptistae a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem festi singulis annis devote visitaverint et pias inibi preces ad Deum pro Sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione, principum cristianorum unione et infidelium conversione et alias prout unicuique suggeret devotio effuderint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem apostolica auctoritate tenore praesentium elargimur, ipsisque christifidelibus ut aliquem idoneum presbiterum secularem vel cuiusvis ordinis regularem ab ordinario approbatum in suum possint dicto festo dumtaxat eligere confessorem, qui eorum confessione diligenter audita a sententiis, censuris et poenis si quibus quomodolibet innodati fuerint absolvat et debitam pro commissis poenitentiam iniungat, nec non ipsi christifideles in dicta Ecclesia etiam si illa ecclesiastico interdicto ordinaria supposita sit auctoritate dummodo non dederint causam interdicto dicto festo missam audire valeant indulgemus; nec non qui recitaverint bis coronam seu rosarium beatae Mariae virginis eodem die festo pro exaltatione fidei catholicae et status ecclesiastici conservatione ac Indorum infidelium conversione, recitatio coronae seu rosarii huiusmodi pro anima in Purgatorio existente per modum suffragii, quantum divinae bonitati placuerit, operetur, concedimus praesentibus pro una vice dumtaxat perpetuo valituris. Volumus autem quod si aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum per nos visitantibus dictam Ecclesiam concessa fuerit presentes literae nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 24 aprilis 1577, anno quinto.

359

Reddituri de commisso

Sec. Brev. 68 fol. 418v-419v; 69 fol. 571v; 70 fol. 566v — die 24 aprilis 1577

INDULGENTIAE PRO ECCLESIA HOSPITALIS

Rationis divinae iustitiae reddendae memor, Summus Pontifex omnes christifideles ab omni labe mundatos Deo restituere cupit. In hospitale sancti Petri civitatis Sanctae Fidei pauperes peregrini, infirmi aliaeque miserabiles personae recipiuntur. Maria de Abreo vidua per octo annos iam infirmis inservit. Summus Pontifex, ad invitandum alios quoque christifideles ad huiusmodi opera exercenda, omnibus cappellam hospitalis visitantibus, administratoribus et officialibus hospitalis ipsisque infirmis in die festivitatis sancti Petri indulgentiam plenariam elargitur, si pias inibi preces ad Deum effuderint pro Sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione, principum christianorum unione, infidelium conversione *et alias prout unicuique suggeret devotio.*

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes literas inspecturis salutem etc. Reddituri de commisso nobis grege in extremo iudicio rationem summis ut tenemur affectibus cunctos christifideles quos a iustitiae limitibus hostis humani generis saepe divertit nostro piissimo redemptori qui non mortem, sed poenitentiam desiderat peccatorum ab omni labe mundatos restituere, eosque sibi acceptabiles et bonorum operum efficere cupimus sectatores, ut pergrata et accepta Deo opera illius qui misericordiarum Pater est gratiam et misericordiam valeant facilius reperire et nos in ipsa ratione reddenda divinae iustitiae possimus evadere ultionem. Cum itaque sicut accepimus in hospitale sub invocatione Sancti Petri civitatis Sanctae Fidei partium Indiarum maris Oceani multi pauperes peregrini et infirmi ac aliae miserabiles personae benigne recipiantur et in eo ab eorum infirmitatibus curentur et dilecta in Christo filia Maria de Abreo vidua inibi dictis pauperibus infirmis per octo annos inserviat et alia charitatis opera exerceat; ut igitur tam dicta Maria quam alii christifideles ad huiusmodi opera exercenda invitentur et eo lubentius dicto hospitali inserviant quo ex hoc dono coelestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui cappellam dicti hospitalis in festivitate Sancti Petri a primis vesperis usque ad occasum solis dicti festi devote visitaverint et pias inibi preces ad Deum pro Sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione, principum christianorum

unione, infidelium conversione et alias prout unicuique suggeret devotio effuderint, nec non tam administratoribus et officialibus ac familiaribus dicti hospitalis, quam ipsis infirmis et pauperibus in eodem hospitali morientibus etiam vere poenitentibus et confessis, respective plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem apostolica auctoritate tenore praesentium elargimur, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod si aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura visitantibus dictum hospitale seu in eo morientibus per nos concessa fuerit, praesentes literae nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 24 aprilis 1577, pontificatus nostri anno quinto [1].

---

[1] In margine additur: D. Magister Camerae misit memoriale asserens Sanctissimum Dominum nostrum concessisse.

360

Illius fulciti praesidio

Hernáez I 187-189 die 1 maii 1577

ERECTIO ECCLESIAE CATHEDRALIS DE *TRUJILLO* IN *PERÚ*

Ad evangelizandos novos populos Ecclesiae episcopales pro eminentia Sedis Apostolicae eriguntur. In provinciis *Perú*, propter locorum distantiam, praesules necessitatibus spiritualibus occurrere nequeunt. Ideoque in antiquissimo et nobilissimo oppido *Trujillo*, ubi adest ecclesia parochialis sub invocatione Conceptionis Beatae Mariae Virginis, Ecclesia cathedralis erigitur. Nova dioecesis iuri metropolitico archiepiscopi Limensis subicitur, regi Philippo definitio limitum committitur. Mensae episcopali redditus annui assignantur. Iuspatronatus et praesentandi personas idoneas ad beneficia ecclesiastica Philippo regi traditur.

Gregorius XIII

Gregorius Episcopus, Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Illius fulciti praesidio, cuius terrae cardines, et cui cogitationes hominum praeparantur, ac cujus providentia ordinationem suscipiunt universa, partes officii, Nobis desuper concessi, ad ea libenter interponimus, per quae singulis in tenebris constitutis, ut ad verum lumen, quod est Christus, pervenire possint, lucis radii resplendeant, unde in singulis locis, prout illorum necessitas et aliae rationabiles causae id exigunt, novas Episcopales Sedes Ecclesiasque pro excellenti Sedis Apostolicae praeeminentia plantamus, ut per novas plantationes nova populorum adhaesio militanti Ecclesiae accrescat, Religionisque Christianae Fidei professio ubique consurgat, dilatetur et floreat, ac loca etiam humilia illustrentur, et eorumdem locorum incolae et habitatores novarum Sedium et honorabilium Praesulum assistentia circumfulti, auctore Domino, felicitatis aeternae praemia facilius valeant adipisci.

Sane cum in Provinciis del Perú, partium Indiarum Maris Occeani, sub ditione Charissimi in Christo Filii nostri, Philippi, Hispaniarum Regis Catholici, existentibus, et per eum seu ejus progenitores adquisitis Praesules Ecclesiarum, propter locorum distantiam et populorum frequentiam, nec commode nec in tempore Dioeceses suas visitare, et necessitatibus spiritualibus occurrere possint, et in Oppido de Truxillo [1], Civitatis Regum Dioecesis, dictarum partium, quod antiquissimum et nobilissimum ac mille foculariorum existit, distatque a Civitate Regum ducentis et quadraginta milliaribus vel circiter, adest quaedam Parochialis Ecclesia, sub invocatione Conceptionis Beatae Mariae Virginis, apta erigi in Cathedralem; Nos, habita super his cum Fratribus nostris deliberatione matura, de illorum consilio et Apostolicae potestatis plenitudine, praedicto Philippo Rege super hoc Nobis humiliter supplicante, ad Omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac ejusdem Gloriosissimae Beatae Mariae Virginis, totiusque Curiae coelestis honorem et Fidei praedictae exaltationem, Oppidum praedictum ac eam partem Provinciae Civitatis Regum, quam praedictus Philippus Rex ad id duxerit assignandam et positis limitibus distinguendam, illorumque districtus, territoria, villas, Clerum, Populum et personas, ac praedictam Parochialem Ecclesiam, et alias Ecclesias, Monasteria,

[1] Non est permutandum cum «Truxillos» vel «Trugillensis» (Comayaguensis) in Guatemala, nec cum «Truxillo» in Honduras.

Hospitalia ac pia loca, et Beneficia Ecclesiastica saecularia, et quorumvis Ordinum Regularia, ab eadem Dioecesi, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo separamus et segregamus, illaque omnia a jurisdictione, superioritate, erectione, visitatione, dominio et potestate Archiepiscopi Civitatis Regum, nunc et pro tempore existentis, quoad legem Dioecesanam eximimus et totaliter liberamus; necnon Oppidum praedictum in Civitatem, quod de Truxillo nuncupetur, ac Parochialem praedictam Ecclesiam, sine praejudicio illam ad presens obtinentis in Cathedralem Ecclesiam, de Truxillo nuncupandam, pro uno Episcopo, qui eidem Ecclesiae praesit et illius aedificia ampliari et ad formam Cathedralis Ecclesiae redigi procuret, necnon in illa illiusque Civitate verbum Dei praedicet, atque eorum incolas Infideles ad Fidei praedictae cultum inducat et convertat conversosque in eadem Fide constituat et confirmet, atque eis Baptismi gratiam impendat, Sacramentaque Ecclesiastica administret, administrarique faciat; necnon in Ecclesia, Civitate et Dioecesi de Truxillo hujusmodi, jurisdictionem Episcopalem et auctoritatem exercere valeat, ac Dignitates, Canonicatus et Praebendas, caeteraque Beneficia Ecclesiastica cum cura et sine cura erigat et instituat, ac alia faciat, prout Divini cultus augmento et animarum saluti expedire viderit, quique Archiepiscopo Civitatis Regum, pro tempore existenti jure Metropolitico subsit, ac ex omnibus fructibus pro tempore provenientibus, praeter quam ex auro et argento ac aliis metallis, gemmis et lapidibus pretiosis, quae pro tempore existentibus Hispaniarum Regibus quoad hoc libera esse decernimus, Decimas et Primitias, caeteraque alia Episcopalia jura, prout alii Episcopi in Regnis Hispaniarum de jure vel consuetudine exigunt et percipiunt, exigere et percipere libere et licite possit, cum Sede et mensa ac aliis insignibus et jurisdictionibus Episcopalibus, necnon privilegiis, immunitatibus, et gratiis, quibus aliae Cathedrales Ecclesiae ac illarum Praesules, in eisdem Regnis, de jure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, utatur, potiatur et gaudeat, auctoritate et tenore praemissis, etiam perpetuo erigimus et instituimus; ac eidem sic erectae Ecclesiae dictum Oppidum in Civitatem, ut praemittitur, erectum, pro Civitate, et partem Provinciae segregatam praedictam pro Dioecesi, necnon Ecclesiasticas pro Clero et saeculares personas in Civitate et Dioecesi de Truxillo huiusmodi pro tempore degentes pro Populo, eisdem auctoritate et tenore, concedimus et assignamus, ac Civitatem et Dioecesim de Truxillo, illarumque Clerum et Populum hujusmodi Episcopalem et Ordinariam jurisdictionem Episcopo de Truxillo: quo vero ad Metropolitana et Provincialia jura Archiepiscopo Civitatis Regum pro tempore existenti subjicimus;

necnon mensae Episcopali de Truxillo, pro ejusdem dote, redditus annuos ducentorum ducatorum auri de Camera per ipsum Philippum Regem, ex redditibus annuis in dicta Provincia Civitatis Regum ad eum spectantibus, assignandos, donec fructus ipsius mensae ad valorem ducentorum ducatorum similium ascendant, ex nunc prout ex tunc, et e contra, postquam assignati fuerint, ut praemittitur, dictis auctoritate et tenore, applicamus et appropriamus. Et insuper jus Patronatus et praesentandi personas idoneas infra annum, tam ad erectam Ecclesiam quoties illius vacatio, hac prima vice dumtaxat excepta, occurrerit, Romano Pontifici pro tempore existenti per eum in ejusdem Ecclesiae de Truxillo Episcopum et Pastorem, ad praesentationem hujusmodi, praeficiendum, quam ad Dignitates, Canonicatus et Praebendas ac Beneficia erigenda hujusmodi etc., quae Philippus et pro tempore existens Rex praedictus duxerit ibidem dotanda, tam ab illorum primaeva erectione, postquam erecta et dotata fuerint, ut praefertur, quam quoties ex tunc deinceps pro tempore vacabunt, Episcopo de Truxillo pro tempore existenti, similiter per eum praesentationem hujusmodi, in ipsis Dignitatibus, Canonicatibus et Praebendis ac Beneficiis instituendis eidem Philippo et pro tempore existenti Regi, ratione dotationis et merae adquisitionis eisdem auctoritate et tenore, de simili consilio, similiter perpetuo reservamus et concedimus, sibique limites pro distinctione Dioecesis praedictae de Truxillo hujusmodi ponendi et instituendi facultatem impertimur. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac dictae Ecclesiae Civitatis Regum juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae separationis, segregationis, exemptionis, liberationis, erectionis, institutionis, concessionis assignationis, subjectionis, applicationis, appropriationis, reservationis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, Kalendis Maji, Pontificatus nostri anno quinto.

361

Sedes Apostolica pia mater

Sec. Brev. 42 fol. 237v-240r . die 4 maii 1577

COMMISSIO ABSOLUTIONIS PROPTER BIGAMIAM ET INIUNCTIO AD PRIOREM UXOREM REDEUNDI

Ioannes Baptista Morales, laicus Hispalensis, vigesimum primum annum aetatis suae agens, matrimonium iniit cum Marianna de Labrera. Per octodecim menses cum ea vixit et prolem suscepit. Propter dissensiones cum socero et socro in provinciam *Perú* Indiarum Occidentalium se contulit. In oppido *León de Guanesco* commoratus est. Mille et quingentis ducatis ei a Beatrice de Figueroa oblatis, ut matrimonium iniret cum Beatrice de Pineda, Ioannes Baptista, perpendens sibi non licere duas uxores habere, recusavit, sed instigante Beatrice de Figueroa vi ad ecclesiam ductus et Beatrici de Pineda matrimonialiter coniunctus est, cum qua tres aut quatuor menses permansit, ducentis ducatis pro dote receptis. Pro recuperanda reliqua parte dotis in civitatem *Cuzco* se contulit, Beatricem pregnantem relinquens. Ad eam sine dote reversus consilium coepit ad primam uxorem redeundi, postquam per viginti quasi annos in *Perú* vixerat. Accusatus se duas uxores habere, in civitate *Quito* in carcerem detrusus est, ex quo autem nocte evasit et per aliquos annos huc illuc discurrendo in Hispaniam reverti declinavit, propter metum primae uxoris, quam Beatrix certiorem fecerat. Beatrix Ordini religioso nomen dedit, Ioannes ad Mariannam reversus est et propter metum iustitiae saecularis Romam se contulit ut clementiam Sanctae Sedis imploraret. Summus Pontifex episcopo Conchen. (*Cuenca*), generali inquisitori in regnis hispanicis, committit, ut Ioannem absolvat et ad poenitentiam reducat.

Gregorius XIII

Venerabili fratri episcopo Conchen. [1] haereticae pravitatis in Regnis Hispaniarum generali inquisitori.

Venerabilis frater salutem etc. Sedes Apostolica pia Mater recurrentibus ad eam cum humilitate filiis post excessum libenter se propitiam exhibet ac benignam. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Baptista Morales laicus Ispalensis, quod postquam ipse in vigesimo primo suae aetatis anno tunc constitutus matrimonium cum dilecta in Christo filia Marianna de Labrera muliere etiam Ispalensi contraxerat et carnali copula consumaverat, ac cum ea per octo decem menses vel circa permanserat, prolemque exinde susceperat cum graves contentiones iniuriae et contumeliae per suos socerum et socrum sibi illibatae fuissent, ac illarum pertesus ad partes Indiarum occidentalium annis iam lapsis viginti vel circa se contulisset et in loco Leon de Guaneso nuncupato, provinciae del Peru, appulisset, ac ibidem dilectam in Christo filiam Beatricem de Figueroa ex principalioribus dicti loci saepius ipsum Ioannem Baptistam ad matrimonium cum dilecta in Christo filia Beatrice de Pineda defectum natalium ex primo ipsius Beatricis de Figueroa marito praedefuncto et muliere indiana potiente contrahendum cohortatus fuisset, ac sibi pro dote dictae Beatricis de Pineda mille et quingentos ducatos obtulisset et ipse Ioannes Baptista iuvenili errore ductus oblationem huiusmodi animo et intentione ad primam eius uxorem, quam summo amore et continua memoria prosequebatur, statim recepta dote huiusmodi revertendi acceptasset ac postmodum rem ipsam maturius perpendens sibi non licere duas uxores habere, neque dictam Beatricem de Figueroa promissam dotem sibi consignare animadvertisset et propterea matrimonium huiusmodi quantum in eo erat satagere diferret ac ex parte eiusdem Beatricis de Figueroa secundo aut tertio vocatus ad illam venire neglexisset; ipsa Beatrix de Figueroa iam contra dictum Ioannem Baptistam indignata transmisit ad eum duos familiares suos natione Hispanos qui in domo ipsius Ioannis Baptistae per eius famulum intromissi tertia hora noctis, sensibus suis avincti, eumdem Ioannem Baptistam tunc in lecto iacentem et somno lentum diversis conviitiis affecerunt sibi quod dira cominati fuerunt, nisi posterius matrimonium ad effectum reduceret; inde ipse Ioannes Baptista videns se

[1] *Cuenca* in Hispania. Episcopus erat inde ab anno 1571 Gaspar de Quiroga, qui die 6 septembris anni 1577 ad sedem metropolitanam Toletanam (*Toledo*) translatus est.

in mortis periculo constitutum, respondit se fidem suam servaturum dummodo dicta Beatrix de Figueroa conventam dotem praedictam sibi assignaret, caeterum intellexisse eandem Beatricem de Figueroa dotem huiusmodi inprompta pecunia tunc non habere et proinde matrimonium remorari, nec suum effectum consequi quo audito praefati familiares dictas pecunias ei consignatas in subiungentes discesserunt ac subsequenti die per duas horas ante solis ortum ad dictam domum reversi eidem Ioanni Baptistae ducentos ducatos numerarunt ac ipsum de lecto surgere coegerunt et ad quandam Ecclesiam, ubi per dictam Beatricem de Pineda expectabat ipsos qui Ioannem Baptistam et Beatricem de Pineda in ibi per quemdam sacerdotem nullis praecedentibus edictis matrimonialiter copulare fecerunt, celebratisque nuptiis ipse Ioannes Baptista cum dicta Beatrice de Pineda tres aut quatuor menses non sine animi sui inquietudine semper memor suae primae uxoris permansit ut cum deinde pro recuperanda parte dictae dotis ad civitatem del Cuzco per quadringenta milliaria illinc distantem se contulisset, nec id assequi potuisset, ac ad dictam Beatricem de Pineda sub spe reliquam partem dotis huiusmodi aliquando extorquendi et cum ea ad primam eius uxorem se transferendi reversus fuisset ac eamdem Beatricem de Pineda, quam in eius discessu pregnantem reliquerat, prolem sibi procreasse reperisset et inibi cognovisset se reliquam partem dotis huiusmodi a quoquam recuperare non posse post elapsos cum dicta Beatrice quinque aut sex menses animum ad partes Hispaniarum redeundi convertit, assingensque se itineri in illius progressu apud quemdam officialem seu vicarium in loco Sancti Michaelis de Gauachen residentem accusatus super eo quod ipse duas uxores superstites habebat, sed negato per eum in suo examine quod aliam quam dictam Beatricem de Pineda in uxorem haberet idem vicarius ipsum dimisit transmittendo nihilominus examen eiusdem Iohannis Baptistae ad venerabilem fratrem episcopum Sancti Francisci de Quito per cuius civitatem dictus Ioannes Baptista iter suum facere habebat, cuius occasione ipse Ioannes Baptista per dictum episcopum Sancti Francisci in huiusmodi civitate carceri mancipatus fuit, sed nocte sequenti, effracto carcere huiusmodi evasit et per aliquos annos etiam huc illuc discurrendo et latitando non ad partes Hispaniarum metu primae eius uxoris, quam dicta Beatrix de Pineda per suas literas super existentia dicti prioris matrimonii suscitare fecerat, revertendo, divagatus fuit, ac tandem per ipsum intellecto quod dicta Beatrix habita vera notitia eiusdem prioris matrimonii unam ex approbatis religionibus ingressa fuerat ad dictam eius priorem uxorem a qua cum per viginti annos abfuerat rediit, cumque apud eam per triduum permansisset et ventus iustitiam secularem adductisque nonnullorum probo-

rum ac doctorum virorum consiliis se ordinario suo pro poenitentia salutari super praemissis obtinenda praesentare decrevisset intellexit ab eius uxore se per dilectum filium Didacum de Cabrera ipsius uxoris fratrem super praemissis apud haereticae pravitatis inquisitores in dicta civitate deputatos delatum et accusatum fuisse, ipsumque Didacum et eius parentes exitium ipsius Ioannis Baptistae ac pecuniis quas ex partibus Indiarum transmiserat potiri possent, unde ipse Ioannes Baptista se dicto ordinario prout statuerat non praesentavit, sed potius dictae Sedis clementiam experiri voluit. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ioannes Baptista de praemissis plurimum doluerit et doleat de presenti, ac ab huiusmodi et aliis similibus excessibus imposterum abstinere polliceatur et intendat, personaliterque ad Romanam Curiam pro opportuno absolutionis remedio super praemissis obtinendo accesserit et in ea per annum fere moratus fuerit, ac nobis humiliter supplicari fecerit quatenus sibi de opportunae absolutionis beneficio et dispensationis gratia, ac alias statui suo in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos attendentes dictae Sedis exuberantem clementiam praemium suae pietatis petentibus claudere non consuevisse, huiusmodi supplicationibus inclinati eumdem Ioannem Baptistam officio s. inquisitionis illarum partium prius delatum fraternitati tuae duximus remittendum, prout remittimus per praesentes committentes et mandantes tibi quatenus dictum Ioannem Baptistam si id a te humiliter petierit, etiam si de praedictis aliter quam per eius assertionem minime constiterit attenta distantia locorum in partibus Indiarum, in quibus praemissa dicitur perpetrasse et laboribus per ipsum hac ratione susceptis, atque lacrymis et poenitentia quibus peccatum suum humiliter deflet a quibusvis excommunicationis, aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris necnon poenis, etiam corporis afflictivis et bonorum districtivis ac aliis quibuslibet quas propter praemissa quomodolibet incurrerit et poti deberet fornicationis reatu et excessibus huiusmodi imposita ei pro modo culpae aliqua arbitrio tuo poenitentia tua salutari citra tamen poenam corporalem, seu corporis afflictivam auctoritate nostra hac vice dumtaxat in utroque foro absolvas et totaliter liberes, dictasque poenas eiusdem remittas et condones, ipsumque de et super praemissis et illorum occasione per locorum ordinarios aut inquisitores nullatenus molestari, aut alias inquietari permittas, iniuncto tamen eidem Ioanni Baptistae ut ad priorem uxorem suam dummodo aliud canonicum non obstet impedimentum redeat et cum illa permaneat. Praemissis ac apostolicis necnon in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac etiam legibus municipalibus necnon

statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, caeterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum die 4 maii 1577, anno quinto.

362

Exponi nobis nuper

Bull. Patr. I 246
BM II 944

die 11 iunii 1577

MERITA SODALIBUS MILITIAE CHRISTI PRO PARTIBUS AFRICAE CONCESSA AD UTRASQUE INDIAS EXTENDUNTUR

Qui, habitu Militiae Christi suscepto, in partibus Africae contra infideles per certum tempus inserviunt, praemiis et honoribus insignuntur, sicuti a statutis ipsius Ordinis Militiae Christi, apostolica auctoritate roboratis, definitur. Portugalliae et Algarbiorum rex Summo Pontifici exposuit, quod *infinita propemodum Turcarum, piratarum, haereticorum et aliorum infidelium multitudo longe lateque latissimo maris Oceani tractu* vagantur et christifidelium naves et merces intercipiunt. Ideoque etiam iis, qui in regionibus et partibus Oceani [Brasilia inclusa] Militiae Christi inserviunt, eadem merita Summus Pontifex concedit.

Gregorius XIII

Charissime in Christo fili noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Exponi nobis nuper fecisti quod, licet in statutis et stabilimentis, etiam Apostolica auctoritate roboratis, Militiarum in tuis Portugalliae et Algarbiorum regnis dicta auctoritate institutarum, quarum tu perpetuus administrator, dicta auctoritate deputatus, existis, disponatur, quod illis dumtaxat, qui in partibus Africae bello

contra infideles, vel saltem in triremibus ad custodiam et tutelam locorum maritimorum dicti regni Algarbiorum instructis, per certum ad id praescriptum tempus inservierunt, et nullis aliis habitus regularis per milites dictarum Militiarum gestari solitus exhiberi, illarumque praeceptoriae concedi et assignari possint aut debeant; nihilominus tamen quia infinita propemodum Turcarum, piratarum, haereticorum et aliorum infidelium multitudo longe lateque latissimo maris Oceani tractu divagari, illudque crebris incursionibus infestare, ac Christifidelium naves, merces et commeatus intercipere, provinciasque, insulas, portus, littora et alia loca maritima, temporali tuo dominio subjecta, depraedare illarumque incolis et habitatoribus gravia et intolerabilia damna, jacturas, neces et diras servitutes inferre consuevit; nec malis hujusmodi dictis triremibus, utpote vim tempestatum et procellarum, in plerisque dicti maris Oceani partibus cooriri solitarum, aegre admodum sustinentibus, de facili occurri potest; quinimo pro eisdem Turcis, piratis, haereticis et infidelibus reprimendis propulsandisque, cogaris validas classes multiplici genere grandium navigiorum de alto bordo nuncupatorum instructas, opportunis temporibus emittere, et in illis plerosque fortes et strenuos propugnatores rei militaris peritia et virtute, animique magnitudine aliis bello Africano, et in triremibus hujusmodi inservientibus non inferiores, nec minus laboris et periculi perferentes, manutenere; expediensque, et rationi consonum existit, ut quos labor et rei bene gerendae zelus adequat, paribus praemissis et honoribus afficiantur, eorumque merita compensentur, summopere desideras eos qui in classibus et navigiis praedictis, tanto tempore continuo seu interpolato, quantum alias pro bello seu triremibus hujusmodi requiritur, inservierint, ad susceptionem habitus et assecutionem praeceptoriarum hujusmodi, dummodo alias qualitates circa hoc requisitas habeant, admitti posse, et habiles fieri in omnibus et per omnia, perinde ac si in bello Africano et in triremibus praedictis, per tempus ad id praescriptum, inserviissent, ut exinde ad strenuam et praeclaram operam in praemissis praestandam, et servitium incitarentur, eorumque meritorum agnitio aliis cadere possint in exemplum; quare nobis humiliter supplicari fecisti, quatenus tibi in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, pium hoc tuum desiderium exauditione dignum censentes, et statutorum et stabilimentorum praedictorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, statuta et stabilimenta praedicta, etiam ad hoc, ut personae, quae tuo jussu, in classibus et navigiis praedictis, per tantum tempus continuum seu interpolatum, quantum alias pro bello seu triremibus hujus-

modi, juxta dictarum Militiarum statuta requiritur, inservierint, etiamsi in bello Africano aut triremibus praedictis nullam operam praestiterint, dummodo alias qualificati fuerint, quotiescumque tibi, et pro tempore existenti magno magistro seu administratori dictarum Militiarum, placuerit, habitum praedictum, juxta ipsius Militiae consuetudinem, suscipere, et professionem, per dictos milites emitti consuetam, expresse emittere, necnon praeceptorias earundem Militiarum alias sibi canonice conferendas recipere et, quoad vixerint, retinere, illarumque fructus in suos usus et utilitatem convertere libere et licite valeant, ac alias ad hoc habiles existant in omnibus et per omnia, perinde, ac si bello Africano et in triremibus praedictis statuto ad id tempore inserviissent, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo extendimus et ampliamus.

Et nihilominus tibi, et pro tempore existenti magistro seu administratori praefato, habitum praedictum eisdem personis exhibendi, et ab illis regularem professionem hujusmodi, si illam sponte emittere voluerint, recipiendi et admittendi, ac ipsis quascumque praeceptorias earundem Militiarum concedendi et assignandi, ac tempus inserviendi in navigiis hujusmodi, quoties expediens tibi et dicto magistro seu administratori visum fuerit, extendendi plenam, liberam et omnimodam facultatem et potestatem, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo concedimus et elargimur; ac cum Magestate tua, necnon pro tempore existenti magno magistro seu administratore et personis praedictis, quatenus opus sit, desuper dispensamus.

Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, necnon praedictis et aliis Militiarum earundem, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia, roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis eis, illarumque pro tempore existenti magistro seu administratori praedicto, et conventibus ac aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie, per nos, seu quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, aut Sedem Apostolicam, etiam ad pro tempore existentium Regum Portugalliae instantiam, vel cum motu proprio et ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessa, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, prae-

sentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI Junii MDLXXVII, Pontificatus nostri anno sexto.

363

Alias siquidem

Sec. Brev. 42 fol. 426v-428v — die 17 iulii 1577

FACULTAS DISPENSANDI

Cum neophytis, ut in omnibus gradibus iure divino non prohibitis, matrimonium contrahere possint, in locis ubi Ordinarii locorum facile adiri non possunt, sed foro conscientiae tantum, pro presbyteris Societatis Iesu.

Gregorius XIII

Dilectis filiis generali [1] aliisque praepositis et presbyteris Societatis Iesu.

Dilectis filiis salutem etc. Alias siquidem postquam felicis recordationis Pius Papa IV et Pius Papa V praedecessores nostri accepto per eos, quod multi ex Indiarum aliarumque Orientalium regionum neophiti ob ipsorum naturalem inclinationem vix intra primi consanguinitatis gradus limites se continerent quodque ob pristinam eorum consuetudinem matrimonia inter se gradibus a iure prohibitis absque desuper opportuna dispensatione, seu quia Episcopi in eis nondum

[1] Claudius Aquaviva.

fuerant constituti, seu quod illi non nisi maxima cum difficultate adiri poterant contraherent presbyteris Societatis Iesu per illius generalem, praepositum vel provinciales electos, qui regiones illas verbum Dei ibidem seminando iam pridem peragrare non cessabant, cum eisdem neophitis, ut in omnibus gradibus iure divino non prohibitis, matrimonia contrahere, seu in iam contractis permanere valerent, dispensandi licentiam et facultatem sub certis modo et forma et ad certum tunc expressum tempus concesserant, idem Pius V praedecessor gratias et facultates omnes presbyteris eiusdem Societatis in Orientalibus partibus elargitas ad Societatis eiusdem in Occidentalis Indiae regionibus consistentes presbyteros extendit, et nos iustum quoque reputantes, ut singulae gratiae quae consistentibus in India Occidentali presbyteris huiusmodi seu in provinciis Brasiliae et Perù concessae erant, iis similiter qui Orientalis Indiae provinciis consisterent vicissim concederentur, ut qui sub eadem regulari disciplina et instituto degunt iidem fruerentur spiritualibus privilegiis, gratias et facultates easdem invicem communicavimus, easque omnes ad Novae Hispaniae provinciam similiter extendimus, prout in nostris et praedecessorum huiusmodi literis desuper respective confectis, plenius continetur. Cum autem sicut nobis nuper exponi fecistis, concessiones praedictas certis de causis nobis notis viribus non subsistere dubitetis, ac pro maiori novellarum plantarum salutis, fideique christianae incremento, easdem gratias et facultates vobis et neophitis huiusmodi de novo concedi desideretis, idcirco nos vobis referentibus et attestantibus admoniti easdem causas quae dictos praedecessores adduxerunt ad eas facultates concedendas in dictis Orientis et Occidentis Indiis, aliisque regionibus nunc vigore vestris in hac parte supplicationibus annuentes necnon et aequum reputantes, huiusmodi neophitis aliquid de iure canonico remitti, dictarum literarum tenores praesentibus pro expressis habentes, vosque et vestrum singulos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, quibuscumque presbyteris dictae Societatis quos tu fili generalis praeposite per te vel alios ad id eligeris, in quibusvis Orientis, Brasiliae, Perù, Novae Hispaniae et aliis ultramarinis regionibus, insulisque Occeani maris, ac Occidentalibus partibus degentibus, ut cum neophitis eisdem in quocumque seu quibusvis, iure divino non prohibitis, consanguinitatis vel affinitatis gradibus, vel alias coniunctis aut se attinentibus, ut impedimentis huiusmodi non obstantibus matrimonium inter se contrahere et solemnizare, seu si etiam scienter contraxerint de novo contrahere valeant, in partibus videlicet ubi locorum ordinarii de facili adiri non possint, in foro conscientiae tantum perpetuo et insuper ibidem infra tamen viginti annos a data praesentium computandos tantum ipsis locorum ordinariis de presbyterorum eo-

rumdem tanquam adiutorum suorum et assessorum in locis ubi eorum possit commode haberi copia, consilio et assensu cum illis etiam in iudiciali foro, in reliquis autem provinciis ordinariorum praesentia destitutis, vel ab eis non minus ducentis millibus passuum remotis eisdem presbyteris etiam in utroque foro auctoritate Apostolica gratis dispensandi, eosque ab incestus reatu et ab excessibus huiusmodi necnon excommunicationis aliisque sententiis, censuris et poenis per eos incursis, iniuncta eis pro modo culpae poenitentia salutari, in utroque foro etiam absolvendi, necnon denunciationes et alias extrinsecas solemnitates ac ceremonias cum id expedire aut necessarium esse visum fuerit omittendi, prolemque susceptam aut suscipiendam legitimam declarandi plenam et liberam facultatem et auctoritatem per praesentes concedimus et impartimur, admonentes eos nihilominus, ne his facultatibus utantur, nisi ubi expedire existimaverint, super quo eorum conscientias ducimus onerandas, ac iniungentes etiam eisdem ut neophitos istos diligenter admoneant, quod ab huiusmodi matrimoniis canonica lege prohibitis se abstineant irritum et inane decernentes quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis Apostolicis ac in generalibus vel provincialibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alias roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem praesentium exemplis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae vel etiam praepositi generalis ipsius Societatis munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quae presentibus haberetur exhibitis vel ostensis. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 17 iulii 1577, anno sexto.

364

Super gregem dominicum

Sec. Brev. 69 fol. 661rv; 70 fol. 656rv — die 11 decembris 1577

INDULGENTIA PLENARIA

Pro ecclesiis seu sacellis aut aliis locis, ubi reliquiae Sanctorum, ab Antonio de Sancto Petro Martyre de licentia Summi Pontificis ex Europa transmissae collocantur.

Gregorius XIII

Universis etc. salutem etc. Super gregem dominicum curae nostrae divinitus commissum pastoris vigilis et intenti exercentes officium singulos christifideles, quorum merita pro demeritis sunt imparia ad visitandum Ecclesias et reliquias sanctorum spiritualibus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus libenter invitamus ut ipsi christifideles eorum sanctorum precibus adiuti potiora in celis retributionis praemia valeant feliciter adipisci. Cum itaque nos hodie dilecto filio fratri Antonio de Sancto Petro martyre ordinis fratrum praedicatorum professori, procuratori provinciae de Chiappen. Indiarum eiusdem ordinis quascumque sanctorum et sanctarum reliquias ex Ecclesiis intra et extra muros urbis existentibus eidem Antonio donandas extrahendi et ad partes dictae provinciae de Chiappen. Indiarum occidentalium transmittendi, illasque in Ecclesiis seu cappellis aut aliis locis sacris cum debitis honore et reverentia collocandi facultatem per alias nostras litteras concessimus prout in dictis literis plenius continetur, ut igitur Ecclesiae seu cappellae aut loca sacra et reliquiae huiusmodi in debita veneratione habeantur et ab ipsis christifidelibus congruis frequententur honoribus, ipsique christifideles eo lubentius devotionis causa confluant, quo ex dono coelestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos de omnipotentis Dei misericordia etc. omnibus etc. qui ecclesias seu cappellas aut loca huiusmodi ubi dictas reliquias recondi continget, seu earum aliquam singulis annis die collocationis reliquiarum huiusmodi a primis vesperis etc. visitaverint et pias inibi etc. fuderint quoties id fecerint toties plenariam etc. et elargimur praesentibus ad viginti annos dumtaxat valituris. Volumus autem quod si Ecclesias seu cappellas aut loca huiusmodi visitantibus aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes literae nullius sint roboris vel momenti. Caeterum quia difficile foret presentes literas ad singula quaeque loca ubi necesse fuerit deferri volumus et dicta auctoritate decernimus quod transumpto presentium literarum

sigillo alicuius praelati ecclesiastici munito et manu notarii publici subscripto, eadem fides adhibeatur tam in iudicio quam extra illud ubilibet, quae ipsis originalibus literis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 11 decembris 1577, anno sexto.

365

Summam sacerdotis curam

Sec. Brev. 67 fol. 581v-583r — die 14 decembris 1577

FACULTAS PROMOVENDI AD SACROS ORDINES

Extra tempora et interstitiis a Concilio Tridentino praescriptis non expectatis, pro religiosis Societatis Iesu, in partibus Indiae Orientalis, Brasiliae et Guineae, aliisque provinciis et regionibus Portugalliae.

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Summam sacerdotis curam meritis licet imparibus gerentes in terris circa ea libenter intendimus opemque et operam favorabiliter impartimur per qua vera et catholica christiana religio atque doctrina piorum sacerdotum opera valeat ubique plantari et plantata opportune cogari et exinde, auctore Domino, desideratum suscipiat incrementum. Sane dilectus filius noster Henricus tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum presbiter cardinalis, Infans Portugalliae nuncupatus, apud charissimum in Christo filium nostrum Sebastianum Portugalliae et Algarbiorum Regem illustrem iuxta Apostolicae Sedis de latere legatus nobis exponi fecit se non solum fidedignorum testimoniis, verum etiam experientia ipsa comperisse presbiteros Societatis Iesu non solum in partibus Indiae Orientalis,

Brasilii et Guinee, aliisque provinciis et regionibus praedicti Regis temporali dominio subiectis, sed etiam in Portugalliae et Algarbiorum regnis quorum nonnullae partes non modica doctrina christiana ignorantia detinentur, inter ceteros agri Dominici cultores uberrimos spirituales fructus praedicando, docendo et circa alia spiritualia munera invigilando hactenus produxisse, nec cessare similes fructus in dies producere multos propterea ipsius Societatis professores in collegiis eiusdem civitatis in dictis partibus institutis Indiarum ali et reperiri harum scientia et morum integritate praeditos, qui ex eo quod sacris ordinibus non sunt insigniti sacramenta ministrare aliaque sacerdotalia munera in plerisque locis ubi eorum doctrina non parum utilis existerit exercere nequeunt; et sicut eadem subiungebat expositio si professoribus huiusmodi qui doctrina et moribus commendabiles ac in aetate legitima constituti in collegiis praedictis pro tempore reperientur concederetur et suorum superiorum praecedenti licentia et extra tempora a iure statuta, et si locorum ordinariis videbitur etiam interstitiis a Tridentina synodo ordinatis minime expectatis, ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines promoveri possent ex eo christifidelium partium praedictarum animarum profectui non parum consuleretur. Quare idem Henricus cardinalis nobis humiliter supplicari fecit quatinus in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur; nos qui venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium vota quae praesertim ex zelo pietatis prodire conspicimus favoribus prosequimur opportunis huiusmodi supplicationibus inclinati omnibus et singulis dictae Societatis religiosis in regnis, provinciis et regionibus remotis predicto Sebastiano Regi subiectis praedictis ac etiam eius pro tempore existentium regum Portugalliae [...] Apostolica auctoritate concessae nunc et pro tempore degentibus, ac etiam in regnis Portugalliae et Algarbiorum existentibus si tamen ad dictas remotas regiones fuerint destinati, ut de suorum superiorum licentia ab eorum ordinariis seu de eorumdem licentia ordinariorum aliquorum catholicorum catholico antistite gratiam et communionem Sedis praedictae habente etiam extra tempora a iure statuta et interstitiis a Concilio Tridentino praescriptis non expectatis ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines promoveri, et postquam promoti fuerint in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeant dicta Apostolica auctoritate tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus eisque et antistiti per eos eligendos huiusmodi plenam et liberam facultatem desuper concedimus et elargimur. Non obstantibus praemissis ac Apostolicis necnon in provincialibus, sinodalibus et universalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis

quibuscumque. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae seu etiam praepositi generalis ipsius Societatis munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XIIII decembris MDLXXVII, anno sexto.

366

Pastoris universalis cura

Sec. Brev. 44 fol. 3rv — die 21 ianuarii 1578

DIVERSAE FACULTATES ARCHIEPISCOPO DE *MÉXICO* CONCEDUNTUR

Summus Pontifex Petro de Contreras, archiepiscopo de *México*, facultates ad decennium impertitur loca pia ubicumque fundare, dispensare cum defectum natalium patientibus, ut ad sacros ordines promoveri ac beneficia ecclesiastica suscipere possint, similiter dispensare cum personis usque ad tertium gradum consanguinitatis vel affinitatis sibi coniunctis, etiam si iam matrimonium inierunt; monasterium monialium rite erectum auctoritate apostolica confirmare; laicis et fratribus Ordinis Minorum Franciscanorum inhibere, ne administrationi monasteriorum monialium se immisceant.

Gregorius XIII

Venerabili fratri P[etro] [1] archiepiscopo Mexicanensi.

Venerabilis frater salutem etc. Pastoris universalis cura nobis di-

[1] Petrus Moya de Contreras natus est in *Córdoba,* anno 1571 inquisitor Novae Hispaniae et anno 1573 archiepiscopus Ecclesiae Mexicanensis nominatus est; anno 1591

vinitus demandata a nobis requirit ut ubique terrarum templa et alia pia loca, in quibus et Dei omnipotentis laudes celebrari, et christiane charitatis opera exerceri possint, erigi libenter procuremus. Hinc est quod nos fraternitati tuae, de cuius probitate, integritate ac catholice religionis zelo plurimum in Domino confidimus, ut templa, xenodochia, monasteria et alia loca pia quecumque in civitate, diocesi ac provincia tuis Mexican. prout tibi per divini cultus augmento expedire visum fuerit fundare et erigere, ac cum patientibus defectum natalium, si paternae incontinentiae imitatores non sint, sed bonae conversationis et vitae et alias eis merita suffragentur ut ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines promoveri ac quaecumque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura dum non incompatibilia si eis alias canonice conferantur aut eligantur, presententur vel assumantur ad ea et instituant in eis recipere; ac etiam cum quibusvis personis tertio, ac tertio et quarto, aut quarto consanguinitatis vel affinitatis gradibus invicem coniunctis vel sese attinentibus si rationabilis causa adfuerit ut matrimonium, servata forma sacri Concilii Tridentini, inter se contrahere et in facie ecclesiae solennizare, ac postquam contractum fuerit in eo remanere, ac pariter cum illis qui huiusmodi impedimentis non obstantibus scienter vel ignoranter hactenus contraxerint ipsos ab incestus reatu et excommunicationis sententia aliisque censuris ecclesiasticis absolvendo, ut matrimonium de novo iuxta formam predictam inter se contrahere et ut prefertur solennizare ac pariter in eo remanere libere et licite valeant dispensare prolemque omnibus matrimoniis predictis suscepta et suscipienda legitimam decernere valeas, auctoritate apostolica tenore presentium ad decennium proximum duntaxat facultatem impertimur. Praeterea cum nobis significaveris quoddam monasterium monialium Reginae caeli nuncupatum istic rite erectum fuisse, tibi ut erectionem huiusmodi si rite et recte facta sit auctoritate nostra confirmare possis concedimus. Insuper tibi ut laicis quibuscumque cuiusvis status, conditionis et ordinis existentibus ne curae et administrationi quorumcumque monasteriorum monialium praesertim convertitarum civitatis et diocesis Mexicanensis nisi id eis ex indulto apostolico concessum sit se immisceant, ita ut fratribus franciscanis qui ut accepimus monasterium monialium Sanctae Clarae bis tuae curae reliquerunt, ne se in illius gubernio et administratione amplius intromittant dummodo [...] in eius possessione non existant de presenti, sub censuris ecclesiasticis et aliis tibi visis poenis inhibere

---

in Hispaniam reversus et ibi eodem anno mense decembris mortuus est in *Madrid*. BM II 925.

valeas auctoritate et tenore predictis facultatem tribuimus. Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon monasteriorum predictorum et illorum ordinum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis quomodolibet concessis et confirmatis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XXI ianuarii 1578 anno 6° [2].

[2] Litterae supplices archiepiscopi: ibid. fol. 4r-6r.

367

Salvator Dominus noster

Sec. Brev. 69 fol. 629v-630r; 70 fol. 624v-625r die 26 martii 1578

INDULGENTIA PLENARIA

Pro omnibus ecclesiis Ordinis Fratrum Minorum de Observantia in *Perú* et Nova Hispania, in quatuor festivitatibus.

Gregorius XIII

Universis etc. salutem etc. Salvator Dominus noster Iesus Christus Dei filius Summo Patri consubstantialis et coaeternus, ut humanum genus Adae primi parentis praevaricatione aeterna morte damnatum salvum faceret ad huius mundi infima descendere et ex virgineo utero carnem nostram assumere et tandem post habitam salutiferam inter homines conversationem crucis patibulo affigi dignatus est, unde nos pie considerantes humana merita ad salutem ipsam ruisse quem-

dam fore penitus imparia singulos christifideles ad visitandum Ecclesias et alia pia loca invitamus, ut per hoc et aliarum sanctarum operationum exercitium aeternam beatitudinem valeant foeliciter adipisci. Ut igitur Ecclesiae conventuum seu domorum tam in del Peru, quam Novae Hispaniae partibus existentium congruis frequententur honoribus et christifideles eo lubentius devotionis causa ad dictas Ecclesias confluant, quo ex hoc dono coelestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos praecibus quoque pro parte dilecti filii Ioannis Calici ordinis fratrum minorum Sancti Francisci de observantia professoris, qui in Indiis de superiorum mandato ad nos et Romanam Curiam se contulit nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de omnipotentis Dei misericordia etc. omnibus etc. qui unam ex ecclesiis seu domorum conventuum ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatam, tam regni del Peru quam Novae Hispaniae in festivitatibus Sancti Antonii de Padua ac Sanctae Clarae, nec non Sancti Ludovici episcopi et Sancti Bernardini, devote visitaverint et pias etc. effuderint plenariam etc. elargimur praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Caeterum quia difficile foret presentes literas ad singula quoque loca ubi necesse fuerit deferri volumus et apostolica auctoritate decernimus quod transumpto presentium literarum sigillo alicuius praelati ecclesiastici munito et manu notarii publici subscripto, eadem fides in iudicio et extra illud ubilibet adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XXVI martii 1578 anno sexto.

368

In multis maximisque

Hernáez I 567-568 die 13 maii 1578
Monumenta Historica Societatis Iesu 82.
Monumenta Peruana 2, 347-348

LITTERAE COMMENDATITIAE IN FAVOREM SOCIETATIS IESU

Ad retinendam et tuendam auctoritatem et dignitatem Apostolicae Sedis, magnopere interest, ut privilegia et decreta eius diligentissime serventur. Convenit, ut Summus Pontifex eis praesertim faveat quorum opera utitur. Inter quos sacerdotes Societatis Iesu numerantur, propter eorum zelum animarum. Episcopo de *Cuzco* eos commendat atque eum hortatur, ut ipsos privilegiis suis uti sineat.

Gregorius XIII

Venerabili Fratri Episcopo Cuzquensi. Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem. In multis maximisque curis, quibus refertum est hoc munus Pontificium, cui Nos Divina providentia, sine ullo nostro merito praefecit, summam semper rationem habendam duximus hujus Sanctae atque Apostolicae Sedis auctoritatis et dignitatis; ad eam vero retinendam et tuendam magnopere interesse judicavimus, curare ut privilegia et decreta, quae hinc proficiscuntur, quam diligentissime serventur, nec quidquam ab aliis mutetur: ac si quid dubitationis aut controversiae inciderit, ad Nos scribatur, indeque interpretatio moderatioque petatur, unde illa sunt profecta. Illud etiam magnopere convenit nostro officio et muneri, ut eos amplectamur tueamurque, quorum opera fidelissima et fructuosissima utimur. In his Sacerdotes Sodalitatis Jesu in primis numeramus; semper enim perspectam habuimus eorum pietatem et Christi gloriae atque animarum salutis zelum. Quibus de causis et superiores Pontifices et Nos eum Ordinem multis privilegiis ac decretis ornavimus. Cupimus igitur eos tuae Fraternitati quam commendatissimos esse. Volumus etiam ut ipsos suo ministerio congruenter Apostolicis privilegiis uti sinas, neque obsistas. Erit hoc dignum tua pietate, eaque observantia, quam debes Nobis atque huic Sanctae atque Apostolicae Sedi. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 13 Maji 1578, Pontificatus nostri anno septimo.

369

Ad compescendam

Sec. Brev. 43 fol. 246r-247r die 14 maii 1578
Hernáez I 567
Bull. Rom. (ed. Taurinensis) VIII 223-224

RELIGIOSI APOSTATI EX INDIA OCCIDENTALI EXPELLENDI SUNT

Religiosi quidam Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, habitu regulari dimisso, in negotia saecularia et congerendas pecunias incumbunt. Inter quos etiam nonnulli professores eiusdem Ordinis. Hoc apud Indos ad fidem catholicam conversos maximum affert scandalum. Summus Pontifex Superioribus Ordinis mandat, ut eos qui habitu regulari dimisso ad saeculum redierunt ex partibus Indiarum expellant et tamquam religionis desertores puniant.

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Ad compescendam eorum licentiam qui postquam se religioni addixerunt variis exquisitisque rationibus ad saeculum redire contendunt, nos convenit admodum esse intentos. Hoc in mundo nonnullos professores Ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum in partibus Indiarum tam del Peru quam Novae Hispaniae ponendos esse non sine gravi animi nostri molestia accepimus; illi etenim habitu eorum regulari demisso et saeculari reassumpto ex partibus predictis ad regna Hispaniarum revertuntur, quae res apud Indos ad fidem catholicam conversos maximum affert scandalum; inspiciunt enim plerosque ex eis qui in habitu humilitatis Altissimo famulantur, illo dimisso, negociis saecularibus ac congerendis pecuniis admodum esse intentos et lucri cupiditate religionis iugum, quod suave esse Dominus testatur, detrectasse, idque

apud eos non mediocrem parit admirationem. Huic igitur incommodo ex quo per horum virorum provenit scandalum presenti remedio occurrendum esse existimantes commissariis delegatis a generali ministro seu commissario generali ultramontano dicti Ordinis, seu quavis auctoritate in fratres eiusdem Ordinis praedito, eos qui habitu regulari dimisso ad saeculum rediisse etiam praetextu litterarum apostolicarum cognoverit ex partibus Indiarum expellendi et ad domos in quibus professi fuerint eisdem litteris apostolicis per subreptionem vel obreptionem obtentis non obstantibus revocandi et ad illas revocandi, ac in eosdem tamquam religionis desertores iuxta eorum excessus et delicta, eorumque regularia instituta animadvertendi, aliaque circa praemissa exequendi licentiam et facultatem apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus. Sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate ubique iudicari et diffiniri debere, irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis litteris apostolicis ad eorum favorem sub quibuscumque tenoribus et formis in contrarium concessis. Quibus omnibus eorum tenores, presentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus. Caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum die 14 maii 1578, anno 6°.

370

Unicuique optime

Sec. Brev. 43 fol. 243v-245r — die 14 maii 1578

OFFICIA COMMISSARIORUM PROROGANTUR

Cessante auctoritate Ministri generalis Ordinis Fratrum Minorum de Observantia propter finem temporis officii sui, cessat etiam auctoritas commissariorum. Christophorus de Capite Fontium, Minister generalis, necessarium esse duxit, ut commissarii in officio suo perseverent etiam post celebrationem

capituli generalis, quousque novi commissarii ad provincias pervenerint. Ob viarum magnitudinem et pericula maris novi commissarii ad provincias Indiarum regni *Perú* et Novae Hispaniae non nisi biennio vel triennio elapso postquam capitulum generale celebratum fuerit, perveniunt. Precibus Christophori inclinans Summus Pontifex pro quiete provinciarum munera et officia commissariorum prorogat, etiam post celebratum novum capitulum, donec novi commissarii illuc pervenerint.

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Unicuique optime institutae religiosorum familiae supremam auctoritatem gerentes omni tempore praeesse debere summa ratione censendum est. Hoc prudenter animadvertens dilectus filius Christophorus de Capite Fontium [1], minister generalis Ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum pro quiete et tranquillitate provinciarum Indiarum regni del Perù et Novae Hispaniae necessarium esse duxit, ut commissarii delegati a ministro seu commissario generali regionum quae ultra montes sunt dicti Ordinis ad regimen illarum provinciarum suo fungantur officio et in eo perseverent post celebrationem capituli generalis eiusdem Ordinis quousque novi commissarii a novo ministro seu commissario delegati ad illas partes pervenerint; nam si quando expirat tempus officii ministri generalis finis est quoque officiorum dictorum commissariorum et cessante generalis ministri auctoritate cessat etiam auctoritas dictorum commissariorum ab ipso generali ministro delegatorum, quibus quasi iurisdictione et auctoritate careant dicti ordinis fratres in eisdem regionibus degentes parere detrectant, ac donec novi commissarii ad eas regiones non perveniunt pro eorum voluntatis arbitrio liberius quam religiosos deceat vivunt, fundamentumque religionis quod obedientia est eo praetextu violant, dunque commissarii nuper electi ob viarum magnitudinem, ac maris pericula et tempestates illuc appellere nequeunt nisi biennio et aliquando triennio elapso postquam idem capitulum generale celebratum fuerit, quae medio tempore ab ipsis commissariis quorum extincta erat iam iurisdictio gesta aut statuta fue-

[1] Christophorus de Cheffontaines; natus circa annum 1532 in *St-Pol-Léon* (*Bretagne*), 1571 Minister generalis Ordinis Fratrum Minorum Observantium; mortuus est Romae anno 1595.

rant ab ipsis fratribus negligi, plerumque contingit; ut his occurratur incommodis, eiusdem Christophori praecibus nobis hac in re porrectis inclinati commissariorum qui a ministro seu commissario generali ad regimen provinciarum Indiarum regni del Perù et Novae Hispaniae delegantur munera et officia, etiam post celebratum novum capitulum cum auctoritate et facultatibus, quibus usque ad eius capituli celebrationem, praediti sunt donec novi commissarii a novo generali ministro seu commissario predicto delegati ad dictas regiones appulerint auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus et prorogamus, ac donec novi commissarii ibidem pervenerint antiquos in eorum muneribus versare debere statuimus et ordinamus, sicque per quoscumque iudices et commissarios iudicari et diffiniri debere, irritumque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus, dantes et concedentes auctoritatem et facultatem ipsis commissariis usque ad ea tempora fratres predictos qui praemissis parere recusaverint indignis poenis afficiendi et corrigendi illos ac contradictores quoslibet et rebelles et praemissis non parentes per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus eorum tenores presentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus. caeterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile foret has litteras ad singula quaeque loca quibus illae exhibendae erunt deferri volumus earum transumptis manu notarii publici subscriptis eamdem prorsus fidem haberi, quae presentibus haberetur exhibitis vel ostensis. Datum Romae apud Sanctum Petrum die XIIII maii 1578, anno sexto.

371

Cum nos nuper

Arm. XLII 35 fol. 79r-80v — die 10 iulii 1578

DISPENSATIO CONFIRMATUR ET EXTENDITUR

Dispensatio, ut missas et alia divina officia ac quaecumque alia munera et ministeria per alium celebrari facere valeat, canonico Cordubensi Ioanni de Montalvo Ordinis Praedicatorum, futuro episcopo Cartaginensi a Summo Pontifice concessa, confirmatur et extenditur.

Gregorius XIII

Venerabili fratri Ioanni [1] episcopo olim Cartaginensi.

Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Cum nos nuper ex certis tunc expressis causis tibi ut missas et alia divina officia ac quecunque alia munia et ministeria per singulos canonicos Ecclesie Cordubensis ad illius altare maius etiam pro tempore exeunte episcopo Cordubensi celebrante vel pontificalia officia agerente turmatim sua eiusque occurrente ebdomada obire solita vel alias tibi ratione canonicatus et prebende dicte Ecclesie quos in commendam ad tui vitam ex concessione et dispensatione Apostolica etiam tunc obtinebas quomodolibet pro tempore incumbentia per aliquem alium canonicum eiusdem ecclesie celebrari et perferri facere valeres ita quod ad illa personaliter celebrandum aut subendum vel eidem episcopo assistendum aut inserviendum minime tenearis et ad id per episcopum predictum seu dilectos filios Capitulum eiusdem ecclesie, vel quemcumque alium invitus cogi aut compelli seu propterea canonicatu et prebenda predictis vel eorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis, ac etiam distributionibus quotidianis in toto vel parte privari seu mulctari, aut ab illorum perceptione suspendi vel alias desuper molestari non posses per alias nostras in forma brevis litteras motu proprio et ex certa scientia nostra indulserimus prout in ipsis litteris plenius continetur, et sicut postmodum accepimus sex vel septem dumtaxat ex ipsius ecclesie canonicis in presbiteratus ordine constituti existant et eorum nonnullos quandoque a dicta ecclesia abesse vel aliquibus impedimentis detineri contingat ac propterea non speres in tanta eorundem canonicatum presbiterorum penuria commode aliquem ex eis qui semper occurrente casu missas, officia et alia ministeria predicta nomine tuo celebret et subeat in ipsa

[1] Ioannes de Montalvo, OP, nominatus est episcopus Ecclesiae Carthaginensis; mortuus est anno 1586. *Egaña* 481.

autem ecclesia decem integri et viginti dimidii portionarii reperiantur qui etiam suis occurrentibus hebdomadis vel alias pro maiori parte anni missas ad dictum altare celebrare et eisdem canonicis celebrantibus in altaris ministerio assistere ac nonnumquam pro eis missas ipsas celebrare consueverint. Nos ne propterea dictarum litterarum frusteris effective providere, ac in tuis commoditatibus et opportinitatibus per amplius consulere volentes motu et scientia similibus litteras nostras predictas ac omnia et singula in eis contenta etiam in hoc ut in eventum in quem unum ex canonicis presbiteris predictis qui tuo nomine missas, officia et alia ministeria predicta celebret et subeat commode reperire non poteris eo casu missas, officia et alia ministeria huiusmodi per aliquem ex integris seu dimidiis portionariis predictis celebrari et perferri facere libere et licite valeas auctoritate predicta tenore presentium extendimus et ampliamus tibique desuper etiam indulgemus non obstantibus litteris nostris predictis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis necnon dicte ecclesie etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ac omnibus illis que in eisdem litteris volumus non obstare ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die X iulii 1578, anno septimo.

372

In tanta negociorum mole

Sec. Brev. 66 fol. 224v-226v; 67 fol. 341v-343v — die 5 septembris 1578
Hernáez I 732-734

PUBLICATIO BULLAE CRUCIATAE ETIAM IN PARTIBUS INDIARUM SINGULO QUOQUE BIENNIO FACIENDA

Pius V omnibus qui quodcumque genus servitii in bello contra Turcas regi Hispaniae praestant, indulgentias et gratias spirituales concessit, singulo biennio sex annis durantibus publicandae. Gregorius XIII gratias et facultates amplificavit et ad partes Indiarum unoquoque anno sex annis durantibus pu-

blicandae, et deinde ad alios sex annos extendit. Ob latitudinem terrarum illarum difficile est, infra unius anni spatium dictas gratias et indulgentias publicare et earum occasione ubicumque praedicationem haberi. Ideoque publicatio non amplius per annum, sed per biennium facienda erit.

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. In tanta negociorum mole quae ad nos undique deferuntur pro rerum et locorum qualitate nova in dies statuenda sunt in his praesertim quae ad fidei catholicae defensionem ac catholicorum regum subventionem inducta ac excogitata fuerunt. Alias siquidem felicis recordationis Pius papa quintus praedecessor noster omnibus in Hispaniarum regnis et insulis illis adiacentibus, ac etiam Sardiniae consistentibus, qui fidei catholicae zelo adducti intra biennii tempus ad exercitum charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici contra Turcas tunc comparatum, contra illos pugnaturi, aut aliud genus servitii facturi suis sumptibus accessissent et ibidem usque ad finem expeditionis eius biennii permansissent aut de bonis sibi a Deo collatis expeditionem predictam adiuvassent plures indulgentias ac peccatorum remissiones et relaxationes pro vivis et defunctis, aliasque spirituales concessiones nec non privilegia, facultates et indulta, vel quovis alio nomine nuncupatas gratias concessit; dictumque biennium ad aliud biennium a fine dicti biennii et deinde secundo dictum biennium ad aliud simile biennium a secundo dicti biennii fine computando ita de novo concessit, ut sex annis durantibus singulo quoque biennio commissarius qui pro tempore esset illas de novo modo et forma, prout in concessione continebatur, publicaret. Nosque indulgentias, concessiones et gratias ac facultates huiusmodi nonnullis additis, immutatis et de novo concessis ad Indiarum partes et insulas ac regna ac terram firmam maris Oceani Regis predicti imperio subiectas extendimus et ampliavimus; easdemque indulgentias et concessiones ac indulta, nec non gratias et facultatem tam per dictum praedecessorem nostrum, quam per nos concessa non tam singulo biennio sed singulo quoque anno biennium predictum ad annum reducendo publicari et per annum tantum durare, ita ut sex annis durantibus sex publicationes fieri et singulo anno finito omnes concessiones, indulgentias, gratias, facultates et indulta huiusmodi expirare et illas de novo publicari et tempus singulorum annorum huiusmodi computari debere a die publicationis in singulis locis

fiendae; et deinde considerantes quod his temporibus non mediocriter expediret, quod ubi aliqua a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad communem universorum fidelium utilitatem concessa et nostra auctoritate comprobata fuerunt, ac ad usum redacta curandum esset ut longiori temporis spatio perdurarent; ac propterea motu proprio sex annorum spatium in dictis concessionibus et illarum literis adiectum et praefixum ad aliud simile sexennium ita similiter ut omnia in dictis literis contenta singulo quoque anno sex annis per nos prorogatis cum omnibus et singulis indulgentiis, gratiis, facultatibus, concessionibus, indultis, clausulis et decretis in prioribus literis contentis et iuxta illarum tenorem publicarentur et expirarentur, extendimus et prorogavimus et de novo concessimus et alias prout latius in singulis dicti praedecessoris ac nostris desuper confectis literis continetur. Cum autem sicut accepimus ob latitudinem provinciarum earumdem Indiarum et insularum et terrae firmae maris Oceani difficile sit infra unius anni spatium et tempus semel dictas gratias, indulgentias et facultates in qualibet provincia dictarum partium publicari seu earum occasione in qualibet earumdem provinciarum et regnorum Indiarum partibus pubblicatione haberi, nos christifidelium in dictis partibus degentium animarum saluti ac commodis et quo diutius gratiis predictis tam iusta honestaque de causa concessis, uti ac frui valeant consulere volentes, ac quarumcumque literarum super praemissis confectarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione et voluntate nostris harum serie quod in regnis, insulis, terris, oppidis, et dominiis, ac terrae firmae Indiarum maris Oceani, seu alias nuncupatis huiusmodi eidem Philippo Regi tam mediate, quam immediate et alias quomodocumque et qualitercumque subiectis praedicationes et publicationes, quae ex dicta prima concessione fiendae remanent, si nondum finitae existunt; et singulae sex publicationes et praedicationes quae occasione dictae nostrae prorogationis fieri debent, non amplius per annum sed per biennium durare volumus, ita ut sicuti iuxta formam praedictarum literarum omnes gratiae, concessiones, indulgentiae, facultates, privilegia et indulta tam pro vivis, quam defunctis, ut praefertur, concessa per annum duraturae erant; simili modo et cum eisdem facultatibus ad biennium extendimus et prorogamus et per biennium durare decernimus. Ac propterea praedicatoribus et verbi Dei concionatoribus iuxta predictarum literarum formam eligendis, quod ceptas et infra annum non perfectas publicationes et praedicationes etiam anni tempore elapso prosequi per biennium indulgentias, gratias, facultates et privilegia ac concessiones praedictas iuxta illa-

rum summarium in dictis regnis, dominiis et locis et terrae firmae Indiarum maris Oceani ratione primae concessionis praedictae per dictum praedecessorem et nos concessae promulgare et publicare, aliisque subsequentibus sex publicationibus iuxta dictam nostram prorogationem et extensionem faciendis infra biennium alias iuxta voluntatem ac extensionem predictam easdem denunciare valeant, ita ut illa de biennio in biennium publicentur et expirent et sic per duodecim annos durent et quod per quoscumque etiam locorum ordinarios et alios quavis auctoritate praeditos molestari, perturbari aut impediri nequeant sicque per commissarium generalem ac quoscumque alios ad quos spectat praemissa omnia observari ac in illis iudicari diffinirique debere; irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obstantibus praemissis ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus his quae in dictis literis voluimus non obstare. Ut autem statutum et extensio ac prorogatio huiusmodi omnibus his quos presentes nostrae literae comprehendunt innotescat, volumus earumdem exempla etiam impressa manu notarii publici subscripta, ac dicti commissarii generalis aut alterius personae in ecclesiastica dignitate constitutae sigillo obsignata ubique gentium et locorum ac in iudicio et extra fidem facere, quae eaedem presentes facerent si exhiberentur. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 5 septembris 1578, anno septimo.

373

Die duodecima augusti

Sec. Brev. 46 fol. 26v-29r
Arm. XLII 37 fol. 134r-137r — die 6 ianuarii 1579

PROROGATIO FACULTATUM PRO FIDELIBUS ET MISSIONARIIS SOCIETATIS IESU IN INDIIS

Die 12 augusti anni 1573 Summus Pontifex christifidelibus in India tam Orientali quam Occidentali et in Aethiopia, qui processionibus intersunt,

aegrotos visitant et adiuvant, rosarium BVM recitant, pro conversione gentilium et reductione haereticorum orant, ad propagationem et defensionem fidei terra marique armis pugnant ac pro in bello iusto mortuis precantur, varias indulgentias concessit. Scholaribus autem qui in scholis Societatis Iesu litteris operam dant permisit, ut etiam tempore interdicti, ianuis clausis, missas et divina officia sacerdotum eiusdem Societatis audire possint; die vero 8 septembris eiusdem anni amplissimas facultates absolvendi fideles ab omnibus peccatis aliasque licentias missionariis Societatis Iesu concessit, ampliando ita similes facultates a praedecessoribus suis iam datas. Cum autem facultates, concessiones, gratiae et indulta praedicta ad decennium tantum concessa fuerunt, Praepositus generalis Societatis Iesu prorogationem eorum postulavit, quod Summus Pontifex ad aliud decennium a fine primi dicti decennii computandum extendit.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem. Die duodecima augusti omnibus et singulis christifidelibus utriusque Indie et transmarinorum limitum qui processionibus iuxta ritum sancte Romane ecclesie faciendis, ac supplicationibus et precibus Indorum et Ethiopum seu quorumvis aliorum neophitorum et aliorum christianorum interessent et eas associarent christianamque doctrinam eis recitarent vel privatim docerent, quoties id facerent decem annos et totidem quadragenas, invisentibus autem infirmos et presertim Indorum hospitalia, xenodochia et alia similia loca pia ipsis etiam infirmis per se vel alium ministrando singulis diebus quibus id facerent vigintiquinque, qui vero ad infirmos iuvandos accedentes inibi pernoctarent quinquaginta, eis etiam, qui coram beate Marie virginis imagine ab alma Urbe nostra Romana ad collegium civitatis Lime in Peru delata tertiam rosarii partem vel coronam recitarent centum, scholaribus vero in utraque India existentibus, qui confraternitati eiusdem beate Marie virginis ibi constitutae forent ascripti, singulis eiusdem beate Marie virginis necnon Resurrectionis, Pentecostes ac Nativitatis Domini nostri Iesu Christi festivitatibus, quibus confessi et contriti Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpsissent et coronam vel tertiam partem rosarii recitassent trecentos annos de eis iniunctis seu alias quomodolibet debitis penitentiis, in annunciationis vero et assumptionis ipsius beate Marie virginis diebus tantum plenariam, eis quoque qui singulis quibuscumque diebus veneris cuiuslibet quadragesimae devote processionibus publicis in

partibus et locis illis transmarinis ad orandum pro conversione gentilium et hereticorum reductione institutis interessent et se flagellassent, etiam plenariam; reliquis vero omnibus eisdem processionibus presentibus et interessentibus, contritis et confessis tertiam partem peccatorum suorum, ac eis qui in utriusque tam Orientalis quam Occidentalis Indie quacumque regione arma contra infideles ob fidei catholice defensionem et propagationem aut alias iusto bello assumerent in singulis huiusmodi expeditionibus tam navalibus quam terrestribus dummodo peccata sua confiterentur et nisi ministrorum inopia vel temporis angustia aut alia licita de causa impediti forent Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumerent similem plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concessimus et relaxavimus; necnon ut quicumque confessi et contriti tertiam partem rosarii aut unam coronam pro eorundem christifidelium qui in utriusque Indie navigationibus aut expeditionibus contra Mahumetanos aut alios infideles in charitate Christi ab humanis pro tempore decederent, animabus recitassent, quoties id egissent toties per modum suffragii unam ex dictis animabus a penis purgatorii, quantum divine bonitati placuisset, dummodo per dictos defunctos non stetisset quin tempore periculi mortis ipsorum peccata sua confiterentur liberare valerent, necnon scholaribus utriusque Indie huiusmodi qui in scholis presbiterorum dictae diocesis pro tempore darent operam litteris ut in presbiterorum eiusdem societatis ecclesiis missas et alia divina officia tempore interdicti et cessationis a divinis ianuis clausis, dummodo ipsi causam huiusmodi interdicto aut cessationi non dedissent audire, ipsisque presbiteris ut inibi dictis scholaribus presentibus tempore praedicto missas et divina officia celebrare possent indulsimus, et deinde die octava septembris MDLXXIII pontificatus nostri anno secondo concessimus et facultatem pro tempore exeunti preposito generali Societatis Iesu, ut presbiteris eiusdem Societatis quos in Saracenorum et aliorum infidelium terras et alias provincias remotissimas mitteret, christianos in eis commorantes ab omnibus peccatis, sententiis et censuris etiam in bulla in die cene Domini legi solita contentis et reservatis absolvendi facultatem tribuere possit per felicis recordationis Paulum papam III factam et per pie memorie Iulium III predecessores nostros confirmatam approbavimus ac illam de novo concessimus et ad presbiteros Societatis huiusmodi tam ad orientalem quam occidentalem Indias omnesque regiones et insulas transmarinas ad quas Hispani et Lusitani penetrant et accedunt commorantes et in eisdem regionibus pro tempore existentes ampliavimus ac insuper presbiteris eiusdem Societatis qui semel a preposito generali eiusdem Societatis pro tempore existente vel saltem ab antiquo episcopo approbati forent ad predicandum, confes-

siones audiendum et missas celebrandum pro ministeriorum huiusmodi exercitio ulteriores licentiam et approbationem ab aliis episcopis petere seu alias habere minime tenerentur, sed absque illis predicare, confessiones audire, missasque etiam extra ecclesias consecratas super altaribus portatilibus in loco tamen decenti et honesto etiam per horam ante diluculum vel etiam post meridiem in eisdem regionibus cum opus foret celebrare, quodque in Malucco, Giappono et aliis regionibus insularum, terrarum, provinciarum et locorum predictorum partibus et locis a quibus valde remoti essent episcopi, oleis sanctis per duos vel tres aut quatuor annos ante consecrati libere et licite absque scrupulo conscientie facta tamen prius per eos debita diligentia quotannis novum oleum Sanctum habendi uti possent consessimus et amplius tam presbiteris predictis quam aliis quibuscumque de dicta Societate existentibus, quos in qualibet utriusque Indie regione vel Oceani insula aut navigatione eundo vel redeundo mori contingeret plenariam; necnon tam eisdem presbiteris et clericis quam aliis christifidelibus utriusque sexus qui in quibusvis utriusque Indie ac regionum, provinciarum, terrarum, insularum aliorumque locorum predictorum eiusdem Societatis domorum et habitationum ecclesiis tam erectis quam imposterum erigendis in illarum dedicationis vel invocationis aut circoncisionis Domini nostri Iesu Christi festivitatibus vel diebus confessi et contriti Sanctissimum Eucharistie sacramentum sumpsissent et eo die aliquam ex dicte Societatis ecclesiis visitassent et pias inibi preces ad Deum pro sancte Romane ecclesie exaltatione ac fidei catholice propagatione effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, illis vero qui aliquam ex dictis ecclesiis singulis quibusvis anni diebus festivis contriti et debito tempore confitendi propositum habentes visitassent et ut prefertur orassent septem annos de dictis penitentiis concessimus et relaxavimus; necnon in singulis ecclesiis Societatis predictis singula ad arbitrium superiorum eorundem locorum respective nominanda altaria ita privilegiata concessimus ut quicumque ex presbiteris dicte Societatis tantum in illis et quolibet eorum misse sacrificium pro defunctis celebrassent, quoties id facerent animabus defunctorum pro quibus illas celebrarent quique in Christi charitate decessissent per modum suffragii quatinus divine bonitati placeret prodesset, prout in binis nostris in forma brevis desuper confectis litteris post decennium a datis predictis computandum minime valituris plenius continetur. Cum autem sicut accepimus dilectus filius prepositus generalis eiusdem Societatis facultates, concessiones, gratias et indulta predicta ad aliud tempus pro[ro]gari et extendi desideret pro parte ipsius prepositi nobis fuit humiliter supplicatum, quatinus desiderio suo in premissis opportune providere de benigni-

tate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictarum litterarum tenores presentibus pro expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati facultates, concessiones, gratias, indulta et decreta in eisdem litteris contenta ad alium decennium a fine primo dicti decennii computandum Apostolica auctoritate tenore presentium respective prorogamus et extendimus. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut presentium transumptis manu alicuius notarii publici subscriptis et alicuius persone in dignitate ecclesiastica constitute, sive ipsius Societatis prepositi generalis sigillo munitis eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, que originalibus ipsis adhiberetur si forent exhibite vel ostense. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die VI ianuarii 1579, anno septimo [1].

[1] In margine additur: Si SS. placuerit poterit expediri. Fla[vius] card. Ursinus.

374

Inter cetera cordis

Sec. Brev. 46 fol. 8v-9v
Arm. XLII 37 fol. 32r-33v

die 6 ianuarii 1579

PROPAGATIONIS FIDEI INTUITU ARCHIEPISCOPO MEXICANO PRIVILEGIA CONCEDUNTUR

Exoptans ut ubique monasteria erigantur, Summus Pontifex archiepiscopo Mexicano facultatem et potestatem concedit erigendi monasteria monialium ordinis Conceptionis Beatae Virginis Mariae et ea dirigendi excluso cuiusvis alterius praetextu sese in iis intromittere; porro facultatem ei concedit creandi sex notarios, ordinandi et disponendi conciones sacras tempore Adventus et Quadragesimae iuxta consuetudinem civitatis Hispalensis, ponendi presbyteros Societatis Iesu simul cum aliis missionariis in tabulis; concedit insuper iis qui processionibus in die Parasceve interveniunt easdem indulgentias ac si processio de nocte fieret; archiepiscopo postremo facultatem concedit absolvendi christifideles qui in haereses damnatas inciderint.

Gregorius XIII

Venerabili fratri Petro Moya de Contreras [1] archiepiscopo Mexican.

Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Inter cetera cordis nostri desiderabilia illud sinceris affectibus exoptamus ut monasteria et alia pia et religiosa loca instituantur, confusio in predicatione verbi Dei et dubitandi occasiones ministerio nostro tollantur animarumque christifidelium saluti consulatur; unde tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi monasteria monialium ordinis Conceptionis beate Marie virginis in illis partibus sine alicuius preiudicio et servata forma Concilii Tridentini erigendi et tam erecta confirmandi, omnesque defectus in eorum erectione interventos supplendi eaque sub tua et pro tempore existentis archiepiscopi Mexicanensis cura, gubernatione, visitatione et correctione recipiendi absque eo quod superiores vel alii fratres minores Sancti Francisci de observantia aut cuiusvis alterius ordinis sese in iis intromittere valeant; necnon sex tantum notarios seu tabelliones auctoritate Apostolica predicta ita ut ipsi omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, exemptionibus, gratiis, libertatibus et indultis quibus alii notarii Apostolici utuntur, potiuntur et gaudent sine illorum preiudicio uti, potiri et gaudere libere et licite valeant recepto prius ab eis in forma consueta iuramento creandi; ac ne in concionibus sacris in tua civitate Mexicanensi habendis tempore Adventus et Quadragesime aliqua generetur confusio iuxta laudabilem consuetudinem in civitate Ispalensi servari solitam conciones sacras dictis temporibus in eadem civitate Mexicanensi ordinandi et disponendi ac presbiteros Societatis Iesu simul cum reliquis aliorum ordinum verbi Dei predicatoribus in tabulis, ut vocant, ponendi quacumque contraria consuetudine non obstante; et quia pro eo quod alias fraternitati tue per alias nostras litteras ordinatum fuit quod processiones disciplinantium dicte civitatis Mexicanensis in die parasceves de die non autem ut antea solitum erat de nocte seu sub noctem fierent dubitatum est an disciplinantes predicti celebrando processiones huiusmodi de die eandemet indulgentiam consequantur quam consequerentur si de nocte celebrarent eidem fraternitati tue significavimus quod iidem disciplinantes eandem indulgentiam processiones dicta die celebrando consequantur quam consequerentur si eas de nocte, vel sub noctem, celebrarent; postremo quascumque utrius-

[1] De Petro Moya de Contreras cfr. supra doc. 366.

que sexus personas ad te recurrentes que in aliquas damnatas hereses inciderint ab heresibus huiusmodi necnon criminibus, excessibus et delictis ac penis et censuris ecclesiasticis propterea incursis in foro conscientie tantum et quatenus crimen sit occultum iuxta Concilii Tridentini dispositionem absolvendi, plenam et liberam auctoritate Apostolica tenore presentium facultatem concedimus et potestatem. Non obstantibus de certo dictorum notariorum numero ac bulla in die Cenae Domini legi solita et quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die VI ianuarii 1579, anno 7° [2].

---

[2] In margine additur: Potest expediri Fla[vius] card. Ursinus.

375

Romanus Pontifex

Bull. Praed. V 432-433 — die 9 ianuarii 1579
BM II 967

PROVISIO ECCLESIAE VERAE PACIS

Thoma de Cardenas, episcopo Verae Pacis, mortuo, Antonius de Ervias Ordinis Fratrum Praedicatorum, electus episcopus Arequipensis sed nondum ordinatus, novus episcopus Ecclesiae Verae Pacis, quae ad iuspatronatum regis Hispaniarum pertinet, ab eodem rege praesentatus, constituitur. A vinculo Ecclesiae de Arequipa absolvitur. Antequam regimen et administrationem Ecclesiae suae assumit, professionem fidei in manibus archiepiscoporum Hispalensis et Mexicanensis vel alterius eorum solemniter facere debet, ritu consueto.

Gregorius XIII

Gregorius Episcopus, Servus servorum Dei, dilecto filio

Antonio [1], electo Verae pacis, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Romanus Pontifex etc. incrementis. Sane Ecclesia Verae Pacis in partibus Indiarum Maris Oceani quae de iure patronatus carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici ex privilegio Apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum esse dignoscitur, ac cui bonae memoriae Thomas [2] Episcopus Verae pacis dum viveret praesidebat, per obitum dicti Thomae Episcopi qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit pastoris solatio destituta. Nos ad provisionem eiusdem Ecclesiae celerem et felicem ne illa etc. intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem Ecclesiae personam utilem, ac etiam fructuosam etc. diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Praedicatorum professum nuper electum Arequipen. quem nos alias Ecclesiae Arequipen. tunc certo modo vacanti in Episcopum praefecimus et pastorem, et quem praedictus Philippus Rex Nobis ad hoc per suas literas praesentavit cuique apud Nos de vitae munditia etc. Intendentes igitur tam eidem Ecclesiae Verae pacis, quam eius gregi dominico salubriter providere te licet absentem a vinculo, quo eidem Ecclesiae Arequiba tenebaris, munere consecrationis per te nondum suscepto de consilio et potestatis plenitudine similiter absolventes te ad praedictam Ecclesiam Verae pacis de pari consilio et auctoritate transferimus, teque illi in Episcopum praefecimus et pastorem curam etc. committendo, liberamque tibi ad eandem Ecclesiam Verae pacis etc. felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata etc. incrementa. Quocirca discretioni tuae per etc. mandamus quatenus ad praedictam Ecclesiam Verae pacis cum gratia nostrae benedictionis accedens curam etc. Gubernatori provido etc. commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium etc. merearis. Volumus autem quod antequam possessionem aut quasi regiminis et administrationis dictae Ecclesiae Verae pacis aut illius bonorum seu maioris partis eorum assequaris, seu in illis te inducens professionem Fidei Catholicae iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus introclusam in manibus venerabilium Fratrum nostrorum Ispalen. et Mexican. Archiepiscoporum, vel alterius eorum solemniter facere, factamque in scriptis sub tuo sigillo per proprium nuncium ad Sedem Apostolicam quantocius destinare omnino tenearis, quibus, et alteri eorundem per alias nostras mandamus, quatenus ipsi, vel alter

[1] Antonius de Ervias. De eo cfr. supra doc. 355.

[2] Thomas de Cardenas natus est in Andalusia, anno 1534 Ordini Fratrum Praedicatorum nomen dedit, anno 1553 in Americam venit, Indos in *Zacapula,* Guatemala, evangelizavit, anno 1565 episcopus Ecclesiae Verae Pacis nominatus est. BM II 295.

eorum professionem rite recipiant antedictam, alioquin provisio et praefectio praedictae nullae sint. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Quingentesimo Septuagesimo Octavo, Quinto Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

376

Precibus pro parte dilectorum

Sec. Brev. 45 fol. 43r — die 15 ianuarii 1579

FACULTAS PROMOVENDI AD SACROS ORDINES IUVENES ABSQUE TITULO PATRIMONII

Summus Pontifex Petro de Contreras, archiepiscopo de *México*, facultatem ad viginti annos concedit alumnos collegiorum Iesuitarum ad sacros ordines promovere, etiam si illis titulus patrimonii et beneficii desit, dummodo idonei sint.

Gregorius XIII

Venerabili fratri Archiepiscopo Mexicanensi [1].

Venerabilis frater salutem etc. Precibus pro parte dilectorum filiorum scholarium collegiorum sanctorum Petri et Pauli ac sancti Gregorii et sancti Bernardi ac sancti Michaelis sub gubernio Societatis Iesu existentium civitatis Mexicanensis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati tibi ut quoscunque dictorum collegiorum scholares ad te recurrentes ad sacros et presbiteratus ordines promoveri cupientes

[1] Archiepiscopus Ecclesiae Mexicanensis erat Petrus Moya de Contreras.

ad eosdem sacros et presbiteratus ordines statutis a iure temporibus, etiam si illis patrimonium et titulus beneficii desint, dummodo alias aetate moribus et literarum scientia ad id idonei existant et periculum non sit quod mendicare habeant arbitrio tuo promovere illique sic promoti in eisdem ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeas et valeant auctoritate apostolica tenore presentium ad XXti annos proximos facultatem concedimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XV ianuarii 1579, anno 7°.

377

Precibus pro parte dilectorum

Sec. Brev. 45 fol. 43r — die 15 ianuarii 1579

EADEM FACULTAS PRO EPISCOPO DE *MECHOACAN*

Gregorius XIII

Venerabili fratri episcopo Mechoacan [1].

Venerabilis frater salutem etc. Precibus pro parte dilectorum filiorum scholarium collegii sancti Nicolai sub gubernio Societatis Iesu existentium civitatis Mechoacan. nobis super hoc etc. ut quoscumque dicti collegii scholares etc. ut supra. Datum ut supra [2].

---

[1] Episcopus Ecclesiae Mechoacanensis erat Ioannes de Medina (1574-1588).
[2] Litterae supplices: ibid. fol. 50r.

378

Precibus pro parte dilectorum

Sec. Brev. 45 fol. 43r die 15 ianuarii 1579

EADEM FACULTAS PRO EPISCOPO DE *OAXACA*

Gregorius XIII

Venerabili fratri Episcopo Guaxacan [1].

Venerabilis frater salutem etc. Precibus pro parte dilectorum filiorum scholarium collegii sancti Iohannis Baptistae sub gubernio Societatis Iesu existentium civitatis Guaxacan. nobis etc. ut quoscumque dicti collegii scholares etc. ut supra. Datum ut supra [2].

---

[1] Episcopus Ecclesiae Oaxacanensis (Antequerensis) erat Bernardus de Albuquerque, OP.

[2] Litterae supplices: ibid. fol. 50r.

379

Exponi nobis fecisti

Sec. Brev. 45 fol. 76r die 15 ianuarii 1579

LICENTIA REDEUNDI IN HISPANIAM

Summus Pontifex missionario Sancho de Meras Ordinis Fratrum Minorum Franciscanorum provinciae Evangelii in Nova Hispania licentiam concedit redeundi in Hispaniam, quia conversando cum Indis, ob multas peccandi occasiones, non sine periculo salutis animae ibi permanere potest.

Gregorius XIII

Dilecto filio Sancho de Meras professori ordinis sancti Francisci provinciae Evangelii nuncupatae Novae Hispaniae.

Dilecte fili salutem etc. Exponi nobis fecisti quod tu qui alias in Novam Hispaniam Indiarum nullis serenissimi Regis catholici expensis profectus ibidem in provincia Evangelii nuncupata habitum dicti ordinis sancti Francisci suscepisti, ac professionem emisisti regulares in ipsis Indiarum partibus parum quieto permanes animo praesertim quia cum Indis conversando salutis anime tue periculum ob multas peccandi occasiones facile imminet, praeterea quod in tua religione professus es, sicut optas, observare minime potes. Quare nobis humiliter supplicari fecisti ut tibi in Hispaniam redeundi licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur spirituali tuae consolationi in hac parte consulere volentes huiusmodi supplicationibus inclinati tibi ut ex Indiis predictis recedere et in Hispaniam ad provinciam sancti Iacobi te transferre et in eadem provincia sub tuorum superiorum obedientia quoad vixeris permanere libere et licite valeas auctoritate apostolica tenore presentium licentiam et facultatem concedimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis prohibitionibus per Sedem Apostolicam et eiusdem ordinis superiores et quoscumque alios quomodolibet in contrarium factis et editis, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis dicto ordini ac illius superioribus ac monasteriis in ipsis Indiis existentibus quovis modo concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus eorum tenores ac si ad verbum insererentur presentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris ad effectum predictum specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XV ianuarii 1579, anno 7° [1].

---

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 86r.

380

Rationi convenit

Sec. Brev. 45 fol. 123r — die 10 februarii 1579
Monumenta Historica Societatis Iesu 103 p. 534-535

COMMUNICATIO PRIVILEGIORUM SOCIETATIS IESU

Sicuti Pius V gratias et facultates presbiteris Societatis Iesu in India Orientali concessas, sacerdotibus eiusdem Societatis in India Occidentali communicavit, ita nunc Gregorius XIII facultates Iesuitis in India Occidentali praesertim in Brasilia et Perú concessas ad Indiam Orientalem et ad Novam Hispaniam extendit, ita ut privilegia, facultates et gratiae omnibus religiosis dictae Societatis in India tum Orientali cum Occidentali ac in Nova Hispania communia sint.

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Rationi convenit ut ii qui sub eadem regulari disciplina et instituto degunt iisdem fruantur gratiis spiritualibus et eos concessionum diversitas non distinguat, quos eadem unit in religione societas. Cum itaque felicis recordationis Pius Papa V praedecessor noster dilectis filiis presbiteris regularibus Societatis Iesu in India Occidentali consistentibus, diversas gratias et facultates et praesertim eas quae eisdem presbiteris in India Orientali existentibus concessae erant plenarie concesserit, iustum quoque esse videtur ut singulae gratiae quae consistentibus in India Occidentali predicta vel in provinciis Brasiliae et Peru sunt concessae et concedentur etiam eis qui in Indiae Orientalis provinciis sunt et pro tempore fuerint, concedantur et communicentur et omnia sic concessa et concedenda ad Novae Hispaniae provinciam extendantur, ut inter eos nulla quoad privilegia huiusmodi sit differentia. Quapropter motu proprio non ad

alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione et certa scientia nostris tam illa quae Occidentali quam ea quae Orientali Indiis concessa sunt et posthac concedentur privilegia, facultates et gratias ita invicem communicamus, ut singuli earundem Indiarum et Novae Hispaniae dictae Societatis religiosi illis omnibus non ad eorum instantiam, sed aeque principaliter omnibus et per omnia gaudeant, illisque uti possint perinde ac si illa omnia utriusque Indiae et Novae Hispaniae religiosis praedictis specialiter et expresse et nominatim concessa fuissent. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die X februarii 1579, Pontificatus nostri anno septimo [1].

In margine additur: Est simile expedito die 20 aprilis 1573; additis verbis et concedente, et concedenda, et posthac concedentur. Cfr. supra doc. 285.

381

Romanus Pontifex

Sec. Brev. 69 fol. 648v-649r; 70 fol. 643v-644r — die 17 februarii 1579

INDULGENTIAE

Pro ecclesia metropolitana Mexicana, in qua reliquiae Sanctorum ex Urbe et Germania eo portatae collocantur.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus etc. salutem etc. Romanus Pontifex cui per beatum Petrum apostolorum Principem in terris a Domino collata

est ligandi atque solvendi plenitudo potestatis christifideles ad venerandas sanctorum reliquias, ecclesiasque visitandas in quibus reliquiae huiusmodi consistunt, spiritualibus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum relaxationibus invitat ut ipsi christifideles sanctorum eorumdem recolentes memoriam quod suis meritis non valeant illorum apud Deum intercessione impetrare mereantur. Cupientes igitur ut reliquiae quorumdam sanctorum martirum quas dilectus filius Petrus Diaz Societatis Iesu professor ex concessione et licentia nostra tam in alma Urbe conquisitas, quam in Germania receptas ad venerabilem fratrem archiepiscopum Mexican., qui super hoc ad nos literas misit ad effectum illas in metropolitana ecclesia Mexicana honorifice collocandi deferre intendit debita in veneratione habeantur, ecclesiaque ipsa Mexicana congruis frequentetur honoribus de omnipotentis Dei misericordia etc. confisi, omnibus etc. refectis, qui die collocationis dictarum reliquiarum ecclesiam Mexicanam devote visitaverint et ibidem prout unicuique suggeret devotio, Deum oraverint, pro ea vice et die dumtaxat plenariam; praeterea eisdem confratribus [1] qui poenitentes et confessi fuerint, ac sacram communionem similiter sumpserint, ecclesiam eamdem Mexicanam feria sexta maioris haebdomadae nec non die festo inventionis Sanctae Crucis a primis vesperis usque ad occasum solis singulorum dierum huiusmodi singulis annis devote visitaverint et ibi ante altare ubi parva crux in qua portiunculos duos ligni Sanctae Crucis esse pie creditur reponetur pro pace inter etc. pias etc. effuderint, quo die predictorum id egerint plenariam pariterque perpetuo concedimus. Insuper eisdem fidelibus qui ecclesiam predictam in singulis festivitatibus eorumdem sanctorum quorum dictae reliquiae esse dicuntur devote visitaverint et ibi, ut praefertur, oraverint quo die predictorum id egerint decem annos et decem quadragenas de iniunctis eis etc. relaxamus, contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 17 februarii 1579, anno septimo.

---

[1] Sec. Brev. 70 fol. 643v: christifidelibus.

382

Cum praecepto divino

Sec. Brev. 46 fol. 53rv
Arm. XLII 37 fol. 340r

die 28 februarii 1579

HORTATORIUM EPISCOPIS INDIARUM UT AD SUAS ECCLESIAS ACCEDANT

Summus Pontifex archiepiscopos et episcopos Indiarum Occidentalium hortatur ut quamprimum (in primo transitu navium) ad suas dioeceses accedant et curam animarum, sacramentorum administrationem et praedicationem verbi divini incipiant. Quod si legitimo impedimento non praepediti id facere detulerint, fructus, redditus et proventus suarum Ecclesiarum amittunt, qui in ornamenta et paramenta ecclesiastica necnon fabricam et alias res ad cultum divinum necessarias convertendi sunt.

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Cum precepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura est commissa, oves suas agnoscere illasque verbi divini predicatione, sacramentorum administratione et bonorum omnium operum exemplo pascere merito a nobis providendum est ut ii, de quorum personis ecclesiis Metropolitanis vel Cathedralibus presertim in Indiis consistentibus provisum extitit et in futurum provideri contigerit, ad easdem ecclesias quarum incole nunc primum veritatis auctorem cognoscere inceperunt, quam primum accedant. Monemus itaque et attente hortamur omnes et singulos archiepiscopos et episcopos de quarum personis Metropolitanis seu Cathedralibus ecclesiis in partibus Indiarum maris Occeani, sub ditione charissimi in Christo filii Philippi Hispaniarum Regis Catholici existentibus provisum fuit et futuris perpetuis temporibus provideri

contigerit, ut ex Hispania in primo transitu navium ad partes Indiarum prefatarum de huiusmodi transitu certiores facti ad ecclesias suas personaliter accedant quod si legitimo non prepediti impedimento id facere detulerint fructus, redditus et proventus suarum ecclesiarum usque ad eorum adventum ad ecclesias predictas decurrendos amittant, illisque privati existant et censeantur, prout nos harum serie auctoritate Apostolica illos omnibus ipsis fructibus privamus, illosque pro ornamentis et paramentis ecclesiasticis et fabrica ac aliis rebus ad cultum divinum in dictis ecclesiis magis necessariis assignamus, applicamus et appropriamus; ut autem mens et voluntas nostra in premissis debite executioni demandetur dilectis filiis Capitulis ecclesiarum, quarum presules in dicto transitu illuc non accesserint fructus, redditus et proventus prefatos in ornamenta et paramenta ecclesiae nec non fabricam ac alias res ad cultum divinum magis necessarias dividendi atque distribuendi licentiam, facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac dictarum ecclesiarum iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris Apostolicis in contrarium earum presulibus quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus eorum tenores presentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Ceterum quia difficile foret presentes literas ad singula queque loca, ubi necesse fuerit, deferri, volumus et Apostolica auctoritate decernimus quod transumptis presentium literarum sigillo alicuius prelati ecclesiastici munitis et manu notarii publici subscriptis eadem fides tam in iuditio quam extra illud ubilibet adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur si forent exhibite vel ostense. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die ultima februarii 1579, anno 7° [1].

---

[1] In margine additur: SS. mandat expediri Fla[vius] card. Ursinus.

383

Oblatae nobis nuper

Sec. Brev. 107 fol. 264rv die 23 martii 1579

DISPENSATIO IN SECUNDO CONSANGUINITATIS GRADU

Gregorius XIII

Dilecto filio Francisco de Velasco laico et dilectae in Christo filiae Marianae de Ibarra de Velasco mulieri incolis Mexican.

Dilecte fili et dilecta in Christo filia salutem etc. Oblatae nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat, quod cum vos ex illustri genere procreati ac nepotes quondam Ludovici de Velasco dum viveret Indiarum proregis et avi vestri paterni existatis propter difficultates quas ibi habetis utrinque inveniri pares et ex certis causis desideretis invicem matrimonialiter copulari, sed quia secundo in linea aequali consanguinitatis gradu invicem estis coniuncti desiderium vestrum hac in parte adimplere nequeatis absque Sedis Apostolicae dispensatione pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum quatenus vobis in praemissis de opportunae dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur vos et quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, necnon intuitu et contemplatione charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici nobis etiam desuper humiliter supplicantis vobiscum quod impedimento secundi consanguinitatis gradus huiusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis nequaquam obstantibus matrimonium inter vos publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, ac in eo postmodum

remanere libere et licite valeatis dummodo tu Mariana propter hoc rapta non fueris Apostolica auctoritate tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus, prolem suscipiendam exinde legitimam nunciando. Datum Romae apud Sanctum Petrum die 23 martii 1579, anno septimo.

384

Considerando Sua Beatitudine

S.S.: Spagna 22, fol. 153r-154r 2 maggio 1579

NOMINATIO NUNTII IN INDIIS OCCIDENTALIBUS RESIDENTIS PROPONITUR

Summus Pontifex regi Hispaniae nominationem Nuntii in Indiis Occidentalibus residentis proponit, ad invigilandum melius officium pastorale in novis Ecclesiis et ad abusos missionariorum religiosorum tollendos.

Gregorius XIII

Proposta di un nuntio residente nelle Indie.

Considerando Sua Beatitudine quanto convenga al debito dell'ufficio pastorale invigilare con tutte le forze sopra il suo gregge, di qui è che voltando gli occhi della mente alle parti delle Indie et mondo nuovo di Vostra Maestà conosce che essendo di là piantata così di fresco la Religione Cattolica, che ragionevolmente si può chiamare una primitiva chiesa, ha parimente bisogno come novella pianta di essere appoggiata, revista, irrigata et cultivata. Et con tutto che pretenda che dalla molta pietà di Vostra Maestà si tenga con tutta diligenza l'occhio di provedere di là pastori et prelati che convengano; tuttavia non parendole di sodisfare con la conscienza sua et con l'obligo pa-

storale a formarsi in questo, per il pericolo che soprasta alla istessa religione per le superstitioni, che si possono a poco a poco causate da ignoranza andare generando in quelle anime lontane dall'humore radicale di questa pianta della religione, che dal fonte di Sua Beatitudine et di quella Santa Sede suole scatturire, non havendo rinfreschi dell'istesso spirito di Sua Santità, ha pensato che sia per essere molto a proposito di proponere a Vostra Maestà la intentione che tiene d'inviare in quelle parti un Nuntio, huomo di spirito, di lettere, di conscienza et prattico delli cannoni et concilii, dello stile et della prattica di Roma, dell'ufficio et debito sacerdotale et de i veri termini del buon christiano, con facoltà di maniera ample et sufficienti, che quelle genti non siano o necessitate di passare da quello a questo mondo per ritrovare rimedio alle anime loro, o restarsene prive di rimedio, con quasi che certo timore di passarsene con la morte per più breve camino in patria assai più lontana da i beni di vita eterna, vero oggetto d'un cattolico christiano. Et quantunque da Alessandro sesto et successivamente et con più ampla facoltà da Leone decimo di felice recordatione fossero ripartite le gratie et doni di quella Santa Sede ad alcune religioni, le quali in quei primi anni passarono alla conquista spirituale di quelle parti, et in quei principii si procedesse con molto fervore, secondo che ne sono piene le historie, tuttavia come che sia proprio di questa nostra fiacchezza humana di declinare alla relassatione, et che a quelle parti non siano passati successivamente de i più infervorati religiosi delle religioni. Di qui è nato che (come Sua Santità intende et viene informata) o sia stato per ignorantia o per malitia si sono andate abusando le facoltà concesse di maniera che quelle che si diedero in quei primi giorni per medicina a fomentare et facilitare la conversione, servono hoggi quasi che di veneno alla diversione et confusione, intanto che è parso necessario a Sua Santità di proponere alla Maestà Vostra il soddetto rimedio d'un Nuntio il quale, avocate da Sua Santità a sé medesima tutte le soddette facoltà, et conferitele in persona di lui con quella moderatione che ricerca il presente stato delle cose, possa ancora con discretione distribuirle a guisa di prudente medico secondo la complessione delle persone, distinguendo dal lecito all'honesto et al forzoso, come è sommamente necessario di fare sopra tutte le altre cose negli interessi zelosissimi della religione. Il buono stabilimento della quale essendo che da tutti li prudenti sia stato sempre posto per una soda base di quelle che si ricercano alla conservatione della repubblica o del principato, deve perciò Vostra Maestà aggradire questo motto a Sua Beatitudine, poiché oltreché cammina non meno allo scarico della sua conscienza che di quella della Maestà Vostra, viene a roborarle insieme l'auttorità et giurisditione

temporale. La fermezza della quale, quanto più sono lontane dall'occhio e dalla mano sua per largo tratto di mare quei popoli, tanto più deve, come prudentemente dà Vostra Maestà, del continovo procurarsi et per li debiti termini stabilirsi. Lascio di comprobare a Vostra Maestà per essempii dell'uno et l'altro testamento et di diverse historie, come potrei, quanto sia necessario assistere con occhio vigilantissimo alla conservatione della religione, per resistere all'astutia dello inimico, che incominciando da Adamo fino al dì d'hoggi semper circuit quaerens quem devoret; perché oltre alla molta prudenza di Vostra Maestà tutto è notorio et negotio da discutere più largamente con quelli a quali resterà servita la Maestà Vostra di rimettere la consulta di questo mio memoriale et di questo paterno ricordo di Sua Santità. Avertendola che essendo il negozio grave et che mira a perpetuità et a tanto rimedio pare bene che sia consultato con persone gravi et ecclesiastiche ancora, dalle quali potrà Vostra Maestà più acertatamente intendere quel che convenga di più di quello che a prima vista le dettarà il suo santo zelo non inferiore a quello di Sua Beatitudine. La quale perciò ha havuto per bene di comunicarle questo suo pensiero, con speranza che mirando la Maestà Vostra per l'honore di Dio, per il servizio di quelle anime, per la conservatione et aumento della religione, per lo stabilimento delli suoi stati, per lo scarico della conscienza propria et per il contento di Sua Santità non lasciarà di rengratiarla del motto et sollecitarla alla essecutione, la quale quantunque sia per essere con dispendio di quella Santa Sede, tenirà tuttavia Sua Beatitudine per molto bene impiegato tutto quello che vi si spenderà, poiché ne spera centuplicato il frutto a laude di Dio e perpetua gloria della Maestà Vostra [1].

---

[1] Die 11 Maii Nuntius respondit: «... Parlai del Nuntio per l'Indie. Fui ascoltato con molta attentione, et da S. Maestà istessa dopo l'havermi detto, che basciava li piedi à S. Santità di questo pensiero, mi fu addimandato memoriale per poterlo consultare, essendo negotio nuovo, e grave. Io lo teneva et glie lo lasciai tenere et stando pervenuto il Signor Cardinale di Toledo et il Signor Presidente staremo hora à vedere l'esito, che ne seguirà, poiche io non lasciarò di sollecitare la risposta». (S.S. Spagna vol. 22 fol. 175r-175v). Et Die 12 Decembris Nuntius scripsit: «Li [Regi] parlai per il Nuntio, et n'hebbi buone parole al solito: ma io ne spero molto poco, vedendo che Don Antonio di Padiglia Presidente di quel consiglio, non viene al fine di rispondermi cosa alcuna». (Ibidem fol. 450v). — Die 21 aprilis anni 1568 Cardinalis Alexandrinus (Michael Bonellus) Nuntio Ioanni Baptistae Castagna scripserat: «... Farà intendere ancora à S.M. che N.S. è informato che nelle Indie si fa poco conto delle persone ecclesiastice, il che se ben può succedere senza saputa di S.M., tuttavia per debito dell'offitio suo, S.S. è venuto in pensiero alcuna volta di mandarvi qualche persona che ne pigliasse piena informatione per provvedervi poi secondo il bisogno; ma è tale la speranza che N.S. hà posto nel zelo et nella religione di S.M., che non dubita di sentir in breve es-

sersi provvisto à bastanza et nelle Indie et in tutti gli altri stati suoi à tutto quel che può esser servitio del Sr. Dio et beneficio delle anime de i popoli. Alle quale Indie S.S. era stata persuasa di mandar una persona che dipendesse immediatamente da questa Santa Sede et con autorità di Nuntio, ma non l'ha voluto fare senza scoprir prima la volontà di S.M. in questa parte, la qual V.S. potrà intendere con destrezza et con opportunità, dandomi poi aviso del successo al suo tempo. Il che è quanto mi occorre per hora, offrendomi allei di continuo, che il Signor Dio la conservi. Di Roma a' XXI d'Aprile MLXVIII». S.S. Spagna vol. 6 fol. 106rv [copia], 113r-114v et 121r; *Serrano,* Correspondencia II 349-351.

385

Personam tuam

Arm. XLII 39 fol. 161r-162r — die 8 augusti 1579

SPECIALES FAVORES PRO FUTURO EPISCOPO DE *CARTAGENA*

Summus Pontifex indulget Ioanni de Montalvo Ordinis Praedicatorum futuro episcopo de *Cartagena,* qui est archidiaconus Ecclesiae Cordubensis et praebendam ad vitam usque obtinuit, ut per alium eiusdem Ecclesiae canonicum aut portionarium aut dimidium portionarium munus suum praestare possit, intuitu aetatis suae, etsi decretis Concilii Tridentini caveatur, ut praebendas obtinentes per se et non per substitutum divina officia obire et episcopo assistere teneantur.

Gregorius XIII

Venerabili fratri Ioanni [1] episcopo olim Carthaginensi.
Venerabilis frater salutem etc. Personam tuam nobis et Apostoli-

[1] De Ioanne de Montalvo, OP, cfr. supra doc. 371.

ce Sedi devotam congruis favoribus prosequentes illa tibi benigne concedimus que tuis commodis fore conspicimus opportuna; hinc est quod nos te olim episcopum Cathaginensem partium Indiarum maris Oceani, qui archidiaconatus Ecclesie Cordubensis dignitatem in eadem Ecclesia non tamen post pontificalem maiorem ac canonicatum et prebendam dicte Ecclesie Cordubensis qui insimul absque dispensatione Apostolica obtineri consueverunt ex dispensatione apostolica in commendam ad tui vitam obtines et ut asseris sexagesimum et ultra etatis tue annum agis specialibus favoribus et gratiis prosequentes etsi Concilii Tridentini decretis caveatur expresse ut dignitates ac canonicatus et prebendas obtinentes in Cathedralibus ac collegiatis ecclesiis divina per se et non per substitutos adire debeant officia et episcopo celebranti aut officia exercenti assistere et inservire teneantur, tuis in hac parte nobis porrectis supplicationibus inclinati fraternitati tue habita ratione dignitatis episcopalis qua prefulges et etatis tue iam ingravescentis quod venerabili fratri nunc et pro tempore existente episcopo Cordubensi in pontificalibus vel alias celebrante aut pontificalia munera exercenti ratione per te obtentorum archidiaconatus ac canonicatus et prebende predictorum dicto episcopo Cordubensi assistere seu per aliquem alium ex eiusdem ecclesie canonicum tuum munus praestare nec etiam ad deferendum cappas in diebus dum fit officium duplex vel aliis anni festivitatibus quando per obtinentes dignitates ac canonicatus et prebendas eiusdem ecclesie ille deferri solet teneri, aut invitum cogi vel compelli posse, sed missas et alia divina officia et quecumque alia munera et ministeria que singulis dicte ecclesie canonici ad illius altare maius per turnum sua cuique obveniente hebdomada obire solent et alias sibi ratione canonicatus et prebende quomodolibet pro tempore incumbentia per aliquem alium ex eiusdem ecclesie canonicis seu portionariis vel dimidiis portionariis in illa celebrari et perferri facere libere et licite valeas quantummodo alias archidiaconatus ac canonicatus et prebenda predicti debitis propterea non fraudentur obsequiis sed eorum congrue supportentur onera consueta Apostolica auctoritate tenore presentium indulgemus. Decernentes irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus premissis ac in provincialibus et sinodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ac dicte ecclesie iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ac per te vel procuratorem tuum de observandis statutis et consuetudinibus huiusmodi corporaliter prestito iuramento quod ad effectum ut indulto [...] sit tibi omnino relaxamus privilegiis quoque indultis et litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis

etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie concessis, confirmatis et innovatis quibus omnibus etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa non autem per clausulas generales idem importantes mentio aut quevis alia expressio habenda esset eorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur presentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die VIII augusti 1579, anno 8°.

386

In supereminenti militantis Ecclesiae

Sec. Brev. 90 fol. 373r-374v — die 24 octobris 1579
Synopsis Actorum S. Sedis in causa Societatis Jesu 1540-1605 p. 99-100 n. 145

INDULTUM SOCIETATIS IESU PRO CAUSIS EXTRA EUROPAM AGENDIS

Pontifex primo memorat proprio praedecessori a parte Societatis Iesu expositum fuisse, quod Societas longe lateque propagata pro bonis temporalibus, quae collegia ipsius cura instituta possidebant, conservandis vel recuperandis lites et alia dispendia forensia subire cogebatur, ita ut eiusdem Societatis sodales a proprio ministerio salutis animarum promovendae distraherentur. Quapropter idem Pontifex Praeposito Societatis eiusque sodalibus eorumque familiaribus indulsit, ut in quibuscumque causis omnes et singulos episcopos horumque vicarios generales necnon alias personas in dignitate ecclesiastica constitutas in suos conservatores et iudices ordinarios assumere possent, et quidem contra quoscumque ipsum Praepositum, sodales et familiares quomodolibet indebite molestantes vel eisdem damna et iniurias in domibus aliisve bonis et redditibus necnon in privilegiis atque indultis Societati rite concessis inferentes.

Cum autem Praepositus generalis Societatis nuper exposuerit, in partibus

Indiarum saepe difficile esse personas ita qualificatas invenire aut ii si reperiantur, minus idonei sint aut malevolentia ducantur vel patrocinium Societatis eiusque iurium acceptare recusent aut nimis longo viarum seu locorum intervallo distent Pontifex praedecessoris litteras amplians Societatis Superioribus concedit, ut in omnibus causis Societatem, eiusque iura concernentibus in ipsis extra Europam regionibus tantum occurrentibus in conservatores assumere possint *quosvis idoneos et probatos viros saeculares, clericali charactere insignitos, non tamen coniugatos, qui clericos seu laicos in notarios sibi constituere valeant, quorum sententiae et acta plenam fidem faciant.*

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. In supereminenti militantis ecclesiae solio constituti ad ea per que religiosarum personarum tranquillo statui consulatur et dispendiis occurratur earumque iura et bona a noxiis et perversorum conatibus preserventur libenter intendimus et in his officii nostri partes favorabiliter interponimus prout personarum et locorum circumstantiis debite pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire. Dudum siquidem felicis recordationis Pio pape quinto predecessori nostro pro parte tunc existentis prepositi generalis et aliarum personarum Societatis Iesu exposito quod ipsa societas benedicente Domino longe lateque propagata pro diversis bonis temporalibus que collegia scolarium sub eorum cura instituta possidebant conservandis et recuperandis lites aliaque forensia dispendia frequenter subire necessario cogebatur et exinde illius persone ab instituto circa animarum salutem promovendam ministerio distrahebantur prefatus predecessor prepositi et personarum huiusmodi supplicationibus in ea parte porrectis tunc inclinatus eisdem preposito et personis ac eorum familiaribus clericali tamen charactere insignitis ut in quibuscumque causis tam civilibus quam criminalibus ac mixtis, etiam in quibus actores vel conventi rei forent omnes et singulos archiepiscopos ac episcopos et abbates necnon alias personas in dignitate ecclesiastica constitutas ac metropolitanarum et aliarum Cathedralium ecclesiarum canonicos ac archiepiscoporum et episcoporum vicarios in spiritualibus et officiales generales ubilibet constitutos in suos contra quoscumque quomodolibet ipsos prepositum, personas et familiares indebite molestantes vel eis gravamina damna et iniurias super terris, locis, domibus, possessionibus, iuribus, fructibus, censibus, redditibus et proventibus ac quibuscumque aliis bonis mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus necnon privilegiis et indultis eis ac dicte

societati tam apostolica quam ordinaria et regia auctoritatibus ac alias rite concessis inferentes, possant assumere conservatores et iudices ordinarios apostolica auctoritate indulsit prout in nostris super indulto huiusmodi cum dictus predecessor antequam eius littere desuper confecte extitissent rebus fuisset humanis exemptum confectis plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Everardi Mercuriani prepositi generalis dicte societatis petitio continebat in Indiarum partibus sepe difficile sit invenire personas iuxta dictarum litterarum tenorem qualificatas que possint assumi in huiusmodi conservatores, etsi aliquando reperiantur vel minus idonee sint vel conniventiis favoribus aut malevolentia ducantur, vel etiam protectionem et patrocinium societatis personarum, rerum, iurium et privilegiorum huiusmodi acceptare recusent, aut nimis longo viarum seu locorum intervallo distent, sicque dicta societas effectu privilegiorum suorum defraudetur, pro parte dicti Everardi nobis fuit humiliter supplicatum ut sibi in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui iura cuique preservari volumus, eundem Everardum a quibusvis etc. censentes dictarumque litterarum tenores presentibus pro expressis habentes illasque harum serie confirmantes, innovantes et ampliantes, eidem Everardo et pro tempore existenti preposito generali ac superioribus societatis huiusmodi ut in omnibus et singulis tam civilibus quam criminalibus et mixtis personas, res, iura seu privilegia societatis huiusmodi quomodolibet concernentibus causis in ipsis extra Europam regionibus tantum occurrentibus loco supraqualificatarum personarum in conservatores assumendarum quosvis idoneos et probos viros seculares, clericali caractere insignitos, non tamen coniugatos qui clericos seu laicos in notarios sibi in defectum aliorum apostolica vel alia legitima auctoritatibus notariorum constituere et deputare valeant, ita quod illorum acta, instrumenta, processus et sententie plenariam in iudicio et extra illud fidem faciant eandemque firmitatem ac robur obtineant, ac si per iudices ecclesiasticos aut personas in dignitate ecclesiastica constitutas ac apostolica vel regia aut alia auctoritatibus notarios scripta, stipulata et confecta fuissent, in suos conservatores et iudices cum huiusmodi ac aliis omnibus et singulis facultatibus in prefatis et presentibus litteris contentis toties quoties opus fuerit assumere libere et licite valeat dicta auctoritate tenore presentium concedimus et indulgemus et interim ut quecumque persona seu persone alias de iure vel privilegio huiusmodi capaces pro parte prepositi generalis vel superiorum aut personarum societatis huiusmodi requisite iurisdictionem et conservationem prepositi et personarum societatis huiusmodi vigore eiusdem privilegii legitimo impedimento cessante in virtute sancte obedientie

suscipere et exequi teneant, nec propterea dictam societatem ad certos et determinatos conservatores alligari auctoritate apostolica et tenore prefatis statuimus et ordinamus. Decernentes prefatas litteras alias in suo robore remanere irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus premissis ac pie memorie Leonis pape decimi etiam predecessoris nostri in Concilio Lateranensi edita qua statuitur ut conservatores religiosorum pro tempore a dicta Sede Apostolica deputandi in ecclesiastica dignitate constituti esse debeant ac religiose memorie Bonifacii pape octavi similiter predecessoris nostri qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel diocesim nisi in certis expressis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur seu ne iudices a dicta Sede deputati extra civitatem vel diocesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere aut alii vel aliis vices suas committere presumant et in Concilio generali edita de duabus dietis dummodo non ultra tres dietas quis vigore presentium ad iudicium non trahatur et aliis apostolicis necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis ordinibus, monasteriis, domibus vel aliis locis secularibus et regularibus eorumque superioribus conventibus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolice potestatis plenitudine etiam consistorialiter et alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis etiamsi de illis ac totis eorum tenoribus specialis, specifica, individua et expressa mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent presentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus necnon omnibus illis que dictus Pius predecessor voluit non obstare ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem etc. Volumus autem quod earumdem presentium transumptis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius persone in dignitate ecclesiastica constitute seu etiam ipsius societatis prepositi generalis munitis eadem prorsus fides adhibeatur que ipsis presentibus originalibus litteris adhiberetur si forent exhibite vel ostense. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, confirmationis, inno-

vationis, ampliationis, concessionis, indulti, statuti, ordinationis, decreti, derogationis et voluntatis infringere vel ei etc. Si quis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo septuagesimo nono, nona kalendas novembris pontificatus nostri anno octavo.

387

Exponi nobis nuper

Arm. XLII 40 fol. 132r — die 14 novembris 1579

CONCEDITUR FACULTAS TRANSFERENDI MONIALES IN ALIUD MONASTERIUM

Summus Pontifex provinciali Ordinis Fratrum Praedicatorum provinciae Sancti Iacobi in Nova Hispania pro eius instantia concedit, ut in monasterium monialium eiusdem Ordinis in civitate *México* noviter constructum aliquas moniales idoneas ex alio monasterio etiam alterius Ordinis transferre valeat ad regularem disciplinam in novo monasterio instituendam, sub condicionibus in concessione expressis; quae quidem ita translatae monasterii nuper erecti curam gereant, donec competens monialium numerus in eodem erit *qui ad sibi eligendam priorissam et alias ad reliqua munera eiusdem monasterii obeunda idoneus habeatur.*

Gregorius XIII

Dilecto filio Provintiali provintiae Sancti Iacobi Nove Hispanie in partibus Indiarum Maris Oceani ordinis fratrum Predicatorum seu eius vicario.

Dilecte fili salutem etc. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Sebastianus de Arexita et Alphonsus de Aguilar provintie Sancti Iaco-

bi Nove Hispanie in partibus Indiarum Maris Oceani procuratores quod tu et alii fratres dicte provintie instante pia intentione et devotione magnatuum civitatis Mexicane unum monasterium monialium servatis de iure servandis construere cepistis sub invocatione sancte Catherinae de Senis cuius aedificia nunc fere sunt absoluta. Cum autem ad regularem disciplinam iuxta illius candorem in eodem monasterio instituendam aliquas moniales etate et morum gravitate ac prudentia insignes ex aliquo monasterio educere ac in eodem monasterio nuper erecto introducere necesse sit nec in dicta civitate monasterium aliquod monialium sub cura vestra degentium existat ex quo moniales ad eum effectum educi possint, pro parte dictorum procuratorum nobis fuit humiliter supplicatum quatenus in premissis opportune consulere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati tibi ex quatuor seu quinque monasteriis monialium ordinis Conceptionis beatae Marie virginis in dicta civitate sub cura et iurisdictione ordinarii Mexicanensis existentibus quinque vel sex moniales que transferri consenserint ordinarii loci petita atque obtenta licentia omnes ex uno vel omnes ab omnibus monasteriis predictis educendi ac easdem in predicto monasterio introducendi illasque eidem preficiendi facultatem auctoritate Apostolica tenore presentium impartimur ita quod moniales, postquam educte et translate fuerint regularibus institutis vestris, vitam moresque suos conforment novamque professionem ordinis Predicatorum emittant et aliarum que in dicto monasterio pro tempore recipientur curam gerant donec competens monialium numerus in eodem nuper erecto monasterio erit qui ad sibi eligendam priorissam et alias ad reliqua munera eiusdem monasterii obeunda idoneus habeatur. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac monasteriorum et ordinum ex quibus dicte moniales educentur iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus eorum tenores presentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod presentium transumptis etiam in premissis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo persone in dignitate ecclesiastica constitute munitis eadem ubique fides adhibeatur quae ipsis presentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 14 novembris 1579, anno 8°.

388

Exponi nobis nuper

Arm. XLII 40 fol. 133r-134r die 14 novembris 1579

CONCEDITUR IUS SUFFRAGIUM FERENDI IN ELECTIONE CAPITULI GENERALIS

Duobus sodalibus provinciae Sancti Iacobi Novae Hispaniae, Ordinis Fratrum Praedicatorum, qui pro negotiis Ordinis gerendis in Urbe degunt, Summus Pontifex concedit, ut ad Capitulum Generale pro Magistri Generalis electione proxime celebrandum accedere valeant, alter ut definitor, alter vero tamquam elector, quamvis tale mandatum a propria provincia non acceperint, dummodo interim a Capitulo provinciali alii in eorum locum non fuerint deputati et praesentes sint in Capitulo Generali. Ex auctoritate apostolica ita admissi omnibus iuribus et privilegiis cum tali munere coniunctis licite et libere uti valeant, molestiis vel perturbationibus quibusvis prohibitis.

Gregorius XIII

Dilectis filiis Sebastiano de Arexita et Illefonso de Aguillar provinciae Sancti Iacobi Novae Hispaniae partium Indiarum Maris Oceani Ordinis fratrum Predicatorum professoribus.

Dilecti filii salutem etc. Exponi nobis nuper fecistis quod Capitulum provinciale et diffinitores provinciae Sancti Iacobi Novae Hispaniae ordinis fratrum Praedicatorum non secuta adhuc morte quondam Seraphini Caballi olim dicti ordinis generalis magistri vos pro gravissimis eiusdem provinciae negotiis cum absoluta potestate quaecumque negotia ad eandem provinciam illiusque Capitulum spectantia tractando et peragendi de mense octobris anno proxime preterito ad eundem generalem magistrum destinarunt. Secuto autem obitu eiusdem Seraphini generalis de mense novembris in regnis Hispaniarum

quo eadem negotia vobis iniuncta expedire et perficere possetis ad Urbem nostram venistis ut de eisdem rebus cum dilecto filio vicario generali eiusdem ordinis consuleretis atque ageretis, qui eadem omnia ad generale Capitulum pro eiusdem magistri generalis electione proxime celebrandum remisit; verum cum pro dicta electione facienda quaelibet dicti ordinis provincia praeter illius provincialem soleat etiam mittere duos ipsius ordinis professores, quorum unus est diffinitor, alter vero elector, dictumque Capitulum pro celebranda electione huiusmodi in proximo festo Pentecostes celebrandum sit, ne vestra provincia ob locorum distantiam iuribus suis careat in ferendo suffragio in electione predicta, ac verisimile sit quod si Capitulum et diffinitores eiusdem generalis obitus notitiam habuissent vos potissimum in quos maximam fidem habent ad ea munera ferendi suffragia delegissent, propterea nobis humiliter supplicari fecistis quatenus in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur de vestra probitate ac in rebus agendis fide et experientia plurimum in Domino confisi huiusmodi supplicationibus inclinati unum, qui eius ordinis sit antiquior professor, in diffinitorem, alterum vero vestrum in electorem in ipso Capitulo generali celebrando dummodo interim ab eodem provinciali Capitulo vos ab ipsis muneribus revocari et alios in locum ad ea munera diffinitoris et electoris deputari presentes adesse non contingat Apostolica auctoritate tenore presentium eligimus, constituimus et deputamus; ac vobis quod eisdem prorsus facultatibus, gratiis, auctoritatibus, indultis, libertatibus et exemptionibus aliis in diffinitores et electores secundum constitutiones vestras electi et deputati utuntur, potiuntur et gaudent ac uti, potiri et gaudere possunt, uti, potiri et gaudere libere et licite valeatis perinde etiam, ac si a vestra provincia ad talia munia peragenda electi fuissetis auctoritate et tenore premissis de speciali gratia indulgemus districte eiusdem ordinis vicario generali omnibusque et singulis personis quavis auctoritate, dignitate et officio fungentibus, quae in dicto Capitulo generali intererunt in virtute sanctae obedientiae inhibentes ne vos seu alterum vestrum desuper quoquomodo molestare, perturbare seu inquietare audeant seu presumant. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac provinciae et ordinis predictorum iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis in genere vel in specie ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis eorum tenores presentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et

expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XIIII novembris 1579, anno octavo.

389

Desiderantes cunctorum

Hernáez II 355-356 die 22 martii 1580

PRO CONFRATERNITATE ROSARII INDULGENTIAE CONCEDUNTUR

In domibus Fratrum Praedicatorum provinciae Sancti Iacobi in Nova Hispania confraternitas Rosarii canonice instituta est, et magna devotione Indorum gaudet. Summus Pontifex omnibus confratribus prima dominica octobris, in qua festum sanctissimi Rosarii celebratur, consuetis condicionibus indulgentiam plenariam, aliis vero festivitatibus et occasionibus indulgentias temporales concedit.

Gregorius XIII

Universis Christifidelibus praesentes Litteras inspecturis Salutem et Apostolicam Benedictionem. Desiderantes cunctorum Christifidelium animarum salutem, omnes, quas possumus, vias exquirimus et veritatis semitas investigamus, per quas ipsi Christifideles post peractum hujus mortalitatis cursum spe, fide et charitate muniti ad coelestia gaudia valeant feliciter pervenire.

Cum itaque, sicut accepimus, in domibus Ordinis Fratrum Praedicatorum Provinciae S. Jacobi Novae Hispaniae Indiarum Maris Occeani, in quarum Ecclesiis confraternitas Rosarii canonice instituta est, magna cum devotione Indorum et noviter ad Fidem conversorum et aliarum personarum inibi degentium festivitates et solemnitates

B.M. Virginis, et inter eas omnes festum SS.mi Rosarii prima Dominica Octobris cujuslibet anni celebrentur, ut ipsi in tam laudabili proposito et devotione confoveantur etc., de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi etc., omnibus et singulis utriusque sexus Confratribus confraternitatis in Ecclesiis praedictis institutae, qui dicta prima Dominica Octobris, quae principaliter appellatur, vere poenitentes peccata sua dicti Ordinis professoribus confessi fuerint, et in Ecclesiis, ubi dicta Confraternitas instituta erit, SS.mum Eucharistiae Sacramentum susceperint, praetereaque ipsis Confratribus ac omnibus et singulis aliis utriusque sexus Christifidelibus etiam vere poenitentes et confessi ac SS.mo Eucharistiae Sacramento refecti, qui in diebus Sanctorum Advocatorum Ecclesiarum Domorum dicti Ordinis in dicta Provincia existentium, ac SS.mi Corporis Christi, easdem Ecclesias devote visitaverint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem, auctoritate Apostolica, tenore presentium elargimur; necnon ipsis Confratribus, qui in diebus Quadragesimae Missae et concioni, quae de B.V. Maria in Sabbatis fiunt, et dum cantatur Antiphona, quae incipit Salve Regina, interfuerint, unum annum; ac diebus, in quibus virgines maritantur ex eleemosynis dictae Confraternitatis, tam ipsae virgines, quam earum mariti et Confratres praedicti, qui processioni interfuerint, quinque annos. Postremo ipsis, qui processionem, quae quolibet die Sabbati post Missam de B.V. Maria in claustris dictarum domorum, seu per ipsam Ecclesiam in suffragium Defunctorum fit, associabunt, octo annos de eis injunctis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, misericorditer in Domino relaxamus. Et quia ab antiquo, ut etiam accepimus, fuit consuetudo cum hujusmodi processionibus, quae ut plurimum fiunt quater in mense, satisfacere Ordinationi dictae Confraternitatis, quod processio fiat semel in mense, talem consuetudinem ratam habentes, harum serie decernimus quod, qui Processionibus seu Processioni interfuerint, censeantur praedictae Ordinationi satisfecisse. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris etc.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 22 Martii 1580, Pontificatus nostri anno octavo.

390

Oblatae nobis nuper

Sec. Brev. 107 fol. 293rv — die 5 aprilis 1580

DISPENSATIO IN SECUNDO GRADU CONSANGUINITATIS

Gregorius XIII

Venerabili fratri episcopo seu dilecto filio offitiali Carthaginen.

Venerabilis frater seu dilecte fili salutem etc. Oblatae nobis nuper pro parte dilecti filii Petri Galindo laici et dilectae in Christo filiae Franciscae de Siles mulieris de Cubas Carthaginen. diocesis petitionis series continebat quod ipsi alias scientes se aliquo consanguinitatis gradu invicem esse coniunctos quoto tamen ignorantes cum dicta Francisca saepe domum dicti Petri ad alendos quinque ipsius Petri filios ex praedefuncta eius uxore susceptos adiisset carnis fragilitate devincti sub promissione de matrimonio inter eos contrahendo se carnaliter cognoverunt, et licet postmodum ad eorum pervenisset notitiam eos quarto consanguinitatis gradu invicem esse coniunctos, nihilominus in eadem copula perseverarunt, et tres proles procrearunt, quibus ad notitiam curiae secularis deductis dictus Petrus carceribus fuit mancipatus, et interim repertum fuit Petrum et Franciscam predictos secundo consanguinitatis gradu in linea aequali ex alio stipite proveniente invicem esse coniunctos et propter incestus huiusmodi bona dicti Petri fuerunt dicto fisco adiudicata, et dictus Petrus a dictis carceribus liberatus, eandem Franciscam etiam carnaliter cognovit et cum ipsa Francisca dubitaret eumdem Petrum aliam uxorem ducturum laqueo suspendit et fortuitu dictus Petrus domum ingrediens et

eam suspensam reperiens rupto laqueo ab imminenti morte liberavit, eique promisit nunquam aliam ducturum et de consilio cuiusdam confessoris ad Romanam Curiam se profecturum pro infrascripta dispensatione obtinenda, prout se contulit et sicut eadem petitio subiungebat si matrimonium inter eos non subsequeretur, dicta Francisca diffamata et innupta remaneret, graviaque exinde scandala iam exinde orta de novo suscitarentur. Propterea dicti Petrus et Francisca desiderant invicem matrimonialiter copulari, sed quia dicti Petrus et Francisca secundo ex uno et quarto ex altero stipitibus provenientibus consanguinitatis gradibus invicem sint coniuncti, desiderium eorum huiusmodi hac in parte adimplere non possint absque Sedis Apostolicae dispensatione pro parte eorumdem Petri et Franciscae nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ipsis de absolutionis remedio et opportunae dispositionis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur certam de praemissis notitiam non habentes ac Petrum et Franciscam predictos a quibusvis excommunicationis etc. praeterquam praemissorum etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae frater episcope seu discretioni tuae fili officialis per presentes mandamus, quatenus deposita per te omni spe cuiuscumque muneris, aut praemii etiam sponte oblati, Petrum qui pro huiusmodi dispensatione obtinenda ad dictam Curiam personaliter se contulit et Francisca predictos, qui pauperes existunt et ex labore et industria sua vivunt in primis ad invicem separes deinde si veniam a te petierint humiliter eam illis poenitentiam publicam imponas, quae alios deterreat a similibus committendis, aliaque iniungas quae de iure fuerint iniungenda qua poenitentia publica peracta ac praestito ab eis iuramento, quod talia deinceps non committent nec committentibus praestabunt auxilium, consilium vel favorem ipsos Petrum et Franciscam ab incestus reatu et excommunicationis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis et temporalibus tam a iure quam ab homine contra similia perpetrantes promulgatis, quas ipsi propterea incurrerunt, auctoritate nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma Ecclesiae consueta. Demum si tibi expediens videbitur quod dispensatio huiusmodi sit eis concedenda, nec scandalum sit ex ea oriturum, super quo tuam conscientiam oneramus cum eisdem Petro et Francisca, ut postquam in separatione predicta arbitrio tuo perseveraverint et si predicta Francisca propter hoc rapta non fuerit impedimento secundi ex uno et quarti ex altero stipitibus proveniente consanguinitatis graduum huiusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis nequaquam obstantibus quibuscumque matrimonium inter se publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licet valeant,

dicta auctoritate dispenses prolem susceptam si qua sit et suscipiendam exinde legitimam decernendo. Ita tamen ut si munus aut praemium qualecumque exegeris, aut oblatum receperis, tu frater episcope eo ipso a iurisdictione et pontificalium exercitio, fructuumque mensae tuae perceptione tandiu sis suspensus donec a Sede predicta relaxationem suspensionis huiusmodi per satisfactionem condignam merueris obtinere, tu vero fili officialis excommunicationis latae sententiae poenam incurras et nihilominus absolutio et dispensatio a te faciendae predictae nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 5 aprilis 1580, anno octavo.

391

Cum sicut nobis

Sec. Brev. 47 fol. 268rv — die 13 aprilis 1580

LICENTIA SE PROMOVENDI AD ORDINES EXTRA TEMPORA

Summus Pontifex fratri Ioanni Calvo, Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, quadraginta vel circa annos nato, qui per multum tempus Indos in provincia de *Perú* in fide catholica instruxit, licentiam concedit, ut ad sacros ordines promoveri sese faciat a quocumque maluerit catholico Antistite, de licentia tamen sui Superioris.

Gregorius XIII

Dilecto filio fratri Ioanni Calvo de Corsica ordinis fratrum minorum de observantia professori.

Dilecte fili salutem etc. Cum sicut nobis nuper exponi fecisti tu qui ut asseris in quadragesimo vel circa tuae aetatis anno constitutus

et habitator provinciae del Perù in partibus Indiarum maris Occeani sub ditione charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici existis, ac in easdem partibus per multum temporis spatium multos naturales in fide catholica instruxisti et ad eandem fidem reduxisti, devotionis fervore accensus, utque hostias Deo acceptas offerre possis et ut melius dictum munus erga prefatos Indos exerceas primam tonsuram et quattuor minores ac subdiaconatus, diaconatus et presbiteratus ordines suscipere et in illis in altaris ministerio ministrare desideres, nos te in tuo laudabili proposito huiusmodi confirmare ac tuis votis in praemissis benigne annuere, teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut de licentia tui superioris a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, ubicumque residente, per te eligendo ad primam tonsuram et quattuor minores ac subdiaconatus, diaconatus et presbiteratus ordines huiusmodi etiam extra tempora a iure statuta te promoveri facere, et promotus in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeas, auctoritate apostolica tenore presentium licentiam concedimus, ac eidem antistiti primam tonsuram et ordines huiusmodi conferendi, tibique illos suscipiendi, ut prefertur, facultatem impartimur. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis in contrarium quomodolibet concessis. Quibus omnibus etiam si de illis specialis specifica et expressa mentio habenda foret, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XIII aprilis 1580, anno 8° [1].

---

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 269r.

392

Cum sicut accepimus

Sec. Brev. Indulg. Perp. 1 fol. 6rv — die 9 iunii 1580

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

In ecclesia sub invocatione Conceptionis Beatae Mariae oppidi *Potosí* in *Perú* instituta, consuetis condicionibus.

Gregorius XIII

Ad futuram rei memoriam. Cum sicut accepimus in Ecclesia Conceptionis beatae Mariae oppidi Imperialis de Potosi provinciae Chiarcarum regni del Peru, una utriusque sexus christifidelium confraternitas, quae in bonis operibus se exercere consuevit rite instituta existat: Nos, ut ea maiora in dies suscipiat incrementa, et animarum fidelium saluti uberius consulatur de Omnipotentis Dei misericordia in confisi precibus, etiam pro parte venerabilis fratris episcopi Ciarcham. nobis super hoc humiliter porrectis inclinati omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui dictam confraternitatem pro tempore ingredientur, die eorum ingressus si vere penitentes et confessi fuerint, et sanctissima comunione, si ad hoc ab eorum confessoribus habiles iudicati fuerint, devote sumpserint, ac confratribus iam in ea descriptis, qui uno tamen die per eos post presentium notitiam eligendo contriti pariter et confessi, ac ut prefertur sanctissima comunione refecti fuerint, ac in cuiuslibet dictorum confratrum nunc et pro tempore existentium mortis articulo, si pariter vere penitentes, et confessi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper eisdem confratribus et eorum singulis quoties in eorum ecclesia ad divina officia celebranda convenerint, vel processionaliter iverint, aut mortuos ad sepulturam associaverint, vel infirmos visitaverint, sive aliquod aliud opus pium peregerint, toties centum dies de iniunctis eis, seu aliis quomodolibet debitis, penitentiis harum serie relaxamus. Preterea tam dictis confratribus, quam omnibus aliis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis, et etiam si ad hoc habiles per confessores iudicati fuerint sanctissima comunioni refectis, qui altare Concepcionis beatae Mariae situm in dicta ecclesia in die eius festivo, ac feria quinta maioris hebdomadae, a primis vesperis, usque ad occasum solis eiusdem diei singulis annis devote visitaverint, et ibi pro pace etc. effuderint quo die predictorum id egerint plenariam etc., auctoritate Apostolica tenore presentium elargimur presentibus pro confratribus perpetuo pro non confratribus vero dictum altare, ut prefertur, visitare

ad viginti annos ab earum publicatione computandos dumtaxat valituris. Datum Romae apud Sanctum Petrum die VIIII iunii 1580, anno nono.

393

Cum sicut accepimus

Sec. Brev. Indulg. Perp. 1 fol. 6v die 9 iunii 1580

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

In ecclesia hospitalis sancti Bartholomaei loci *Porco* in *Perú* instituta, consuetis condicionibus.

Gregorius XIII

Ad futuram rei memoriam. Cum sicut accepimus in ecclesia hospitalis Sancti Bartholomei loci de Porco, provinciae Ciarcharum regni del Perù, una utriusque sexus christifidelium confraternitas, que in bonis operibus se exercere consuevit rite instituta existat, nos, ut ea maiora in dies suscipiat incrementa, et animarum infidelium saluti uberius consulatur, de Omnipotentis Dei misericordia in confisi precibus, etiam [ut supra in precedenti]. Preterea tam dictis confratribus, quam omnibus aliis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam Sancti Bartholomei predictam in festo eiusdem Sancti Bartholomei, ac feria quinta hebdomadae sanctae a primis vesperis usque ad occasum solis etc. ut supra. Datum ut supra.

394

Cum sicut accepimus

Sec. Brev. Indulg. Perp. 1 fol. 9r — die 10 iunii 1580

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

In maiori ecclesia civitatis Sancti Ioannis de *Parto* provinciae de *Popayán* in *Perú* instituta, consuetis condicionibus.

Gregorius XIII

Ad futuram rei memoriam. Cum sicut accepimus in maiori ecclesia civitatis Sancti Ioannis de Parto, provinciae de Popayan, regni del Perù, una utriusque sexus christifidelium confraternitas quae in bonis operibus se exercere consuevit rite instituta existat, Nos, ut ea maiora in dies suscipiat incrementa, et animarum fidelium saluti uberius consulatur, de Omnipotentis Dei misericordia [etc.] confisi omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui dictam confraternitatem pro tempore ingredientur [etc., ut supra in precedenti]. Preterea tam dictis confratribus, quam omnibus aliis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui altare maius dictae ecclesiae in festo nativitatis Sancti Iohannis Baptistae, ac feria quinta maioris hebdomadae, a primis vesperis etc., ut supra. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die X iunii 1580, anno 9°.

395

Romanus Pontifex

Sec. Brev. 91 fol. 511r-512v die 13 iunii 1580
BM II 978
Bull. Praed. V 399-400
Hernaéz II 442-444

APPROBATIO ACTORUM CAPITULI GENERALIS ET CONSTITUTIO UNIVERSITATIS IN CIVITATE *SANTA FE DE BOGOTÁ*

Pontifex benigne suscipit petitionem a Fratribus Ordinis Praedicatorum ipsi ex provincia Sanctae Fidei eiusque domo Beatae Mariae *de Rosario* exhibitam, ut provinciae Ordinis in Novo Regno Granatensi privilegia et gratiae adiudicentur et confirmentur, quas Capitulum Generale nuper in domo Beatae Mariae supra Minervam de Urbe celebratum aliis provinciis in partibus Indiarum constitutis circa electionem et ab officio remotionem Superioris Provincialis attribuit, prout in actis Capituli plenius continetur. Insuper, cum civitas Sanctae Fidei Metropolis dicti Novi Regni existat et in illo Regno nulla Studii Generalis Universitas instituta sit, dum in domo Beatae Mariae *de Rosario* dicti viri commorantur, qui scholaribus Sacram Scripturam legere solent, Superiores et Fratres illius domus cupiunt et rogant, ut in eadem unam Universitatem Studii Generalis, in qua Doctoratus et Magisterii ac alii gradus dari possint, Pontifex instituere et erigere dignetur. Pontifex igitur precibus inclinatus acta Capituli de quo agitur confirmat et singulos iuris et facti defectus supplet. Praeterea in domo Beatae Mariae *de Rosario* Universitatem cum Rectore et Lectoribus ac solitis facultatibus et concessionibus perpetuo instituit et erigit, cuius gradus ita valeant, ac si in qualibet alia Universitate partium Hispaniarum suscepti essent.

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex ex iniuncto sibi desuper Apostolicae servitutis officio vota fidelium quorunlibet,

praesertim sub suavi religionis iugo Domino famulantium, per que ipsi in regularis vite et ecclesiasticae discipline norma, coadiuvante Domino, salubriter conservari et tam illi quam alii litterarum studiis insistere cupientes, laborum suorum honores et premia consequi valeant, exaudit ex his que propterea provide facta fuisse comperit ut firma perpetuo et illibata persistant, Apostolici muniminis adiicit firmitatem, aliaque desuper disponit et ordinat, prout conspicit in Domino salubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum Francisci de Carvajal procuratoris generalis provincie Sancti Antonini ordinis fratrum praedicatorum ac prioris et fratrum domus beatae Mariae de Rosario nuncupatae Sanctae Fidei provinciae et ordinis predictorum nobis nuper exhibita petitio continebat quod provincia ipsa novo regno Granatensi partium Indiarum Occidentalium, ditioni temporali charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici subiectarum a viginti annis vel circa canonice instituta et erecta ac inde citra per unum priorem provincialem in capitulo provinciali dicti ordinis ab illius domorum fratribus in eadem provincia residentibus eligi et confirmari solitum, erecta et laudabiliter gubernata extitit et in capitulo generali totius ordinis huiusmodi nuper in domo beatae Mariae supra Minervam de Urbe eiusdem ordinis celebrato per dilectos filios illius magistrum generalem et diffinitores, privilegia et gratie que Sancti Iacobi de Nova Hispania [ac Sancti Iohannis Baptistae] del Perù, ac aliae ordinis et partium Indiarum huiusmodi [provinciae habent pro]vinciae Sancti Antonini concessa fuerunt videlicet, quod [prior] provincialis electus ab antiquiore diffinitore capituli provincialis dictae provinciae, in quo fuerit electus, et antiquiore renuente, ab alio subsequente et sic de singulis usque ad quartum dicti capituli provincialis diffinitorem, Apostolica auctoritate confirmetur, vel ab omnibus quatuor diffinitoribus capituli provincialis huiusmodi removeatur, prout in aliis provinciis predictis observari solet. Quodque vicarii domorum dicte provincie a capitulo vel priore provinciali huiusmodi designati in electione provincialium, propter penuriam priorum, vocem habeant sicut ex concessione Apostolica vicarii domorum dicti ordinis provinciae Sancti Iacobi de Mexico habere dignoscuntur, prout in actis et diffinitionibus dicti capituli generalis desuper confectis plenius continetur. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, civitas Sanctae Fidei Metropolis dicti novi regni existat, ac in ea presidens et auditores Regiae Cancellariae residentiam habeant et in toto illo novo regno et pluribus aliis dictarum partium civitatibus nulla studii generalis Universitas, in qua studiosi et docti viri gradus et insigna recipere possint, instituta reperiatur, in ipsa autem domo beatae Mariae de Rosario scholares docti viri Theologiae et aliarum scien-

tiarum professores, qui eiusdem rectoris domus et provinciae huiusmodi fratribus ac aliis studiosis adolescentibus Sacram Scripturam legere et interpretari solent, commorentur, ac propterea Franciscus ac prior et fratres domus beatae Mariae de Rosario huiusmodi cupiant in eadem domo beatae Mariae de Rosario unam Universitatem studii generalis in qua doctoratus et magisterii ac alii gradus dari et concedi possint, institui et erigi pro parte eorumdem Francisci ac prioris et fratrum dicte domus beatae Mariae de Rosario no[bis] fuit humiliter supplicatum, [quatenus premissis annuere, ac alias] desuper opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui honestis petentium votis, presertim litterarum incrementa concernentibus, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, Franciscum ac priorem et fratres beatae Mariae de Rosario huiusmodi, eosque singulos a quibusvis excommunicationis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem et acceptationem predictas quoad confirmationem dicti prioris provincialis aut illius amotionem ac prout illa concernunt omnia et singula in predictis actis quoad concessionem predictam contenta, Apostolica auctoritate tenore presentium approbamus et confirmamus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus, necnon in domo beatae Mariae de Rosario huiusmodi unam Universitatem studii generalis cum rectore, lectoribus ac solitis facultatibus et concessionibus iuxta morem dicti ordinis, auctoritate et tenore predictis perpetuo, sine alicuius preiudicio erigimus et instituimus, ac quod in ea omnes et singulae a iure permissae scientiae et facultates legi et interpretari, scholaresque inibi residentes omnes et quoscumque cursus pro suscipiendis gradibus doctoratus, magisterii seu licentiature et baccalaureatus in qualibet ex dictis, a iure permissis facultatibus, peragere et dictos gradus cum solitis insignibus postmodum in manibus illius rectoris seu aliis ad id deputatis doctoribus et magistris debite suscipere, ac omnibus et singulis privilegiis, gratiis, concessionibus, favoribus, libertatibus et indultis tam spiritualibus quam temporalibus, quibus alii in aliis Universitatibus studii generalis graduati de iure, usu, statuto et consuetudine aut alias utuntur, potiuntur et gaudent, uti, potiri et gaudere libere et licite valeant in omnibus et per omnia, ac si dicti gradus in qualibet ex aliis Universitatibus studii generalis partium Hispaniarum suscepissent, eisdem auctoritate et tenore etiam perpetuo indulgemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac domorum et ordinis predictorum iura-

mento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, approbationis, confirmationis, suppletionis, erectionis, institutionis et indulti infringere etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo, idus iunii, Pontificatus nostri anno nono.

396

Oblatae nobis nuper

Sec. Brev. 107 fol. 304rv — die 1 augusti 1580

DISPENSATIO IN SECUNDO GRADU CONSANGUINITATIS

Gregorius XIII

Dilecto filio Antonio de Cuerra Contreras laico Sancti Dominici et dilectae in Christo filiae Annae Mariae de Porras mulieri Mexican. civitatum in partium Indiarum Maris Occeani.

Dilecte fili et dilecta in Christo filia salutem etc. Oblatae nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat, quod cum vos, tu videlicet Antoni dilectae in Christo filiae Marianae de Contreras mulieris Sancti Dominici frater germanus tu vero Anna dilecti filii Francisci de Quenqua Mexican. civitatum partium Indiarum maris Oceani soror germana et de nobili genere procreati existatis et in illis partibus fere omnes naturales noviter ad Christi fidem conversi sint, et propterea personas in eisdem partibus in quibus quoad vixeritis permanere firmiter proposuistis paris conditionis cum quibus matrimonia contra-

here possitis invenire nequeatis, cupiatisque propterea ut nobilitatem vestram inter vos conservare possitis, invicem matrimonialiter copulari, sed quia secundo consanguinitatis gradu in linea aequali invicem estis coniuncti, desiderium vestrum hac in parte adimplere non potestis absque Sedis Apostolicae dispensatione pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum quatenus vobis in premissis de opportunae dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur vos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati vobiscum, quod impedimento secundi consanguinitatis gradus huiusmodi ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis nequaquam obstantibus matrimonium inter vos publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite valeatis, dummodo tu Anna propter hoc rapta non fueris Apostolica auctoritate tenore presentium de specialis dono gratiae dispensamus prolem exinde suscipiendam legitimam nunciando. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die prima augusti 1580, anno nono.

397

Oblatae nobis nuper

Sec. Brev. 107 fol. 304v-305r die 1 augusti 1580

DISPENSATIO IN SECUNDO GRADU CONSANGUINITATIS

Gregorius XIII

Dilecto filio Francisco de Quenca laico Mexican. et dilectae in

Christo filiae Mariannae de Contreras mulieri Sancti Dominici civitatum partium Indiarum maris Oceani.

Dilecte fili et dilecta in Christo filia salutem etc. Oblatae nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat, quod cum vos tu videlicet Francisce frater germanus dilectae in Christo filiae Annae Mariae de Porras mulieris Mexican., tu vero Marianna dilecti filii Antonii de Cuerra Contreras laici Sancti Dominici partium Indiarum maris Oceani soror germana et de nobili genere procreati existatis et in illis partibus fere omnes naturales noviter ad Christi fidem conversi sint, et propterea personas in eisdem partibus in quibus quoad vixeritis permanere firmiter proposuistis paris conditionis cum quibus matrimonium contrahere possitis invenire nequeatis, cupiatisque propterea ut nobilitatem vestram inter vos conservare possitis invicem matrimonialiter copulari, sed quia secundo consanguinitatis gradu in linea aequali invicem estis coniuncti, desiderium vestrum hac in parte adimplere non potestis absque Sedis Apostolicae dispensatione pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum quatenus vobis in praemissis de opportunae dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur vos a quibusvis excommunicationis etc. censentes huiusmodi supplicationibus inclinati, vobiscum ut impedimento secundi consanguinitatis gradus huiusmodi ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis nequaquam obstantibus matrimonium inter vos publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite valeatis dummodo tu Marianna propter hoc rapta non fueris Apostolica auctoritate tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus prolem exinde suscipiendam legitimam nunciando. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die prima augusti 1580, anno nono.

398

Cum sicut accepimus

Sec. Brev. 47 fol. 564rv die 23 octobris 1580
Monumenta Hist. S.J. 82, 857-858

FACULTAS PROVINCIALI SOCIETATIS IESU IN *PERÚ* CONCEDITUR INSTITUENDI CONFRATERNITATES

Summus Pontifex augmentum fidei apud Indos in *Perú* totis affectibus ambiens, provinciali Societatis Iesu in illis regionibus Indiarum facultatem concedit ad instituendas confraternitates pias in templis propriis et aliis quibuscumque, decretis ecclesiasticis tamen non contrarias. Indulgentias quoque concedit confratribus Societatis Iesu ac Indis christifidelibus, sub consuetis condicionibus et si pro conversione infidelium preces ad Deum fuderint.

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Cum sicut accepimus apud Indias del Perù, in quibus non pauci ex Societate Iesu religiosi, ad mentes dispersorum populorum in verum Deum convertendas, moram trahunt, catholica fides divina clementia non parvum incrementum susceperit ac in dies maius speretur. Idcirco si in illis partibus nonnullae confraternitates instituerentur uberrimus inde fructus, Deo benedicente, produci et carpi posset. Nos igitur, qui ipsius fidei augmentum totis ambimus affectibus, dilecto filio Provinciali eiusdem Societatis in ipsis partibus agenti, duodecim confraternitates sub invocationibus et denominationibus tam in ipsius Societatis, quam aliis quibusvis ecclesiis capellis, seu in eis altaribus sibi bene visis erigendi et instituendi, ac nonnulla statuta pro felici directione et regimine illarum confraternitatum, licita tamen et honesta ac sacris canonibus et decretis Concilii Tridentini non contraria, condendi et conscribendi, illaque postmo-

dum in melius immutandi et alterandi licentiam et facultatem; et praeterea, ut ipsi confratres alacrius ad piorum operum exercitium accendantur, eorum singulis, quoties sacrificio Missae ad ipsorum intentionem ordinaria quadam dierum vicissitudine instituendae intererunt, decem annorum, necnon tam ipsis confratribus, quam reliquis utriusque sexus christifidelibus confessis et contritis, qui ecclesiam aliquam vel capellam seu altare dictarum confraternitatum, die qui pro festo principali in eis quotannis celebrando assumetur, a primis vesperis usque ad occasum solis illius diei devote visitaverint et in ipsa ecclesia Sanctissimae Eucharistiae communionem sumpserint ac inibi pro conversione infidelium preces ad Deum fuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam de omnipotentis Dei misericordia etc. confisi respective concedimus et elargimur. Necnon presentes sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, derogationibus, limitationibus, modificationibus similium vel dissimilium indulgentiarum sub quibuscunque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, nisi ipsarum expressa mentio fiat nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas et quoties emanabunt toties in pristinum statum restitutas et de novo concessas esse et censeri, ac ipsis confratribus suffragari debentur; irritumque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate nostra earundem tenore presentium decernimus. Constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XXIII octobris 1580, anno nono.

399

Apostolatus officium

Bull. Praed. V 433
Hernáez II 63
BM II 988

die 5 decembris 1580

PROVISIO ECCLESIAE DE *YUCATÁN*

Didaco de Landa, episcopo de *Yucatán* mortuo, Gregorius de Montalvo, Ordinis Fratrum Praedicatorum presbyter et professor, novus episcopus eiusdem Ecclesiae, quae est ex privilegio apostolico de iurepatronatus regis Hispaniarum, constituitur.

Gregorius XIII

Gregorius Episcopus Servus servorum Dei. Dilecto filio Gregorio [1] electo de Yucatan, salutem et Apostolicam benedictionem. Apostolatus officium meritis licet imparibus etc. gubernare. Sane Ecclesia de Yucatan partium Indiarum maris Oceani, quae de iurepatronatus carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici ex privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum esse dignoscitur, ac cui bone memorie Didacus [2] episcopus de Yucatan dum viveret presidebat per obitum dicti Didaci episcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, ne illa etc. intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam etc. diligentem demum ad te Ordinis Fratrum Praedicatorum et Theologie professorem in presbyteratus ordine constitutum, quem predictus Philippus Rex nobis ad hoc per suas litteras presentavit, cuique apud nos de religionis zelo, vite munditia, honestate morum etc. quibus pensatis, de persona tua nobis accepta predicte ecclesie de eorumdem fratrum consilio, Apostolica auctoritate providemus, teque illi in episcopum preficimus et pastorem, curam etc. committendo in illo qui dat gratias etc. confidentes, quod

---

[1] Gregorius de Montalvo, OP, oriundus ex dioecesi Segoviensi (*Segóvia*), 1580-1586 episcopus Ecclesiae de *Yucatán*, anno 1586 translatus est ad Ecclesiam Cuschensem (*Cuzco*); mortuus est die 11 decembris 1591. *Lopetegui-Zubillaga* 506-509; *Egaña* 308-309.

[2] Didacus de Landa natus est anno 1524 in *Cifuentes*, anno 1541 Ordini Fratrum Minorum nomen dedit, 1549 primus Franciscanus in *Yucatán* se contulit; 1572 episcopus Ecclesiae de *Yucatán*; mortuus est die 29 aprilis 1579. BM II 809; *Lopetegui-Zubillaga* 502-506.

dirigente Domino actus tuos predicta ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata etc. incrementa. Iugum igitur Domini tibi commissum etc., tuque preter aeterne retributionis premium etc. merearis. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice Millesimo Quingentesimo Octuagesimo, Nonis decembris, Pontificatus nostri Anno Nono.

400

Oblatae nobis nuper

Sec. Brev. 107 fol. 355v-356v die 7 octobris 1581

DISPENSATIO IN SECUNDO GRADU CONSANGUINITATIS

Gregorius XIII

Dilecto filio Roderico de Valençuela laico oppidi civitatis nuncupati Sancti Ioannis de la Frontera de Guamanga et dilectae in Christo filiae Petronillae de Casceres mulieri oppidi civitatis nuncupati de Arequipa civibus Cuzquen. regni de Perù partium Indiarum Occidentalium.

Dilecte fili et dilecta in Christo filia salutem etc. Oblatae nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat, quod cum alias scientes vos secundo consanguinitatis gradu in linea aequali invicem esse coniunctos carnis fragilitate devicti et mutuo amore impulsi nullis praecedentibus sponsalibus vos pluries carnaliter cognovistis, tuque Petronilla gravida exinde effecta prolem postmodum procreasses et inter vestros proximiores consanguineos, qui nobiles et de principalibus earum dictarum partium Indiarum existunt graves inimicitiae et

discordiae et alia scandala propterea oriri formidarentur pro illis obviandis, ac bono pacis et concordiae ac conservatione amicitiae vos, qui de nobili genere procreati estis de contrahendo inter vos matrimonio praevia tamen Sedis Apostolicae dispensatione desuper opportuna tractastis pro qua obtinenda tu Roderice ex eisdem Indiarum partibus ad dictam Sedem longissima navigatione et prolixa itineris trium millia et septingentarum leucarum peragratione plura et ardua pericula passus te contulisti et cum tuus genitor unus de primis debellatoribus etiam reductoribus ad Catholicam fidem quam Indi dictarum partium tenent fuerit, ipseque pro augmento et conservatione dictae fidei in quodam propugnaculo dictarum partium per septennium vel circa suam operam et servitutis obsequia personaliter praestando inservieris et tua plurimum intersit ex Urbe in qua per biennium et ultra iam permansisti quantocitius ad eas partes Indiarum redires, quia si diuturno tempore in partibus Italiae aut Hispaniarum demorari cogereris nullum quidem modum te in eisdem partibus substandi haberes, praesertim cum omnia bona tua, quae ex successione parentum tuorum provenerant, cuidam tuae sorori germanae ut matrimonio decedenter collocaretur charitatis intuitu gratiose donaveris et ideo egenus effectus sis. Propterea ac etiam quia si inter vos matrimonium non subsequeretur tu Petronilla quae Indorum commendataria existis, et unde ambo vos congrue sustentari valeatis habes diffamata et innupta remaneres, graviaque exinde scandala possent verisimiliter exoriri. Pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum quatenus vobis in praemissis de absolutionis beneficio et opportunae dispensationis gratiae providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur vos a quibusvis excommunicationis etc. praeter quam etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati vos et quemlibet vestrum a generali excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et etiam temporalibus corporis afflictivis et bonorum districtivis poenis, quas propter praemissa incurristis et pati deberetis incestus reatu et excessibus huiusmodi in utroque foro Apostolica auctoritate tenore praesentium absolvimus et totaliter liberamus, ac vobiscum quod impedimento secundi gradus consanguinitatis in linea aequali huiusmodi ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque nequaquam obstantibus matrimonium inter vos publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite valeatis dummodo tu Petronilla propter hoc rapta non fueris dicta auctoritate Apostolica earumdem tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernentes. Volumus autem quod poenitentiam quam confes-

sor idoneus et a loci ordinario approbatus vobis propter praemissa iniunget adimplere omnino teneamini, alias presentes literae quo ad forum conscientiae nullae sint. Datum Tusculi etc. die 7 octobris 1581 anno decimo.

401

Exponi nobis fecit

Hernáez II 356-357 die 23 decembris 1581

SPECTACULA AGITATIONIS TAURORUM ETIAM IN REGNIS PORTUGALLIAE ITERUM PERMITTUNTUR

Gregorius XIII poenas excommunicationis et interdicti, a Pio V in eos qui spectacula agitationum taurorum exercent statutas, litteris suis pro regnis Hispaniae sustulerat quoad laicos et milites, dummodo agitationes taurorum festis diebus non fiant. Precibus Philippi regis nunc etiam ad regna Portugalliae et Algarbiorum litteras praedictas extendit.

Gregorius XIII

Ad perpetuam rei memoriam. Exponi nobis fecit Charissimus in Christo Filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus quod cum Nos alias Excommunicationis, anathematis et interdicti aliarumque Ecclesiasticarum sententiarum et censurarum poenas in Constitutione fel. rec. Pii Papae V, Praedecessoris nostri, adversus eos, qui in eorum locis spectacula, ubi taurorum aliarumque ferarum et bestiarum agitationes exercentur, fieri permitterent, aut illis quomodolibet interessent, contentas in ejusdem Regis Hispaniarum Regnis ad se spectantibus ex certis causis nostrum animum moventibus, certis modo et forma sustulerimus et amoverimus, prout in nostris desuper

confectis Litteris in forma Brevis, sub datum 25 augusti 1575, Pontificatus nostri anno quarto, plenius continetur: Ipseque Philippus Rex in Portugaliae et Algarbiorum Regnis hujusmodi postmodum successerit, et propterea desideret Litteras nostras praedictas ad eadem Portugaliae et Algarbiorum Regna, in quibus eaedem causae militant, per Nos extendi et ampliari, Nobis humiliter supplicari fecit, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsius Philippi Regis supplicationibus in hac parte inclinati, Litteras nostras praedictas, in quibus Excommunicationis, anathematis et interdicti aliarumque Ecclesiasticarum sententiarum et censurarum in ipsius Pii V Praedecesoris Constitutione contentas poenas in eisdem Hispaniarum Regnis, quoad laicos et Fratres Milites tantum quarumcumque Militiarum, etiam Praeceptorias et Beneficia ipsarum Militiarum pro tempore obtinentes, dummodo dicti Fratres Milites Sacris Ordinibus initiati non essent, et agitationes taurorum festis diebus non fiant, sustulimus et amovimus, cum omnibus in eis contentis clausulis ad Portugaliae et Algarbiorum Regna hujusmodi auctoritate Apostolica, tenore praesentium, extendimus et ampliamus.

Non obstan. omnibus, quae in dictis Litteris voluimus non obstare, caeterisque quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus et Synodalibus Conciliis contrariis quibuscumque. Proviso tamen per eos, ad quos spectabit, quod exinde alicujus mors, quoad fieri potest, sequi non possit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die vigesimo tertio Decembris millesimo quingentesimo octuagesimo primo, Pontificatus nostri anno decimo.

402

Exponi nobis nuper

Sec. Brev. 52 fol. 2v — die 17 ianuarii 1582

LICENTIA NOMINANDI AD MAGISTERII GRADUM

Gregorius XIII

Dilecto filio Michaeli de Carmona ordinis fratrum eremitarum Sancti Augustini professori et in theologia magistro.

Dilecte fili salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti quod commodum esset et utile nonnullos fratres tui ordinis Sancti Augustini fide, pietate et doctrina probatos in provinciis de Perù ubi messis quidem multa operarii autem pauci ad convertendos populos ad Christi fidem praedicationibus et aliis piis exercitiis, ultra alios qui ibi sunt adhibere cuperes. Quare nobis humiliter supplicari curasti ut quatuor fratres probitate, religione ac virtute insignes per te eligendos ad magisterii gradum ibidem promoveri mandare de benignitate apostolica dignaremur; nos igitur publice illarum partium utilitati pro officii cura providere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati provinciali provinciarum praedictarum cum Capitulum provinciale habebitur, ut quatuor ex praedictis fratribus qualificatis, ut prefertur, per te nominandos, adhibitis secum aliquibus in theologia magistris et rigoroso praemisso examini si ad id idonei fuerint reperti, gradum et insignia magisterii in theologia conferre et exhibere valeat, licentiam et facultatem per presentes concedimus. Decernentes quod dicti quatuor fratres postquam gradum et insignia huiusmodi consecuti fuerint, ut prefertur, omnibus et singulis gratiis preeminentiis, privilegiis et indultis frui possint, quibus alii theologie magistri in qualibet privilegiata Universitate promoti potiuntur, gaudent et fruuntur, ac uti potiri, gaudere et frui poterint quomodolibet in futurum. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicti ordinis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die XVII ianuarii 1582, anno X° [1].

---

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 2r.

403

Cum sicut accepimus

Sec. Brev. Indulg. Perp. 1 fol. 228rv die 1 februarii 1582

CONFRATERNITATI AGRICOLARUM IN LIMA INDULGENTIAE CONCEDUNTUR

In ecclesia sancti Marcelli Papae et Martyris in civitate *Lima* agricolarum confraternitas instituta est. Summus Pontifex sodalibus die eorum inscriptionis et iam inscriptis die quam maluerint, omnibusque in articulo mortis indulgentiam plenariam concedit, indulgentiam centum dierum vero pro omni opere pio peracto.

Gregorius XIII

Ad futuram rei memoriam. Cum sicut accepimus in ecclesia Sancti Marcelli papae et martiris, civitatis Regum in regno del Perù, una agricolarum confraternitas rite instituta existat, quae in bonis operibus se exercere consuevit, nos, ut ea maiora in dies suscipiat incrementa, et animarum saluti uberius consulatur, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus qui dictam confraternitatem pro tempore ingredientur die eorum ingressus, si vere penitentes, et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, ac eisdem confratribus in ea iam descriptis, qui uno tantum die per eos post presentium notitiam eligendo contriti pariter et confessi idem sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, ac cuiuslibet dictorum confratrum, nunc et pro tempore existentium, mortis articulo si pariter vere penitentes et confessi fuerint, vel si confiteri nequiverint saltem contriti nomen Jesu ore vel corde invocaverint plena-

riam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper eisdem confratribus et eorum singulis quoties in eorum oratorio ad divina offitia celebranda convenerint, vel processionaliter iverint, aut mortuos ad sepulturam associaverint vel infirmos visitaverint, sive aliquod aliud opus pium peregerint toties centum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis penitentiis harum serie relaxamus. Preterea tam dictis confratribus, quam omnibus utriusque sexus christifidelibus etc., qui ecclesiam praedictam in eiusdem sancti Marcelli festo a primis vesperis etc., et ibi etc., plenariam etc., presentibus pro confratribus perpetuo pro non confratribus vero dictam ecclesiam visitantibus ad XX.ti annos ab earum publicatione computandos valituris. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die prima februarii 1582, pontificatus nostri anno decimo.

404

Exponi nobis fecerunt

Sec. Brev. 52 fol. 280r — die 28 maii 1582

LICENTIA SE TRANSFERENDI AD ALIUD MONASTERIUM

Gregorius XIII

Venerabili fratri episcopo [1] Sancti Iacobi de Chile in partibus Indiarum del Perù.

---

[1] Episcopus Ecclesiae Sancti Iacobi (*Santiago*) erat Didacus de Medellin, OFM (1574-1593).

Venerabilis frater salutem etc. Exponi nobis fecerunt dilecti filii Alvarus de Mendoza et Eleonora de Ribera in istis partibus Indiarum commorantes, quod ipsi unam filiam in monasterio istius civitatis Sancti Iacobi de Chile monialem habent, quae cupit ob tumultus et bella quae assidue existant in ea provincia quia infideles earum regionum adhuc ad veram fidem omnes reducti non sunt, ne ipsa tristis ob absentiam suorum parentum remaneat, propter belli pericula et eorum metum, praesertim quod religionis oneribus admodum idonea non esse videtur, ad aliud monasterium monialium eiusdem ordinis civitatis Limae in eodem regno consistentis ubi pax et quies observatur, se transferre. Quare nobis pro eorum parte fuit humiliter supplicatum ut tibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur; nos igitur de supranarratis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus ut si praemissa vera sint, moniali praedictae ipsum monasterium civitatis Sancti Iacobi, ubi ad praesens existit, de consensu eius abbatissae exire, relicta ibidem elemosina per ipsam tradita et ad monasterium civitatis Limae eiusdem ordinis se transferre, ibique manere libere et licite valeat, auctoritate nostra licentiam concedas. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dictorum monasteriorum et ordinum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis illis quomodolibet concessis et confirmatis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die XXVIII maii 1582, anno XI° [2].

[2] Litterae supplices: ibid. fol. 281r.

405

Apostolatus officium

Bull. Praed. V 433-434 die 1 octobris 1582
Hernáez II 74-75
BM II 1006

PROVISIO ECCLESIAE DE *GUADALAJARA*

Francisco de Mendiola episcopo Ecclesiae de *Guadalajara,* provinciae Novae Galiciae, mortuo, Dominicus de Alzola, Ordinis Fratrum Praedicatorum presbyter et professor, quinquagesimum aetatis suae annum agens, novus episcopus eiusdem Ecclesiae constituitur, quem Philippus rex ad hoc praesentaverat.

Gregorius XIII

Gregorius Episcopus Servorum Dei. Dilecto filio Dominico de Alzola [1] electo de Guadalaxara, salutem et Apostolicam benedictionem. Apostolatus officium etc. gubernare. Sane ecclesia de Guadalaxara provincie Nove Gallitie in partibus Indiarum maris Oceani consistente que de iurepatronatus carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici ratione regnorum Castelle et Legionis quorum ipse Philippus etiam Rex existit, ex privilegio Apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dignoscitur, et cui bone memorie Franciscus [2] olim episcopus de Guadalaxara dum viveret presidebat per obitum dicti Francisci episcopi, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, nos ad provisionem dicte ecclesie celerem etc. intendentes post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam etc. diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Praedicatorum ac Theologie professorem, in presbyteratus ordine et in quinquagesimo tue aetatis anno contitutum, ac verbi Dei concionatorem quem predictus Philippus Rex nobis ad hoc per suas litteras presentavit, et cui apud nos de religionis zelo, vite munditia, honestate morum etc. perhibentur, direximus oculos nostre mentis quibus etc. pensatis de persona tua nobis etc. accepta predicte ecclesie de ipsorum fratrum consilio Apostolica auctoritate providemus, teque illi in episcopum preficimus et pastorem, curam etc. committendo in illo qui dat gratiam etc. confidentes, dirigente Domino actus tuos predicta ec-

---

[1] Dominicus de Alzola, OP, mortuus est die 15 februarii 1590. Hierarchia Catholica III 206.

[2] Franciscus de Mendiola, presbyter Calaguritanus (*Calahorra*) nominatus episcopus Ecclesiae de *Guadalajara* die 19 aprilis 1574; mortuus est die 24 aprilis 1576. Ibid.

clesia sub tuo felici regimine etc. dirigetur, ac grata etc. incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam etc. prudenter etc. ecclesia ipsa gubernatori provido etc. merearis. Datum Romae apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominice Millesimo Quingentesimo Octuagesimo Secundo, kalendis octobris, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

406

Oblatae nobis nuper

Sec. Brev. 111 fol. 89r-90r; 112 fol. 89rv die 19 octobris 1582

DISPENSATIO IN SECUNDO GRADU CONSANGUINITATIS

Gregorius XIII

Venerabili fratri Archiepiscopo Mexican. seu dilecto filio eius officiali.

Venerabilis frater seu dilecte fili salutem etc. Oblatae nobis nuper pro parte dilecti filii Andreae de Tapia laici et dilectae in Christo filiae Mariannae de Losa mulieris Mexican. in partibus Indiarum maris Oceani, quod cum pater dictae Mariannae illam ob paupertatem suam dotare non valeat et dicta Marianna indotata virum cui, iuxta qualitatem suam nubere possit invenire non valet, nisi dictum Andream qui dives existit et illam in uxorem ducere et illam iuxta status sui conditionem competenter dotare intendit, cupiunt propterea ipsi, qui de nobili genere procreati existunt, invicem matrimonialiter copulari, sed quia secundo consanguinitatis gradu in linea aequali invicem sunt coniuncti, desiderium eorum in hac parte adimplere non pos-

sunt, absque Sedis Apostolicae dispensatione. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eis in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur de praemissis certam notitiam non habentes ac eosdem Andream et Marianam a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae frater Archiepiscope seu discretioni tuae fili officialis per praesentes committimus et mandamus quatenus deposita per te omni spe cuiuscumque muneris aut praemii, etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere debere monemus de praemissis te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi repereris preces veritate niti super quo tuam conscientiam oneramus cum eisdem Andrea et Mariana postquam ipsa, ut praefertur, competenter dotata fuerit, quod impedimento secundi consanguinitatis gradus huiusmodi ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque non obstantibus matrimonium inter se publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite valeant, auctoritate nostra dispenses prolem exinde suscipiendam legitimam decernendo. Volumus autem quod si spreta monitione nostra huiusmodi aliquid muneris aut praemii occasione praemissorum exigere aut oblatum recipere temere praesumpseris, tu frater archiepiscope a regimine et administratione tuae Ecclesiae suspensus existas, tu vero officialis excommunicationis sententiam incurras eo ipso et nihilominus praesentes literae nullius sint roboris vel momenti. Datum Tusculi etc. die 19 octobris 1582, anno decimoprimo [1].

---

[1] Litterae supplices: ibid. 112 fol. 89v.

407

Cum sicut exponi

Sec. Brev. 66 fol. 285v-286v; 67 fol. 402v-403v — die 1 ianuarii 1583
Bull. Rom. (ed. Taurinensis) VIII 405-406

DE FACULTATE ABSOLVENDI INDOS A CASIBUS SEDI APOSTOLICAE RESERVATIS

Dubium in Indiis occidentalibus ortum est, utrum facultates absolvendi Indos et Mauros ac eorum filios a crimine haeresis et idolatriae ac aliis peccatis Sedi Apostolicae reservatis et in bulla Coenae Domini (Cruciatae) contentis, abrogatae fuerint per aliquam declarationem Gregorii XIII. Ideoque Philippus rex Summum Pontificem supplicavit, ut facultates episcoporum circa Indos noviter ad fidem catholicam conversos circumscriberet. Gregorius XIII declarat, mentis suae non fuisse nec esse facultates episcoporum restringere aut revocare, sed potius Indis in eorum necessitatibus sollicita vigilantia subvenire. Deinde solemniter denuo concedit archiepiscopis et episcopis in Indiarum partibus facultates Indos et Mauros *a crimine haeresis et schismate et idolatriae* necnon aliis omnibus casibus reservatis in utroque fore absolvendi.

Gregorius XIII

Ad futuram rei memoriam. Cum sicut exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex catholicus, nonnulli confessores suorum regnorum Hispaniarum tenuerint, vigore facultatum Cruciatae dudum a felicis recordationis Pio papa V, praedecessore nostro, regnis predictis ac subditis eiusdem Philippi Regis et aliis ad illa declinantibus concessae, poenitentes a crimine haeresis absolvi posse; unde nos per nostras in forma brevis desuper expeditas literas declaravimus mentis eiusdem Pii praedecessoris et nostrae non fuisse nec esse, eiusdem Cruciatae et quarumcumque indulgentiarum vigore alicui facultatem aliquos a crimine haeresis seu aliis casibus Officio Sanctissimae Inquisitionis praedictorum regnorum per diversos Romanos Pontifices praedecessores nostros et nos, specialiter reservatis, absolvendi concessisse. Cumque huiusmodi declaratio per nos, ut praefertur, facta in ipsis literis eiusdem Cruciatae in eisdem regnis ac Indiis eiusdem Philippi Regis impressis et distribui solitis apposita fuerit, dubitatum propterea ab aliquibus extitit utrum per praedictam nostram declarationem abrogatae censerentur facultates, per diversos Romanos Pontifices praedecessores nostros et nos venerabilibus fratribus archiepiscopis episcopis Indiarum eiusdem Philippi Regis concessae circa absolutiones Indorum utriusque sexus ab haeresi et casibus nobis et Apostolicae Sedi reservatis. Quare pro parte eiusdem Philippi Regis nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis, prout locorum et temporum ac eorumdem Indorum

noviter ad fidem catholicam conversorum qualitates exegerint, prospicere, eorumdemque archiepiscoporum et episcoporum in dictis Indiis residentium facultates declarare, aliasque desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Quocirca per presentes declaramus mentis nostrae non fuisse nec esse per quascumque nostras literas, ut praefertur, emanatas facultates eorumdem archiepiscoporum et episcoporum circa huiusmodi absolutiones restringere, suspendere seu revocare, ac potiori pro cautela, Indisque predictis utriusque sexus in eorum necessitatibus sollicita nostra vigilantia subvenire cupientes, ac literarum praedictarum quarumcumque tenores praesentibus, pro sufficienter expressis et insertis habentes, eisdem archiepiscopis et episcopis in Indiarum partibus nunc et pro tempore degentibus, ac ab eis subdelegandis quascumque facultates per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et nos circa absolutiones eorumdem Indorum tenore praesentium revocamus et quatenus opus sit illas eisdem de novo concedimus, ita ut tam eorumdem priorum quam praesentium literarum virtute, quoscumque utriusque sexus Indos ac a Mauris et Indianis ac Indianis et Mauris genitos a crimine haeresis et schismate et idolatriae, necnon aliis omnibus casibus nobis et Sedi Apostolicae quomodolibet etiam in bulla in die Coenae Domini per Romanos Pontifices legi solita, contentis, reservatis, in utroque foro absolvendi et totaliter liberandi, iniuncta eis pro modo culpae aliqua poenitentia salutari, licentiam et facultatem apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et impartimur. Non obstantibus literis praedictis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; quibus omnibus illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod praesentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die primo ianuarii 1583, anno XI [1].

---

[1] In margine additur: D. Magister Camerae misit memoriale.

408

Cum sicut accepimus

Sec. Brev. 72 fol. 374v-375r die 15 aprilis 1583

FACULTAS ABSOLVENDI A CASIBUS RESERVATIS

Et concessio celebrandi synodum singulis septenniis pro archiepiscopo Civitatis Regum.

Gregorius XIII

Venerabili fratri Ioanni [1] archiepiscopo Limae civitatis Regum in partibus Indiarum.

Venerabilis frater salutem etc. Cum sicut accepimus admodum difficile sit cum propter locorum distantiam tum longam navigationem ut personae ex istis partibus ad Urbem veniant, nos laboribus et expensis eorum qui in errores propter quos Sedes Apostolica merito consulenda esset inciderunt parere volentes fraternitati tuae ut quascumque utriusque sexus personas ad te humiliter recurrentes, quae huiusmodi errores seu delicta aut excessus commiserint ab eisdem criminibus, excessibus et delictis predictis dictae Sedi quomodolibet reservatis etiam in literis in die Coenae Domini legi solitis contentis in utroque foro absolvere, iniuncta inde eis pro modo culpae poenitentia salutari et aliis quae de iure fuerint iniungenda, et licet decretis Concilii Tridentini caveatur expresse quod singulo quoque triennio in

[1] Archiepiscopus Ecclesiae Civitatis Regum (*Lima*) erat Turibius Alphonsus de Mogrovejo, nominatus die 16 martii 1579, mortuus die 23 martii 1606, anno 1726 Sanctis adscriptus. *Egaña* 268-280.

qualibet provincia synodus provincialis celebrari seu convocari debeat, nihilominus quia sicut etiam accepimus nonnulli tui suffraganei longo inter se locorum spatio distant et fieri potest ut ex eorumdem suffraganeorum si dicta synodus isthic singulo quoque triennio iuxta decreta dicti Concilii celebraretur, frequenti et longa absentia populi eis commissi detrimentum animarum paterentur periculis animarum obviare cupientes ut septimo quoque anno dumtaxat synodum provincialem isthic celebrari libere et licite valeas, decernentes te ac suffraganeos tuos predictos ad celebrationem synodi provincialis huiusmodi singulo quoque triennio iuxta formam decretorum dicti Concilii faciendam minime teneri, nec ad id obligatos existere et ob non celebrationem huiusmodi aliquas censuras aut poenas ecclesiasticas seu periurii reatum incurrere non posse. Non obstantibus quibusvis iuramentis per te seu suffraganeos tuos predictos desuper forsan praestitis, quae quoad praemissa tibi ac suffraganeis predictis relaxamus, nec non literis in die Coenae Domini legi solitis a quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum die 15 aprilis 1583, anno XI.

409

Cum sicut accepimus

Sec. Brev. 56 fol. 396rv — die 25 maii 1583

DEPUTATIO INTERESSENDI IN CAPITULO GENERALI

Gregorius XIII

Dilecto filio Christophoro del Spiritu Sancto ordinis fratrum praedicatorum professori et provinciae del Perù procuratori.

Dilecte fili salutem etc. Cum sicut accepimus provincia del Perù ordinis fratrum praedicatorum apud Indos ita ab his partibus distet ut diffinitorem ad interessendum in Capitulo generali dicti ordinis in Urbe proxime celebrando pro magistri generalis electione nominare nondum potuerit, atque multa nunc sese offerant negocia eiusdem provinciae in eodem Capitulo tractanda, quae aliter quam per diffinitorem idoneum agi et tractari nequeant, nos ut res et negocia huiusmodi per personam idoneam procurentur te, qui in Urbe modo existis et procuratorium mandatum a dicta provincia del Perù habere asseris, negociorumque ipsius provinciae magnam habes notitiam, sperantes eidem provinciae te plurimum usui esse, futurum diffinitorem dictae provinciae del Perù ad effectum premissorum auctoritate apostolica tenore praesentium facimus et deputamus, tibique quod in omnibus actibus dicti Capituli generalis tamquam diffinitor dictae provinciae interesse, vocemque in electione magistri generalis predicti et alia ad diffinitoris officium spectantia in dicto Capitulo peragenda facere libere et licite valeas, ac si per provinciam ipsam del Perù ad hoc specialiter electus fuisses, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus, mandantes praesidenti ac vocalibus dicti Capituli caeterisque ad quos spectat ut te in diffinitorem dictae provinciae recipiant et admittant. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicti ordinis et provinciae iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis quomodolibet concessis et confirmatis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XXV maii 1583, anno duodecimo.

410

Cum ad confirmandum

Sec. Brev. 101 fol. 63rv — die 9 septembris 1583

EXTENSIO FACULTATUM LEGATIONIS AD BRASILIAM

Summus Pontifex Albertum archiducem Austriae presbyterum cardinalem

legatum suum a latere ad biennium nominavit ad restituendam ecclesiasticam disciplinam in regnis Portugalliae et Algarbiorum. Facultates spirituales ei concessas ad Africae quoque, Brasiliae, Guineae, Indiae insularum ceterasque provincias regi subiectas extendit.

Gregorius XIII

Dilecto filio Alberto [1] tituli Sanctae Crucis in Hierusalem presbitero cardinali archiduci Austriae nuncupato in Portugalliae et Algarbiorum regnis eorumque necnon Africae, Brasilii, Ghineae, Indiae insularum ceterisque omnibus provinciis, civitatibus, dominiis et locis quae predictis regnis et eorum Regi subiecta sunt nostro et Apostolice Sedis de latere legato salutem etc.

Cum ad confirmandum in regnis Portugalliae et Algarbiorum religionis statum et restituendam ecclesiasticam disciplinam necnon cleri et populi a veteribus institutis declinantis emendationem et alias pro nostris ac universalis ecclesiae negociis te nostrum et Apostolice Sedis in dictis regnis de latere legatum ad biennium tantum ex eo die numerandum quo excurso id munus finietur eo ipso de fratrum nostrorum consilio destinaverimus eademque opera munus ipsum facultatibus ornaverimus quibus tu illos interim vice nostra iuvare possis, nos ut pariter saluti et commoditatibus remotissimorum hinc populorum quorum magna pars summa Regum Portugalliae vigilantia et pietate ad fidem Christi per misericordiam Dei conversi dictorumque regnorum et Regum imperio transmissis etiam et collocatis Lusitanorum coloniis subiecti sunt, opera et industria tua celerius consulatur, officium legationis tuae huiusmodi ad Africae, Brasilii, Ghineae, Indiae insularum ceterasque omnes provincias, civitates, dominia et loca que predictis regnis et eorum Regi subiecta sunt ad hoc ut tu in illis ergaque ipsorum populos et personas quemadmodum in ipsis Portugalliae et Algarbiorum regnis omnibus facultatibus tibi concessis predictis ac litteris nostris super illis confectis dicto duntaxat durante biennio uti libere et licite valeas auctoritate apostolica tenore presentium extendimus et ampliamus. Non obstantibus omnibus que in dictis litteris voluimus non obstare ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud

[1] Albertus de Austria, archidux Austriae, frater germanus imperatoris.

Sanctum Marcum anno etc. MDLXXXIII, quinto idus septembris anno duodecimo.

411

De salute gregis

Sec. Cam. 66 fol. 251r-252r die 1 octobris 1583

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Gregorius XIII

Universis et singulis christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem etc. De salute gregis dominici cure nostre meritis licet imparibus divina dispositione commissi solicitis studiis cogitantes fideles singulos ad pia et meritoria opera exercenda spiritualibus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus libenter invitamus ut per eorumdem operum exercitium suorum, abolita macula delictorum, ad eterne beatitudinis gaudia feliciter pervenire mereantur. Cum itaque sicut accepimus dilecti filii economus, administratores et confratres confraternitatis laicorum Hispanorum seu Indiorum in ecclesia hospitalis Vere Crucis oppidi de Guancavelica, alias Villarrica de Oropesa nuncupati, Cuzquensis diocesis in partibus Indiarum Occidentalium provincie del Perù canonice institutę erga Christi pauperes et alias miserabiles personas plura charitatis opera exercere consuescant, nos cupientes ut dicti confratres in huiusmodi piorum operum exercitio confoveantur, ipsique confratres et alii utriusque sexus christifideles eo libentius ad ecclesiam et confraternitatem predictas devotionis causa confluant quo exinde maiora spiritualia dona adipisci se posse cognoverint de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis

utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui exnunc de cetero in confratres dicte confraternitatis admittentur die admissionis eorum si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint, ac tam ipsis quam iam admissis dicte confraternitatis confratribus etiam vere penitentibus et confessis in articulo mortis constitutis nomen Iesu corde si ore non potuerint invocantibus die obitus eorum et insuper dictis confratribus et aliis utriusque sexus christifidelibus etiam dicte confraternitatis non confratribus similiter vere penitentibus et confessis qui capellam dicte confraternitatis in inventionis et exaltationis Sancte Crucis festivitatibus videlicet diebus a primis vesperis usque ad occasum solis cuiuslibet festi predicti devote visitaverint inibique preces ad Deum pro Sancte Romane Ecclesie exaltatione et catholice fidei propagatione ac infidelium ad dictam fidem veram conversionem devote effuderint quibus festis predictis id fecerint plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus et elargimur. Preterea dictis confratribus et eorum singulis qui dominicis vel aliis ferialis vel non ferialis et quibusvis anni diebus quibus pro rebus et negotiis dicte confraternitatis in unum convenerint aut celebrationi missarum vel aliorum divinorum officiorum in oratorio dicte confraternitatis ex eorum laudabili consuetudine aut pia devotione interfuerint vel processiones dicte confraternitatis Sanctissimi Sacramenti etiam quando ad infirmos defertur aut christifidelium pro tempore defunctorum cadavera ad ecclesiam associaverint sepulturam inibique pro unius et seu defunctorum suffragiis preces ad Deum effuderint aut in quocumque alio spirituali vel temporali pio opere dicte confraternitatis intuitu se quolibet occupaverint quoties id fecerint sexaginta dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus; quoad christifideles non confratres capellam huiusmodi, ut prefertur, visitantes ad viginti annos tamen; quo vero ad confratres ut supra visitantes vel aliquod premissorum peragentes perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis christifidelibus predictis pro premissis peragendis vel alias aliqua indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit eedem presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Tusculi, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, kalendas octobris, pontificatus nostri anno duodecimo.

412

Salvator noster

Sec. Cam. 66 fol. 178rv die 13 novembris 1583

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione sanctorum Crispini et Crispiniani martyrum in ecclesia domus Ordinis Fratrum Praedicatorum in civitate *México* instituta, consuetis condicionibus.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem. Salvator noster Iesus Christus Dei filius summo patri consubstantialis et coeternus ut humanum genus ac de primi parentis prevaricatione eterna morte damnatum salvum faceret et ipsi patri reconciliaret de eiusdem patris sinu ad huius mundi infima descendere et ex virgineo utero carnem nostram assumere ac tandem post habitam salutiferam inter homines conversationem nobisque per eum ad eternam capessendam salutem datam plenam instructionem crucis patibulo affigi et temporalem mortem subire dignatus est unde nos pie considerantes humana merita ad salutem ipsam consequendam fore penitus imparia fideles quoslibet ad pia opera exercenda spiritualibus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus libenter invitamus ut per huiusmodi operum exercitum eternam beatitudinem valeant feliciter adipisci. Cum itaque sicut accepimus in cappella Sanctorum Crispini et Crispiniani martirum sita in ecclesia domus ordinis fratrum Predicatorum Mexicanensis Indiis maris Oceani una devota utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione eorumdem Sanctorum canonice instituta fuerit, cuius

dilecti filii confratres diversa pia opera exercere consueverunt, nos cupientes ut ipsi confratres in huiusmodi piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea imposterum exercenda necnon alii christifideles ad dictam confraternitatem ingrediendam peramplius invitentur, ac dicta capella in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad dictam capellam devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur die primi illorum ingressus si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint; ac tam ipsis quam ad presens existentibus ipsius confraternitatis confratribus etiam vere penitentibus et confessis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde si ore nequiverint invocantibus, necnon tam confratribus quam aliis predicti sexus christifidelibus predictis similiter vere penitentibus et confessis, qui dictam capellam in diebus festis eorumdem Sanctorum ac nativitatis beati Ioannis Baptiste a primis vesperis usque ad occasum solis huiusmodi dierum inclusive singulis annis devote visitaverint et inibi pro exaltatione Sancte Matris Ecclesie, heresum extirpatione et inter christianos principes facienda pace aliquas ad Deum preces effuderint, quo die ex predictis id fecerint si dictum Sanctissimum Sacramentum sumpserint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur. Preterea eisdem confratribus quoties divinis officiis in capella more confratrum aut congregationibus publicis vel secretis interfuerint, aut alio casu prestiterint auxilium, consilium vel favorem seu ipsum Sanctissimum Sacramentum dum ad aliquem infirmum defertur associaverint aut qui hoc facere impediti campane ad id signo dato genuflexis semel orationem dominicam pro eodem infirmo recitaverint sexaginta, qui vero processionibus ordinariis et extraordinariis ac sepeliendis mortuis officiose interfuerint aut eos adiuverint vel consolati fuerint in eorum mortis articulo, seu pauperes peregrinos hospitio exceperint aut pacem cum inimicis composuerint seu in eorum adversitatibus consolati fuerint vel in dicta capella quinquies orationem predictam et toties salutationem angelicam pro animabus confratrum dicte confraternitatis defunctorum aut singulo die dominico et feriis quarta, quinta et sexta maioris hebdomade tempore vespertino causa celebrandi divina officia ad capellam predictam accesserint et inibi etiam quinquies orationem et toties salutationem predictas ante Sacramentum Eucharistie Sacramentum aut imaginem Sanctissimi Crucifixi ad reverentiam

quinque plagarum Domini nostri Iesu Christi recitaverint centum dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad christifideles non confratres dictam capellam, ut prefertur, visitantes ad viginti annos tamen, quo vero ad singula premissa peragentes perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis christifidelibus predictis ratione premissorum vel alias aliqua alia indulgentia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit eedem presentes nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanmctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, idibus novembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

413

Pietatis ac christianae caritatis

Bull. Praed. V 342-343 die 22 novembris 1583
BM II 1023

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE SANCTAE CRUCIS

In civitate *México* confraternitas sub invocatione expirationis et crucis descensus ac sepulcri Christi in ecclesia sancti Dominici canonice erecta est. Processiones et alia divina officia cum admirabili totius populi Mexicani devotione fiunt. Summus Pontifex supplicatus est, ut erectioni robur apostolicae confirmationis adiceret. Gregorius XIII supplicationibus inclinatus erectionem apostolica auctoritate confirmat et approbat, atque statuta confraternitatis pro temporum qualitate alterare et mutare concedit, approbatione vero Ordinarii loci posita. Ad devotionem erga sanctissimam Passionem Christi in illis Indiarum partibus magis excitandam, confratribus die admissionis, omnibus vero sodalibus et christifidelibus certis diebus et festivitatibus anni, consuetis condicionibus indulgentiam plenariam concedit, si insuper pro fidei propagatione et Indorum conversione preces effuderint. Aliis vero occasionibus indulgentias temporales Summus Pontifex concedit.

Gregorius XIII

Gregorius Episcopus Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Pietatis ac Christiane caritatis opera que Salvator Dominus noster Iesus Christus, cuius vices, licet immeriti, gerimus in terris, fidelibus suis antequam pateretur, instanter commendavit, ubique cum divini cultus incremento et animarum salute exerceri cupientes, his, que propterea provide facta fuisse dicuntur, libenter, cum a nobis petitur, Apostolici muniminis firmitatem adiicimus, ipsosque fideles, ut eorum vota ad id facilius concurrant, spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus confovemus, ac alias desuper disponimus, prout ad eorumdem fidelium spiritualem devotionem conspicimus in Domino salubriter expedire. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum oeconomi et administratorum, ac aliorum utriusque sexus confratrum infrascripte confraternitatis petitio continebat, quod nuper nonnulli christifideles cives Mexican. in partibus Indiarum Occidentalium, ob singularem, quem ad commemorationem Crucis descensus, ac sepulchrum Domini nostri Iesu Christi, necnon ecclesiam domus Sancti Dominici, etiam Mexican. Ordinis Fratrum Predicatorum, gerebant et gerunt, devotionis affectum, unam utriusque sexus christifidelium confraternitatem sub invocatione expirationis et crucis descensus, ac sepulchri Domini nostri huiusmodi, in dicta ecclesia pro piis et caritativis operibus, ad Dei laudem inibi exercendis ab ordinario loci canonice erigi et institui obtinuerint, ac postmodum ad honorem expirationis et Crucis descensus, ac traditionis Corporis Domini in sepulchro huiusmodi, illius gloriose Resurrectionis, processiones et alia divina officia cum fere admirabili totius populi Mexican. devotione inibi, et in aliis ecclesiis ad illas cum insignibus passionis dominice et vexillis dicte confraternitatis, aliisque imaginibus fideles ad devotionem incitantibus processionaliter accedentis facere consueverunt, idemque in futurum ex Dei bonitate et dicti populi devotione, maiori cum decentia et fervore fieri speratur. Quare pro parte oeconomi et administratorum, ac aliorum confratrum predictorum, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus erectioni et institutioni predictis, pro illorum subsistentia, robur Apostolice confirmationis adiicere, ac alias in premissis opportune providere dignaremur. Nos igitur, qui honestis petentium votis, presertim piorum operum exercitium concernentibus, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, oeconomum et administratores, ac alios confratres predictos, eorumque singulos a quibusvis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem et institutionem

predictas, sicut canonice facte fuerunt, Apostolica auctoritate, tenore presentium, confirmamus et approbamus illisque perpetue et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus et insuper eisdem oeconomo et administratoribus, ac aliis confratribus predictis, ut pro felici dicte confraternitatis et personarum ad illam recipiendarum regimine et administratione, quecunque statuta et ordinationes, licita tamen et honesta, ac sacris constitutionibus et Concilii Tridentini, decretis non contraria, cum interventu superioris provincialis dicti Ordinis, quandocunque opus fuerit, condere, et illa pro rei, temporumque qualitate, alterare et mutare, ac alia illorum loco edere, libere et licite valeant, ita tamen quod statuta et ordinationes huiusmodi semper ab ordinario loci examinata et approbata sint, auctoritate et tenore predictis de speciali gratia indulgemus, eisque licentiam et facultates desuper concedimus. Ceterum ad omnium devotionem erga Sanctissimam Passionem eiusdem Domini nostri in illis Indiarum partibus magis excitandam, et ut oeconomus et administratores, ceterique confratres predicti in huiusmodi piis et laudabilibus exercitiis cum maiori frequentia et spirituali quiete, ad Dei laudem, et habitatorum Indorum illarum partium, qui ut accepimus ad fidem catholicam noviter conversi sunt, et in dies convertuntur, bonum exemplum et christianam aedificationem ac institutionem iuxta formam statutorum desuper ab ipsa confraternitate factorum, se de cetero occupare valeant, ipsique et alii fideles eo libentius devotionis causa ad confraternitatem et ecclesiam predictas confluant, quo exinde maiora spiritualia dona adipisci posse cognoverint, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, quibusvis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui ex tunc de cetero in confratres dicte confraternitatis admittentur et recipientur, die admissionis et receptionis huiusmodi, si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint, ac tam illis, quam iam admissis confratribus predictis, eorumque singulis in articulo mortis constitutis, etiam vere poenitentibus et confessis nomen Iesu, corde, si ore non potuerint, invocantibus die obitus eorum, plenariam, necnon eisdem confratribus, ac omnibus et quibusvis aliis utriusque sexus christifidelibus, similiter vere poenitentibus et confessis, qui capellam dicte confraternitatis feria quinta Dominice in passione et festivitate Sancte Marie Magdalene a primis vesperis usque ad occasum solis ferie et festivitatis predictarum, devote visitaverint, inibique preces ad Deum pro Sancte Romane Ecclesie felici statu et Romani Pontificis prosperitate, ac dicte fidei propagatione, ipsorumque Indorum infidelium ad fidem ipsam conversione, seu alias, prout cuiuslibet suggeret

devotio, devote effuderint, qua die, seu qua festivitate, predictis, id fecerint, si dictum Sanctissimum Sacramentum sumpserint, etiam plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, auctoritate et tenore predictis, misericorditer in Domino concedimus et elargimur. Preterea eisdem confratribus, tam luminaria deferentibus, quam se disciplinantibus, qui similiter vere poenitentes et confessi commemorationem descensus Crucis huiusmodi per ipsam confraternitatem die Parasceve hebdomade Sancte annis singulis de licentia ordinarii faciende, devote interfuerint et processionem sepulchri huiusmodi ab eadem confraternitate, tamen immediate de licentia eiusdem ordinarii, celebrandam, cum devotione pro tempore associaverint, duos annos et totidem quadragenas, qui vero dominicis vel festivis, vel non festivis anni diebus, celebrationi missarum aut recitationi horarum, vel aliarum sanctarum orationum ipsius confraternitatis more, seu laudabili consuetudine, aut pia devotione in capella predicta celebrari vel recitari solitarum, seu congregationibus eiusdem confraternitatis etiam devote interfuerint, aut alias dicte confraternitatis processiones, vel dictum Sanctissimum Sacramentum etiam quando ad infirmos defertur, seu christifidelium pro tempore decedentibus corpora ad ecclesiasticam sepulturam associaverint, inibique preces ad Deum pro vivorum seu christifidelium defunctorum suffragiis devote effuderint, aut detentos in carceribus caritative visitaverint, vel Christi pauperes peregrinos hospitio susceperint, seu in quovis alio spirituali et temporali caritativo opere, intuitu dicte confraternitatis, se se quomodolibet occupaverint, vel pro liberatione animarum christifidelium in poenis purgatorii detentorum, Deum oraverint, quandocunque aliquid premissorum fecerint, unum annum de eis iniunctis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, auctoritate et tenore similibus, etiam misericorditer in Domino relaxamus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque, presentibus, quoad christifideles non confratres visitantes capellam huiusmodi ad triginta annos a die, qua presentes littere in dicta ecclesia presentate fuerint incipiendos, et computandos duntaxat, quo vero ad omnia et singula alia premissa perpetuis futuris temporibus, duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis christifidelibus predictis, ratione premissorum, vel alias aliqua alia indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duratura, per nos concessa fuerit, eedem presentes littere quoad indulgentias huiusmodi nullius sint roboris vel momenti. Nulli etc. Si quis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice Millesimo Quingentesimo Octuagesimo Tertio, decimo kalendas decembris, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

414

De salute gregis

Sec. Cam. 67 fol. 133v-134v die 10 februarii 1584

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem. De salute gregis dominici cure nostre meritis licet imparibus divina dispositione commissi solicitis studiis cogitantes fideles singulos ad pia et meritoria opera exercenda spiritualibus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus libenter invitamus ut per eorundem operum exercitium suorum abolita macula delictorum ad eterne beatitudinis gaudia feliciter pervenire mereantur. Cum itaque sicut accepimus alias in districtu domus fratrum Sancti Dominici loci de Cuatapei [?] ordinis fratrum predicatorum Mexicanensis diocesis Nove Hispanie nonnulli [...] christifideles earum partium unam capellam de licentia ordinarii construi curaverint et successive in ea una pia utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione beate Marie del Rosario nuncupata ad Dei omnipotentis laudem et ipsius beate Marie honorem animarumque salutem non tamen pro hominibus unius specialis artis canonice instituta fuerit, cuius dilecti filii confratres diversa pietatis et misericordie opera exercere consueverunt, nos cupientes ut dicti confratres in huiusmodi piorum operum exercitio confoveantur, ac magis ad ea imposterum exercenda necnon christifideles ad dictam confraternitatem ingrediendam peramplius invitentur ac eiusdem confraternitatis capella seu altare in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad capellam seu

altare huiusmodi devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerint se esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur die primi illorum ingressus, si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint; necnon tam ipsis quam ad presens existentibus ipsius confraternitatis confratribus etiam vere penitentibus et confessis in eorum mortis articulo nomen Iesu ore vel corde, si ore nequiverint, invocantibus et insuper tam ipsis confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui capellam seu altare huiusmodi in festivitate conceptionis eiusdem beate Marie a primis vesperis usque ad occasum solis huiusmodi diei inclusive singulis annis devote visitaverint et inibi pro exaltatione Sancte Matris Ecclesie, heresum extirpatione et inter principes christianos facienda pace aliquas ad Deum preces fuderint, quo die predicto id fecerint si dictum Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur. Preterea ipsis confratribus quoties divinis officiis in oratorio more confratrum celebrandis aut congregationibus publicis vel secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint vel alio casu prestiterint auxilium, consilium vel favorem vel ipsum Sanctissimum Sacramentum dum ad aliquem infirmum defertur associaverint aut qui hoc facere impediti campane ad id signo dato genu flexi semel orationem dominicam pro eodem infirmo recitaverint, aut ipsis confratribus qui processionibus ordinariis et extraordinariis tam predicte confraternitatis quam aliis ac sepeliendis mortuis officiose interfuerint et eos adiuverint vel consolati fuerint in eorum adversitatibus, seu pauperes peregrinos hospitio exceperint aut pacem cum inimicis composuerint, vel quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro animabus confratrum dicte confraternitatis defunctorum in dicta capella devote recitaverint toties pro quolibet premissorum piorum operum sexaginta dies de eis iniunctis seu alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus quoad christifideles non confratres dictam capellam seu altare ut prefertur visitantes ad viginti quinque annos a die publicationis presentium huiusmodi computandos quoad vero confratres ut prefertur visitantes aut aliquod premissorum peragentes perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis christifidelibus predictis ratione premissorum aut alias aliqua indulgentia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos con-

cessa fuerit eedem presentes nullius sint roboris vel momenti. Datum Tusculi, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, quinto idus februarii, pontificatus nostri anno duodecimo.

415

De salute gregis

Sec. Cam. 67 fol. 139r-140r die 10 februarii 1584

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Gregorius XIII

Universis christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem. De salute gregis dominici cure nostre meritis licet imparibus divina dispositione commissi solicitis studiis cogitantes fideles singulos ad pia et meritoria opera exercenda spiritualibus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus libenter invitamus ut per eorumdem operum exercitium suorum abolita macula delictorum ad eterne beatitudinis gaudia feliciter pervenire mereantur. Cum itaque sicut accepimus alias in ecclesia hospitalis de los Desanparados nuncupati Mexicanensis Nove Hispanie una pia utriusque sexus christifidelium confraternitas, cuius dilecti filii confratres diversa pietatis et misericordie opera tam erga dicti hospitalis pauperes quam alios exercere consueverint ad Dei omnipotentis laudem et animarum salutem non tamen pro hominibus unius specialis artis canonice instituta fuerit, nos cupientes ut dicti confratres in huiusmodi piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea im-

posterum exercenda, necnon ipsi christifideles ad dictam confraternitatem ingrediendam peramplius invitentur ac eiusdem confraternitatis capella seu altare in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad dictam ecclesiam ac capellam seu altare huiusmodi devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie conspexerint se esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur die primi illorum ingressus si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint, necnon tam ipsis quam ad presens existentibus ipsius confraternitatis confratribus vere penitentibus et confessis in eorum mortis articulo nomen Iesu ore, si corde nequiverint, invocantibus et insuper tam ipsis confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui ecclesiam seu altare confraternitatis predicte in die festo Epiphanie alias Regum a primis vesperis usque ad occasum solis huiusmodi diei inclusive singulis annis devote visitaverint et inibi pro exaltatione Sancte Matris Ecclesie, heresum extirpatione et inter principes christianos facienda pace aliquas ad Deum preces fuderint, quo die predicto id fecerint si dictum Sanctissimum Sacramentum sumpserint plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur. Preterea ipsis confratribus quoties divinis officiis in eadem ecclesia seu oratorio more confratrum celebrandis aut congregationibus publicis vel secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint vel alio casu prestiterint auxilium, consilium vel favorem vel ipsum Sanctissimum Sacramentum dum ad aliquem infirmum defertur associaverint aut qui hoc facere impediti campane ad id signo dato genuflexo semel orationem dominicam pro eodem infirmo recitaverint aut ipsis confratribus qui processionibus ordinariis et extraordinariis tam predicte confraternitatis quam aliis ac sepeliendis mortuis officiose interfuerint aut infirmos adiuverint vel consolati fuerint in eorum adversitatibus seu pauperes peregrinos hospitio exceperint ac elemosinis et officiis adiuverint aut pacem cum inimicis composuerint vel aliquas pauperes puellas matrimonio collocaverint seu quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro animabus confratrum dicte confraternitatis defunctorum in dicta ecclesia devote recitaverint toties pro quolibet premissorum piorum operum sexaginta dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus quoad christifideles non confratres ecclesiam predictam ut prefertur visitantes ad triginta an-

nos a die publicationis presentium huiusmodi computandos quo vero ad confratres ut prefertur visitantes aut aliquod premissorum peragentes perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus aut aliis christifidelibus predictis ratione premissorum aut alias aliqua indulgentia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit eedem presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Tusculi, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, quinto idus februarii, pontificatus nostri anno duodecimo.

416

Oblatae nobis nuper

Sec. Brev. 111 fol. 318r-319r; 112 fol. 318rv die 22 februarii 1584

DISPENSATIO IN PRIMO ET SECUNDO AFFINITATIS GRADU

Gregorius XIII

Dilecto filio Gaspari de Ribadeneyra laico incolae et dilectae in Christo filiae Franciscae de La Cadena mulieri Mexican. provinciae Novae Hispaniae partium Indiarum.

Dilecte fili et dilecta in Christo filia salutem etc. Oblatae nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat, quod cum tu filia Francisca una cum tribus sororibus tuis matre orbata et absque ulla dote remanseris, tu vero fili Gaspar qui in bellis et expeditionibus, quae in dicta provincia Novae Hispaniae et illius portu gerere occurrerunt ducens te cum tuis propriis sumptibus viginti equites contra infideles primus et acerrimus defensor fuisti, ac semper religiosos eiusdem civitatis Mexican. et provinciae ad hoc ut ipsi Indos, qui ad fidem catholicam in dies convertuntur in christiana institutione eru-

diant eleemosynis iuvisti nec iuvare desistis, dives sis et intendas ipsam Franciscam sic orphanam et indotatam non solum in uxorem tuam ducere, sed et illam iuxta status sui conditionem competenter dotare, et nisi tu filia Francisca ipsi Gaspari nubas absque spe nubendi et propterea dictae tres sorores absque aliquo auxilio remansurae sitis; verum si ipsum matrimonium inter vos contraheretur statui tuo filia Francisca sororumque tuarum subventioni et auxilio simul provideretur idque et civitati et provinciae huiusmodi plurimum expedire cum alioquin tibi fili Gaspar animus sit istinc in Hispaniam recedendi, cupitis propterea vos qui ex nobilioribus et principalibus dictarum civitatis et provinciae existitis, invicem matrimonialiter copulari sed quia vos primo et secundo affinitatis gradibus pro eo, quod tu fili Gaspar matrimonium cum quondam Constantia Masquera sorore germana quondam Anne Desquibel matris tuae filia Francisca iam defuncta contraxisti, invicem vos attinetis, desiderium vestrum hac in parte adimplere non potestis absque nostra et Sedis Apostolicae dispensatione. Quare tam vos, quam etiam nobilis vir Henricus Olivariae comes nomine charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, cuius orator apud nos et Sedem Apostolicam existit pro vobis humiliter nobis supplicari fecistis, quatenus vobis de opportunae dispensationis gratia, aliasque paterne in praemissis providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur vos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes huiusmodi supplicationibus inclinati vobiscum quod impedimento primi et secundi affinitatis graduum huiusmodi non obstantibus matrimonium inter vos publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite valeatis, dummodo tu in Christo filia Francisca ob hoc ab aliquo rapta non fueris auctoritate Apostolica tenore praesentium misericorditer in Domino dispensamus, distantiam vero primi affinitatis gradus praedicti vobis non obstare declaramus, prolemque suscipiendam exinde legitimam nunciamus. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 22 februarii 1584, anno XII.

417

Omnipotentis aeterni Dei

Sec. Cam. 67 fol. 241rv die 27 februarii 1584

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Gregorius XIII

Universis christifidelibus etc. salutem etc. Omnipotentis eterni Dei etc. reddantur aptiores. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia heremitorio nuncupata Sancte Anne prope et extra muros Mexicanenses in partibus Indiarum maris Oceani una devota utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione eiusdem Sancte Anne non tamen pro hominibus unius artis specialis canonice instituta reperiatur, cuius dilecti filii confratres multa pietatis, charitatis et misericordie opera exercere consueverunt, nos cupientes ut ipsi confratres in huiusmodi piorum operum exercitio confoveantur ac ad ea imposterum exercenda, necnon alii christifideles ad dictam confraternitatem ingrediendam peramplius invitentur, dictaque seu alia ecclesia ad quam ipsam confraternitatem pro tempore transferri contigerit vel eiusdem confraternitatis capella seu altare in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad dictam seu eam ecclesiam ad quam predictam confraternitatem, ut prefertur, transferri contigerit vel capellam seu altare huiusmodi devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur die primi eorum ingressus huiusmodi si Sanctissimum Eucharistie Sacra-

mentum sumpserint, ac tam ipsis quam ad presens existentibus confratribus predictis etiam vere penitentibus et confessis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus plenariam, necnon tam confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus predictis similiter vere penitentibus et confessis, qui dictam seu aliam ecclesiam ad quam confraternitatem predictam ut premittitur transferri contigerit, aut capellam seu altare huiusmodi in eiusdem Sancte Anne ac annuntiationis beate Marie virginis festivitatibus a primis vesperis usque ad occasum solis singulorum dierum festivitatum earumdem inclusive singulis annis devote visitaverint et inibi pro exaltatione Sancte Matris Ecclesie, heresum extirpatione et inter christianos principes fovenda pace aliquas ad Deum preces effuderint, quibus diebus predictis id fecerint si eisdem diebus predictum Sanctissimum Sacramentum sumpserint etiam plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur. Preterea eisdem confratribus qui pariter vere penitentes et confessi in nativitatis Domini nostri Iesu Christi ac Penthecostes, necnon assumptionis eiusdem beate Marie virginis et celebrationis omnium Sanctorum festivitatibus ultra festum resurrectionis dominice predictum Sanctissimum Sacramentum sumpserint septem annos et totidem quadragenas, quoties vero divinis officiis in oratorio more confratrum celebrandis aut congregationibus publicis vel secretis interfuerint seu alio casu prestiterint auxilium, consilium vel favorem, aut ipsum Sacramentum Sanctissimum dum ad aliquem infirmum defertur associaverint, vel qui hoc facere impediti campane ad id signo dato genuflexi semel orationem dominicam pro eodem recitaverint seu processionibus ordinariis et extraordinariis, ac sepeliendis mortuis interfuerint officiose, aut infirmos adiuverint vel consolati fuerint in eorum infirmitatibus, seu pauperes peregrinos hospitio exceperint, aut pacem cum inimicis composuerint vel quinquies orationem predictam et toties salutationem angelicam pro animabus confratrum dicte confraternitatis defunctorum in ecclesia huiusmodi recitaverint devote toties pro quolibet premissorum piorum operum sexaginta dies de iniunctis eis aut omnes quomodolibet penitentiis debitis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad christifideles non confratres ecclesiam vel capellam aut altare huiusmodi, ut prefertur, visitantes ad viginti annos tantum quo vero ad alios singula premissa peragentes perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus etc. vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Marcum, Anno etc. 1583, 4° kalendas martii, pontificatus nostri anno duodecimo.

418

Salvator noster

Sec. Cam. 66 fol. 142v-143v — die 7 martii 1584

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Gregorius XIII

Universis etc. salutem etc. Salvator noster Iesus Christus etc. adipisci. Cum itaque sicut accepimus dilecti filii confratres confraternitatis christifidelium utriusque sexus sub invocatione Sancti Sebastiani non tamen pro hominibus unius specialis artis in ecclesia eiusdem Sancti Sebastiani, ordinis Sancti Benedicti, civitatis seu oppidi de Bahia provincia Brasilis Sancti Salvatoris diocesis in partibus Indiarum Occidentalium canonice institute multa opera misericordie exerceant ut dicti confratres in huiusmodi operum exercitio confoveantur ac magis ad ea necnon alii christifideles ad dictam confraternitatem ingrediendam peramplius invitentur, dictaque confraternitas salutaribus in Domino magis indies proficiat incrementis et capella seu altare dicte confraternitatis in dicta ecclesia in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad capellam seu altare huiusmodi devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie conspexerint se uberius esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui dictam confraternitatem exnunc deinceps pro tempore ingredientur in die primi illorum ingressus si Sanctissimo Eucharistie Sacramento refecti fuerint, ac tam ipsis quam confratribus predictis et vere penitentibus et confessis pro tempore decedentibus in eorum mortis articulo nomen Iesu corde

si ore non potuerint invocantibus, necnon confratribus et aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis, qui capellam seu altare huiusmodi in festivitatibus eorundem Sancti Sebastiani et Benedicti abbatis a primis vesperis usque ad occasum solis cuiuslibet festivitatum eorundem inclusive pro tempore devote visitaverint et pias inibi preces ad Deum pro Sancte Romane Ecclesie felici statu et conservatione, hereticorum reductione et pace inter principes christianos servanda et unione effuderint, quibus festivitatibus predictis id fecerint si eisdem diebus dictum Sacramentum sumpserint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium elargimur; insuper confratribus predictis qui pariter vere penitentes et confessi dictum Sacramentum in translationis eiusdem Sancti Benedicti que celebratur undecima mensis iulii et assumptionis beate Marie virginis ac illius nativitatis et omnium Sanctorum festivitatibus sumpserint quolibet vice septem annos et totidem quadragenas, illis vero qui missis et aliis divinis officiis in capella seu altari confraternitatis huiusmodi ex consuetudine vel statuto dicte confraternitatis pro tempore recitandis interfuerint aut pauperes puellas dotaverint seu matrimonio collocaverint, vel corpora defunctorum tam confratrum quam aliorum ad sepulturam associaverint aut processiones per ipsam confraternitatem quandocumque pro tempore celebrandas comitati fuerint seu illis aut etiam congregationibus per eandem confraternitatem pro tempore faciendis interfuerint, seu pauperes carceratos et infirmos visitaverint quoties premissum vel aliquod premissorum pro tempore fecerint centum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis penitentiis nunc in Domino relaxamus presentibus, quoad christifideles non confratres capellam seu altare huiusmodi, ut prefertur, visitantes ad triginta annos tantum, quo vero ad confratres et alios predictos premissa peragentes perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod si ingredientibus dictam confraternitatem aut aliud ex premissis peragentibus vel alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit eedem presentes nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, nonis martii, pontificatus nostri anno duodecimo.

419

Pastorale officium

Sec. Brev. 102 fol. 245rv die 15 martii 1584
Monumenta Historica Societatis Iesu 89.
Monumenta Peruana 3, 262-264.

CONFIRMATIO DONATIONIS ET COMMUTATIO VOLUNTATIS TESTATORIS

Collegiorum institutio ad iuventutis religiosam educationem sollicitudo est Summi Pontificis. Gometius de Leon quatuor officina mercatoris in civitate *Arequipa*, regni *Perú*, edificari ceperat, cuius redditus testamento ad perficienda officina et sustentationem duorum sacerdotum assignavit, qui Indos Gometio subiectos docere eorumque curam gerere tenebantur. Mercatura autem, tunc frequentissima, a prorege in alium portum translata est, ita ut redditus non sufficerent nec ad perficienda officina nec ad sustentationem unius sacerdotis. Ingens terraemotus insuper anno 1581 omnia aedificia civitatis solo equata fecit. Gometius de Buitron, haeres Gometii de Leon, solum officinarum collegio Societatis Iesu similiter terraemotu collapso attribuit, conditione tamen, ut rector collegii commutationem voluntatis Gometii de Leon a Summo Pontifice obtineret. Gregorius XIII supplicationibus rectoris annuit et commutationem testamenti auctoritate apostolica approbat.

Gregorius XIII

Gregorius Episcopus Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Pastorale officium quod disponente Domino licet immeriti gerimus nos excitat et hortatur ut collegiorum ad iuventutis religiosam educationem et instructionem institutorum commoditatibus intendentes, his que propterea provide concessa fuisse dicuntur libenter cum a nobis petitur apostolici muniminis firmitatem adiicimus, fide-

lium defunctorum voluntates interdum commutando prout personarum rerumque conditione pensata conspicimus in Domino salubriter expedire. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum rectoris collegii Societatis Iesu in civitate Arequapensi rite instituti et Gometii de Buitron incole eiusdem civitatis petitio continebat quod alias postquam quondam Gometius de Leon primodicti Gometii genitor tunc in humanis agens dilectis in Christo filiabus Franciscae de Vergara eius uxori et Catherine etiam de Vergara mulieribus suum testamentum condendi facultatem concesserat licet Francisca et Catherina predicte facultatis huiusmodi vigore dictum testamentum die decima sexta mensis iunii anni domini millesimi quingentesimi quadragesimi octavi tendentes inter alias voluissent et ordinavissent ut quatuor officine mercatoris quas ipse Gometius de Leon dum viveret in dicta civitate que in regno Peruano et partibus Indiarum maris Oceani consistit edificari facere ceperat per dictum Gometium de Buitron perficerentur redditusque inde provenientia semper in earum reparationem ac unius vel duorum sacerdotum qui in dicta civitate indos dicto Gometio de Leon subiectos et commissos docere eorumque curam gerere tenerentur sustentationem converti deberent, prout in eodem testamento plenius dicitur contineri, tamen quia mercatura que ibi tunc frequentissima et luculenta exercebatur cuiusque ratione dicte officine magno pretio locari sperabantur, postmodum prorege peruano procurante in alium portum translata erat et sumptus pro dictarum quatuor officinarum perfectione necessarii redditibus ex earum locatione percipiendis maiores fore vel earum locatione percipiendi redditus ipsi unius sacerdotis sustentationem non sufficere estimabantur et ex aliis causis officine huiusmodi per triginta sex annos iam elapsos minime perfecte, quinimo anno eiusdem Domini millesimo quingentesimo octuagesimo primo illarum inceptum parvum opus ac universa alia eiusdem civitatis edificia ingenti terremotu solo equata fuerunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat dictus Gometius de Buitron uti filius legitimus et heres dicti Gometii de Leon, ac pie cause huiusmodi patronus ut hoc opus in alios pios usus cederet solum seu situm earundem officinarum dicto collegio similiter collapso ibidemque restaurando contiguum et ad illius edificiorum usum, necnon rectoris et collegialium commodam habitationem pernecessarium, cuius valor in proprietate summam trecentorum ducatorum ut creditur non excedit gratis ea tamen conditione quod dictus rector commutationem voluntatis Gometii de Leon seu Francisce et Catherine huiusmodi desuper a nobis obtineret donaverit, pro parte rectoris ac Gometii de Buitron predictorum nobis fuit humiliter supplicatum quatenus eidem donationi pro illius subsistentia robur Apostolice

confirmationis adiicere ac alias in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui honestis petentium votis libenter annuimus eaque favoribus prosequimur opportunis, rectorem et Gometium de Buitron predictos ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis etc. censentes, necnon veriores testamenti et donationis predictorum tenores presentibus pro expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati eandem donationem Apostolica auctoritate tenore presentium approbamus et confirmamus omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus si qui intervenerint in eisdem supplemus, ac voluntatem Gometii de Leon seu Francisce et Catherine huiusmodi ad hunc [effectum com]mutamus. Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, approbationis, confirmationis, suppletionis et commutationis infringere etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, idibus martii pontificatus nostri anno duodecimo.

420

De salute gregis

Sec. Brev. 67 fol. 10r-11r — die 15 martii 1584

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione Beatae Mariae ad Nives in ecclesia Civitatis Imperialis (*Concepción*) in Chile, a terraemotu ex parte destructa, consuetis condicionibus, inter alias, ut fideles pro *terraemotu ibidem cessatione ac civitatis liberatione ad Deum aliquas preces effuderint.*

Gregorius XIII

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Universis christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem. De salute gregis Dominici cure nostre meritis licet imparibus divina dispositione commissi solicitis studiis cogitantes fideles singulos ad pia et meritoria opera exercenda spiritualibus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus libenter invitamus ut per eorumdem operum exercitium suorum abolita macula delictorum ad eterne beatitudinis gaudia feliciter pervenire mereantur. Cum itaque sicut accepimus alias quedam pars ecclesie seu in tota ipsa ecclesia civitatis Imperialis in Indiis ac provincia de Chili nuncupata necnon complures domus et edificia alia die festo beate Marie ad Nives terre motu collabi contigisset ut dilecti filii christifideles eiusdem civitatis haberent ubi una congregati particulares ferventesque ad Deum preces ut ab eis terremotum quo sepius ibi terra tremuit averteret effundere virginemque Mariam apud filium suum frequentiorem advocatricem habere, ac aliquid ad eius laudem et honorem facere possent unam christifidelium utriusque sexus confraternitatem ad illius honorem et sub invocatione ipsius beate Marie ad Nives in predicta ecclesia canonice erigi et institui curarunt, nos cupientes ut dilecti filii confratres dicte confraternitatis qui ut etiam accepimus dicto die festo necnon singulis sabbati diebus missam decantari facere illiusque celebrationi iuxta eiusdem confraternitatis laudabile institutum interesse consueverunt in exercitio laudabili et pio huiusmodi opere confoveantur, ac magis ad hec et alia imposterum exercenda necnon ipsi christifideles ad dictam confraternitatem ingrediendam peramplius invitentur, ac eiusdem confraternitatis capella seu altare in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad ecclesiam et capellam seu altare huiusmodi devotionis causa confluant, quo ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerint se esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur die primi illorum ingressus, si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint, necnon tam ipsis quam ad presens existentibus ipsius confraternitatis confratribus etiam vere penitentibus et confessis in eorum mortis articulo nomen Iesu ore vel corde, si ore nequiverint, invocantibus et insuper tam ipsis confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus

similiter vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam et capellam seu altare confraternitatis predicte in die festo eiusdem beate Marie ad Nives a primis vesperis usque ad occasum solis huiusmodi diei inclusive singulis annis devote visitaverint et inibi pro exaltatione Sancte Matris Ecclesie, heresum extirpatione et inter christianos facienda pace, necnon terre motus ibidem cessatione ac civitatis liberatione ad Deum aliquas preces effuderint, quo die predicto id fecerint si dictum Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur. Preterea ipsis confratribus quoties dicte misse et quibusvis aliis officiis in dicta ecclesia aut in oratorio celebrandis vel congregationibus publicis vel secretis pro quocumque opere exercendo interfuerint vel alio casu prestiterint auxilium, consilium vel favorem aut ipsum Sanctissimum Sacramentum dum ad aliquem infirmum defertur associaverint, aut qui hoc facere impediti campane ad id signo dato genu flexi semel orationem dominicam pro eodem infirmo recitaverint, aut ipsis confratribus qui processionibus ordinariis et extraordinariis tam predicte confraternitatis quam aliis ac sepeliendis mortuis interfuerint, eos adiuverint vel consolati fuerint in eorum adversitatibus, seu pauperes peregrinos hospitio exceperint aut pacem cum inimicis composuerint toties pro quolibet premissorum operum sexaginta dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad christifideles non confratres ecclesiam et capellam seu altare huiusmodi visitantes ad viginti annos tantum, quo vero ad confratres, ut prefertur, visitantes aut aliquod premissorum peragentes perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis christifidelibus predictis ratione premissorum vel alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit eedem presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, idibus martii, pontificatus nostri anno duodecimo.

421

Supplicationibus dilectorum

Sec. Brev. 59 fol. 15r die 29 aprilis 1584

INDULTUM BENEDICENDI ORNAMENTA ECCLESIASTICA

Gregorius XIII

Dilectis filiis decano, archidiacono et cantori ecclesiae Panaman. in Indiis occidentalibus nunc et pro tempore existentibus ac eorum cuilibet.

Dilecti filii salutem etc. Supplicationibus dilectorum filiorum capituli istius ecclesiae Panaman. nobis nuper humiliter porrectis inclinati, vobis et vestrum cuilibet, ut vacante pro tempore Sede Episcopali Panaman. vestes sacras et alia ornamenta ecclesiastica ad divinum cultum necessaria, non tamen calices et patenas et alia in quibus olei sancti vel Chrismatis unctione aut alia consecratione opus est benedicere libere et licite possitis, ac dictum capitulum illis sic benedictis in divinis officiis uti libere et licite ac absque aliquo conscientiae scrupulo aut censurarum et poenarum incursu valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo concedimus et indulgemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris die XXIX aprilis MDLXXXIIII anno XII° [1].

---

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 16r.

422

Quamvis alias Christophoro

Sec. Brev. 59 fol. 391rv, 394r die 26 iunii 1584

CONFIRMATIO ELECTIONIS VICARII GENERALIS

Gregorius XIII

Dilecto filio Dominico de Parra vicario generali provinciae Sancti Ioannis Baptistae de Peru ordinis fratrum praedicatorum.

Dilecte fili salutem etc. Quanvis alias Christophoro de Spiritu Sancto professore ordinis fratrum praedicatorum suggerente quod postquam quondam Paulus Constabilis, magister generalis dicti ordinis, te a munere vicariatus provinciae Sancti Ioannis Baptistae de Peru et a dicte provinciae visitatione absolvisset, eademque opera ad personaliter coram se comparendum citavisset, tu tamen eodem Paulo magistro vita functo nondum vicariatus tui reddita ratione nomen provincialis dicte provinciae contra regularia dicti ordinis instituta tibi vindicaveras, nos vicario generali dicti ordinis per alias nostras in forma brevis litteras mandaverimus ut te coram futuro magistro generali eiusdem ordinis, aut coram iudicibus per generale capitulum proxime celebrandum deputandis, compelleret personaliter comparere, prout in dictis litteris plenius continetur. Nihilominus dilectus filius Sixtus Fabri magister generalis ipsius ordinis attendens quod unanimi omnium eligendi potestatem habentium consensu licet renuens vicarius provincialis renunciatus fueras, confidensque te sibi gravium eiusdem ordinis personarum testimonio commendatum in illis partibus magnos ex spiritualibus et temporalibus fructus editurum, electionem huiusmodi approbaverit, teque vicarium generalem dicte provinciae constituerit, et ne istinc discederes prohibuerit, nos te dicte provinciae utilem fore rati meritisque tuis nobis per dilectum filium fratrem Ioannem Diaz procuratorem dicte provinciae expositis, literas nostras predictas perperam a nobis extortas et quicquid earum pretextu inde secutum est revocantes, cassantes et abolentes electionem et approbationem predictas presentium auctoritate confirmamus, omnesque iuris

et facti defectus si qui intervenerint in eisdem supplemus, decernentes irritum et inane quicquid secus super his per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, mandantesque tibi ut captum a te reformationis tibi demandate munus auctoritate nostra prosequaris et ad exitum optatum perducas, dilectis vero filiis prioribus et fratribus dicti ordinis totique provinciae predicte ut tuis monitis et salutaribus praeceptis obtemperent. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon ordinis et provinciae predictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. die XXVI iunii MDLXXXIIII, anno XIII°.

423

Apostolici muneris sollicitudo

Hernáez I 528-530 die 27 iunii 1584

FUNDATIO MONASTERII SANCTISSIMAE TRINITATIS IN CIVITATE *LIMA*

Summus Pontifex monialium praesertim statum et religionis propagationem propensius intendit. In civitate Limensi monasterium Sanctissimae Trinitatis pro monialibus cum approbatione Capituli Limensis, sede archiepiscopali tunc vacante, constructum, fundatum et dotatum est. Abbatissa et moniales Summum Pontificem supplicaverunt, ut erectionem monasterii apostolica auctoritate firmare dignaret. Gregorius XIII supplicationibus inclinatus, monasterium perpetuo erigit et instituit et a iurisdictione et oboedientia quorumcumque superiorum eximit. Sex pauperes virgines quoque gratis et sine eleemosynis admitti debent. Festa Sanctissimae Trinitatis, Purificationis Beatae Mariae Virginis et alia solemniter celebranda sunt. Lucretia de Sanzoles abbatissa et Mentia de Vargas, fundatrices monasterii, earum vita durante successive eiusdem monasterii abbatissae et matres existant. Postea autem abbatissa per suffragia eligi debet. Regulae ad clausuram et regularem disciplinam statuuntur, quae approbante Ordinarii loci mutari et reformari possunt.

Gregorius XIII

Gregorius Episcopus Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Apostolici muneris sollicitudo Divina dispensatione [1], Nobis licet immerentibus, delegata requirit, ut circa quarumlibet personarum, praesertim foeminei sexus, quae, relictis hujus saeculi illecebris, Dei obsequio se dedicarunt, statum, religionisque propagationem propensius intendamus, ac in his officii nostri partes favorabiliter interponamus.

Exibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo Filiarum, Lucretiae de Sanzoles Abbatissae et Mentiae de Vargas, Monialium Monasterii SSmae Trinitatis Limensis, in Regno del Perú, Indiae Occidentalis, Cisterciensis Ordinis, petitio continebat, quod alias ipsae, pia devotione ductae et zelo devotionis accensae, cupientes terrena in caelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare, de bonis sibi a Deo collatis ac earum propriis sumptibus et expensis, Monasterium praedictum, de dilectorum Filiorum, Capituli Limensis, Sede Archiepiscopali Limensi tunc vacante, et nobilis viri Francisci de Toledo, Proregis dicti Regni licentia et consensu aedificari et construi curarunt, ac in illius constructione, fundatione et dotatione ultra centum millia aureorum, in illis partibus cursum habentium, comprehenso redditu annuo fere trium millium ducatorum dictarum partium, eidem Monasterio pro illius dote hujusmodi ac Abbatissae et Monialium in eo pro tempore degentium sustentatione, assignatum exposuerunt, animo et intentione Deo et Beatae Mariae Virgini perpetuo inserviendi, Divinoque servitio se dedicandi ac devovendi, prout postmodum Lucretia Abbatissa et Mentia praedictae nonullaeque aliae Religiosae mulieres et puellae usque ad numerum tredecim a Capitulo et Francisco Prorege praedictis, universoque populo ejusdem Civitatis associatae, dictum Monasterium ingressae fuerunt, ac in eo religiosam et exemplarem vitam, una cum quibusdam aliis mulieribus et puellis ibidem postmodum admissis, sub Ordinarii loci obedientia degunt, Professione regulari per praedictam Lucretiam Abbatissam et aliquas alias ex admissis mulieribus et puellis hujusmodi de licentia ipsius Ordinarii emissa. Quare pro parte Lucretiae Abbatissae et (quae, ut asseritur, ejus nata existit) Mentiae praedictarum, Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus Monasterium, sic constructum, fundatum et dotatum, praedictum in Monasterium Monialium dicti Ordinis, pro una Abbatissa et Monialibus in eo nunc et pro tempore existentibus,

---

[1] Dispositione (?).

erigere et instituere, ac alia in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui honestis petentium votis, praesertim Religionis incrementum concernentibus, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, Lucretiam Abbatissam et Mentiam praedictas ac earum quamlibet a quibusvis Excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Monasterium praedictum in Monasterium Monialium sub invocatione SSmae Trinitatis praedicti Ordinis, sub regula Sancti Benedicti pro una Abbatissa ac Monialibus nunc et pro tempore in eo existentibus, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo sine alicujus praejudicio erigimus et instituimus, illique, sic erecto et instituto, pro ejus dote omnia iura, bona et actiones hactenus per Lucretiam Abbatissam et Mentiam praedictas, necnon per quoscumque alios Christi fideles eidem Monasterio erogata et in futurum eroganda, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo applicamus et appropriamus, ac Monasterium, illiusque nunc et pro tempore existentes Abbatissam et Moniales hujusmodi ab omni superioritate, jurisdictione, correctione et obedientia Superiorum, tam Cisterciensis, quam Sancti Benedicti Ordinum praedictorum, aliorumque, qui aliquo jure et causa eam sibi vindicare possent, eisdem auctoritate et tenore etiam similiter perpetuo eximimus et liberamus. Insuper quod in eodem Monasterio sit una arca vel capsa tribus clavibus obserata, quarum unam Abbatissa et aliam Priorissa et reliquam Magistra Novitiarum dicti Monasterii habere debeant, pro scripturis et pecuniis ad ipsum Monasterium spectantibus, servandis. Quodque sex pauperes virgines gratis et sine eleemosynis in Moniales Choristas dicti Monasterii admitti, et in eodem semper ali, ac, una illarum deficiente, aliam in ejus locum subrogari, ipsarumque electionem ad ipsas fundatrices, quamdiu vixerint, illis autem vita functis, ad futurum patronum ejusdem Monasterii, ab ipsis fundatricibus designandum (ita tamen ut inter eas illae, quae ex stirpe dictarum fundatricum fuerint, aliis praeferantur) pertinere. Earumque nomina in libro Conventus dicti Monasterii describi debeant, et si aliquid peculii habuerint, illud post earum admissionem aliis renuntiare nequeant. Quod si tantum fuerit, ut eleemosynam impleat, aliam ejus loco gratis admitti. Necnon in eodem Monasterio festa SSmae Trinitatis et Purificationis Beatae Mariae Virginis ac Sanctorum Petri et Pauli, necnon Benedicti et Bernardi, quotannis cum Vesperis, Missa et Concione, singulisque

annis, sequenti die post Commemorationem Defunctorum, solemnem Missam Defunctorum, majorem nuncupatam, pro ipsis Fundatricibus cum oblatione certae quantitatis vini et panis celebrari facere teneantur. Quodque Lucretia Abbatissa et Mentia praedictae, tamquam Fundatrices dicti Monasterii, illius patronae honorifice, earumque vita durante, successive et gradatim ejusdem Monasterii Abbatissae et Matres existant. Ipsis autem vita functis, Abbatissa dicti Monasterii per suffragia et vota eligi debeat, auctoritate et tenore praedictis, similiter perpetuo statuimus et ordinamus. Praeterea eisdem Lucretiae Abbatissae et Mentiae, ut locum antiquitatis uni ex dictis Monialibus, quae cum ipsis dictum monasterium primo ingressae sunt, ordine Professionum non obstante, dare; necnon patronum ejusdem Monasterii, qui post earum obitum succedere possit, quando eis libuerit designare; necnon pro felici regimine et administratione dicti Monasterii ac super eo quod illius Moniales cum externis loqui vel litteras ab eis, nisi de licentia ipsius Abbatissae et visis ab ea litteris hujusmodi, recipere nequeant; necnon quaecumque alia ad majorem clausuram et regularem disciplinam expectantia [2] statuta, licita tamen et honesta, consentiente et approbante dicto Ordinario, condere, illaque, postquam condita fuerint, de consensu ejusdem Ordinarii mutare, abrogare et in melius reformare, eisque addere; necnon Ecclesiae et Monialibus dicti Monasterii Capellanum ad id ab eis instituendum in spiritualibus inservire; tresque Missas singulis hebdomadis in ipsa Ecclesia, quando dictae Abbatissae placuerit, unam videlicet in honorem Beatae Mariae Virginis et aliam pro defunctis et reliquam pro conversione Indorum celebrari facere; ac post obitum ipsarum Lucretiae Abbatissae et Mentiae, patronus ab eis designandus ipsum Capellanum (ita ut si quis ex ipsarum Lucretiae Abbatissae et Mentiae familia ad id idoneus judicabitur, caeteris praeferatur) eligere valeant, eisdem auctoritate et tenore concedimus: non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis necnon Ordinum praedictorum, juramento; confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, exceptionis, liberationis, statuti, ordinationis et concessionis infringere vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

---

[2] Spectantia (?).

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo octogesimo quarto, V Kalendas Julii, Pontificatus nostri anno tertio decimo.

424

Alias fraternitate tua

Sec. Brev. 59 fol. 585r — die 12 iulii 1584

DE SYNODIS PROVINCIALIBUS ET DIOECESANIS CELEBRANDIS

Summus Pontifex archiepiscopo Civitatis Regum licentiam concedit, ut propter locorum distantiam et pericula terrae et maris synodos dioecesanas non singulis annis sed singulis bienniis tantum, et synodos provinciales singulis septenniis et non singulis quinquenniis convocet.

Gregorius XIII

Venerabili fratri Toribio [1] archiepiscopo Civitatis Regum in Indiis del Peru.

Venerabilis frater salutem etc. Alias fraternitate tua suggerente difficultatem congregandi Episcopos tuae provinciae ob magnam locorum distantiam tibi indulsimus ut singulo quinquennio tamen synodum provincialem tenereris prout in literis desuper confectis plenius continetur. Cum autem sicut exponi nobis nuper fecisti propter maris et terrae pericula et eandem locorum distantiam ipsam provincialem singulo quinquennio, diocesanam synodum propter easdem causas ac multas parochorum et aliorum qui illi interesse debent occupationes, singulis annis celebrare admodum difficile compereris celebrare, nobis humiliter supplicari fecisti ut tempus predictum prorogare dignaremur. Nos igitur supplicationibus inclinati quinquennii predicti tempus provincialem ad septennium annum diocesanam vero sinodum huius-

[1] Alphonsus Turibius de Mogrovejo. De eo cfr. supra doc. 408.

modi celebrandi ad biennium, ita quod post hac provincialem quolibet septennio diocesanam vero synodos predictas quolibet biennio dumtaxat celebrare tenearis auctoritate apostolica tenore praesentium, quoad vixeris prorogamus et extendimus. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. die XII iulii 1584, anno XIII [1].

---

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 590r.

425

Contigit plerumque

Sec. Brev. 72 fol. 1188-1189 die 3 augusti 1584

PER OBITUM MAGISTRI GENERALIS POTESTAS VISITATORUM NON CESSAT

Ne superveniente obitu Magistri generalis munus visitatorum impediatur, ipsi re infecta abire cogantur et provinciae beneficio visitationis priventur et detrimenta patiantur, Summus Pontifex statuit quod auctoritas visitatorum imposterum nullo modo cessat, sed a die quo ex Hispania discesserint durat, usquedum novus Magister generalis eam expresse revocat.

Gregorius XIII

Dilectis filiis vicario et visitatori provinciali ordinis fratrum praedicatorum in provincia Sancti Ioannis Baptistae de Perù maris Oceani.

Dilecti filii salutem etc. Contigit plerumque ut vicarius et visitator generales, qui a magistro generali vestri ordinis istuc mittuntur ad

visitandas et reformandas domos et loca etiam mulierum dicti ordinis aut sub illius fratrum cura et institutis degentium eorumque personas aliaque munera obeunda antequam ad istas regiones perveniant vel munus visitationis absolvant, superveniente obitu dicti magistri generalis a cuius bene placito omnis dependet auctoritas, omnino impediantur quominus suo munere uti expediret defungi possint et postquam laboribus fessi tot pericula subierint tantis sumptibus factis tam longum iter emeriti fuerint re infecta abire cogantur, ac dum expectatur ut ex aliis provinciis in quibus magistri generalis electio celebrari solet magno a vobis locorum intervallo disiunctis vel successores mittantur, vel illorum innovetur auctoritas, interim domus, loca et personae diu nimis visitationis beneficio carentia non mediocria in spiritualibus et temporalibus patiuntur detrimenta. Quo circa nos huiusmodi incommodis occurrere volentes perpetuo statuimus ut imposterum auctoritas vestra et vicarii ac visitatoris qui istuc a ministro generali pro tempore mitti contigerit ac muneris eorum cuilibet commissi exercenda potestas per obitum eiusdem magistri nullo modo cessare censeatur, sed omnino etiam si illius beneplacitum morte expiret, tamen a die quo ex Hispania discesserint istuc profecturi tam vicarii quam visitatoris predicti auctoritas illorum duret, etiam post obitum dicti magistri perinde ac si ille viveret donec per novum magistrum qui successerit vel capitulum generale eiusdem ordinis expresse fuerit revocata. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicti vestri ordinis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis. Quibus omnibus alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. die 3 augusti 1584, anno XIII.

426

Cum pro suscepto a te

Sec. Brev. 60 fol. 127r; 61 fol. 78rv — die 10 augusti 1584

LICENTIA AUDIENDI ET COGNOSCENDI CAUSAS CRIMINALES ET CAPITALES

Pro archiepiscopo de *México* visitatore magistratuum et iudicum Novae Hispaniae, dummodo tamen a sententia sanguinis et reatu quoad clericos et laicos per seipsum ferenda abstineat.

Gregorius XIII

Venerabili fratri archiepiscopo Mexican. [1]

Venerabilis frater salutem etc. Cum pro suscepto a te munere visitationis magistratuum et iudicum necnon regiorum et aliorum ministrorum iustitiae atque ipsius regni Novae Hispaniae expediat interdum te in causis quoque et negotiis criminum versari, nos fraternitati tuae indulgemus ut durante officio praedicto dumtaxat quascumque causas prophanas, civiles et criminales, etiam capitales et mixtas inter seu contra quascumque personas etiam seculares, sive ad procuratoris fisci, sive aliorum quorumcumque instantiam, sive etiam ex officio audire, cognoscere, decidere et iustitia mediante terminare, illarumque cognitioni et decisioni interesse libere et licite valeas etiamsi sanguinis effusio, membrorum mutilatio aut mors inde sequatur tu tamen quoad clericos a voto et a sententia sanguinis, quoad laicos vero a sententia sanguinis per te ipsum ferenda debeas omnino abstinere. Non obstantibus generalis Concilii et aliis apostolicis constitutionibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. die 10 augusti 1584, anno XIII.

[1] Archiepiscopus Ecclesiae Mexicanensis erat Petrus Moya de Contreras.

427

Permittimus Maiestati tuae

Arm. XLII 46 fol. 113r — die 22 septembris 1584

BENEFICIUM PRO BENEMERITO MILITE

Permittitur regi Philippo tamquam administratori Militiae Christi Sebastiano Perestrello, fratri militi eiusdem Militiae, qui pluribus annis in partibus Indiarum Occidentalium et in Africa operam suam contra infideles praestitit, praeceptoriam Militiae concedere, quamquam praescriptum tempus non compleverit.

Gregorius XIII

Charissimo in Christo filio Philippo Portugalliae et Algarbiorum Regi Catholico.

Charissime in Christo fili salutem etc. Permittimus Maiestati tuae militiae Iesu Christi perpetuo administratori Apostolica auctoritate deputato ut dilecto filio Sebastiano Perestrello fratri militi dicte militie, qui in partibus Indiarum nonnullis annis et deinde in Affrica suam operam anno cum dimidio in bello contra infideles prestitit, nunc quod tibi inservit, unam ex preceptoriis dicte militiae sive ex novis sive ex antiquis que nunc vacant, aut cum una earum vacabit, quamvis ille iuxta statuta dicte militie iuramento, confirmatione Apostolica vel alia firmitate roborata necnon privilegia et indulta Apostolica illi concessa, in Affrica predicta aut in triremibus contra ipsos infideles prescripto tempore non militaverit, concedere libere et licite valeas premissis ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die XXII septembris MDLXXXIIII, anno XIII.

428

Divina disponente clementia

Sec. Cam. 67 fol. 207rv — die 13 decembris 1584

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Nominis Iesu in ecclesia domus fratrum Sancti Augustini Ordinis Fratrum Eremitarum in civitate *México* instituta, consuetis condicionibus.

Gregorius XIII

Universis etc. salutem etc. Divina disponente clementia ad summi apostolatus apicem meritis licet imparibus sublimati universos utriusque sexus christifideles quorum merita pro demeritis penitus sunt imparia ad pia et meritoria opera exercenda spiritualibus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus libenter invitamus ut ipsi exinde macula suorum abolita delictorum ad sempiterne beatitudinis gaudia feliciter pervenire mereantur. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia domus fratrum sancti Augustini Mexicanen. in Indiis ordinis fratrum Heremitarum eiusdem sancti Augustini una pia utriusque sexus christifidelium confraternitas nominis Iesu nuncupata ad omnipotentis dei laudem et animarum salutem non tamen pro hominibus unius specialis artis canonice instituta existat, cuius dilecti filii confratres diversa pietatis et misericordie opera exercere consueverunt, nos cupientes ut dicti confratres in huiusmodi piorum operum exercitio confoveantur, ac magis ad ea imposterum exercenda, necnon ipsi christifideles ad dictam confraternitatem ingrediendam peramplius incitentur ac eiusdem confraternitatis capella in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad ecclesiam et capellam huiusmodi devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerint se esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur die prima illorum ingressus, si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint, ac tam ipsis quam ad presens existentibus ipsius confraternitatis utriusque sexus confratribus etiam vere penitentibus et confessis in eorum mortis articulo nomen Iesu ore vel corde invocantibus, necnon tam ipsis confratribus quam aliis christifidelibus predictis similiter vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam ac capellam huiusmodi in festivitate nativitatis beati Ioannis Baptiste a primis vesperis usque ad occasum solis huiusmodi diei inclusive singulis annis devote visitaverint et inibi

pro exaltatione Sancte Matris Ecclesie, heresum extirpatione et inter christianos principes facienda pace aliquas pias ad Deum preces fuderint, quo die predicto id fecerint si dictum Sacramentum sumpserint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur. Preterea confratribus predictis quoties divinis officiis in oratorio more confratrum celebrandis aut congregationibus publicis vel secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint vel alio casu prestiterint auxilium, consilium vel favorem aut predictum Sanctissimum Sacramentum cum ad aliquem infirmum defertur associaverint, aut qui hoc facere impediti campane ad id signo dato genuflexi semel orationem dominicam pro eodem infirmo recitaverint, aut ipsis confratribus qui processionibus ordinariis et extraordinariis tam predicte confraternitatis quam aliis ac sepeliendis mortuis officiose interfuerint vel eosdem infirmos adiuverint vel consolati fuerint in eorum adversitatibus, seu pauperes peregrinos hospitio exceperint, aut pacem cum inimicis composuerint vel quinquies orationem dominicam et salutationem angelicam pro animabus confratrum dicte confraternitatis defunctorum in dicta ecclesia devote recitaverint toties pro quolibet premissorum operum centum dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad christifideles ecclesiam et capellam huiusmodi visitantes, ut prefertur, ad viginti annos tantum; quo vero ad confratres alia premissa peragentes perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis christifidelibus predictis pro premissis peragendis vel alias aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad certum tempus elapsum duratura per nos concessa fuerit eodem presentes nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, idibus decembris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

429

Divina disponente clementia

Sec. Cam. 67 fol. 494rv — die 13 decembris 1584

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione Conceptionis B.M.V. in oppido *Pomazque* dioecesis Quitensis canonice instituta, consuetis condicionibus.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus etc. salutem etc. Divina disponente clementia etc. pervenire mereantur. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia Conceptionis beate Marie virginis de Pomazque in partibus Indiarum maris Occeani Chitensis diocesis una pia et devota utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione eiusdem Conceptionis non tamen etc. canonice instituta existat, cuius dilecti filii confratres ad Dei laudem et animarum salutem et proximi sublevamen in bonis et piis operibus se student exercere, nos cupientes ut dicti confratres in huiusmodi et aliorum piorum operum exercitio confoveantur, ac magis ad ea necnon alii christifideles ad confraternitatem predictam ingrediendam peramplius incitentur ipsaque confraternitas in dies salutaribus in Domino proficiat incrementis et ecclesia predicta in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad illam devotionis causa confluant, quo ex hoc dono etc. refectos de omnipotentis Dei etc. confisi omnibus etc. qui eandem confraternitatem deinceps pro tempore ingredientur et in ea recipientur in die primi eorum ingressus et receptionis huiusmodi si Sanctissimum Corporis Christi Sacramentum sumpserint; ac tam ipsis quam iam ingressis utriusque sexus confratribus pro tempore decedentibus etiam vere penitentibus et confessis in eorum mortis articulo pium nomen Iesu corde, si ore non potuerint, invocantibus, necnon tam ipsis confratribus quam aliis christifidelibus predictis similiter vere penitentibus et confessis qui in festivitate Conceptionis eiusdem beate Marie annis singulis a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem festivitatis dictam ecclesiam pro tempore visitaverint et inibi ad Deum preces pro Sancte Romane Ecclesie et fidei catholice felici statu et exaltatione, illiusque inimicorum oppressione, ac inter christianos principes servanda pace, concordia et unione, heresum extirpatione et hereticorum reductione effuderint, qua festivitate predicta id pro tempore fecerint si eadem festivitate Sacramentum predictum sumpserint plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem etc. et elargimur. Insuper eis-

dem confratribus qui pariter vere penitentes et confessi Sacramentum predictum in purificationis et annuntiationis ac assumptionis eiusdem beate Marie festivitatibus seu aliqua vel aliquibus illarum annuatim pro tempore sumpserint qualibet vice septem annos et totidem quadragenas; illis autem qui missis et aliis divinis officiis in ecclesia predicta ex consuetudine seu instituto vel intuitu dicte confraternitatis pro tempore celebrandis et recitandis seu congregationibus publicis vel secretis pro tempore ubivis faciendis interfuerint, aut etiam pauperes puellas dotaverint vel matrimonio collocaverint, aut pauperes hospitio susceperint aut pacem cum inimicis propriis vel alienis composuerint vel componi fecerint seu procuraverint, necnon etiam qui corpora defunctorum tam confratrum quam aliorum ad sepulturam associaverint vel quascumque processiones per ipsam confraternitatem quandocumque pro tempore celebrandas dictumque Sacramentum quando tam in processionibus quam ad infirmos ac omnes ubicumque et quandocumque pro tempore defertur comitati fuerint ac etiam quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro animabus defunctorum dicte confraternitatis in predicta ecclesia recitaverint quoties premissa vel aliquod eorum aut ipsius confraternitatis intuitu quodvis aliud pium opus fecerint vel exercuerint sexaginta dies etc. relaxamus presentibus; quoad christifideles non confratres etc. ad decennium tantum; quo vero ad confratres etc. perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem etc. vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno etc. 1584, idibus decembris, pontificatus nostris anno 13.

430

Populis ac nationibus

Arm. XLII 46 fol. 171rv — die 25 ianuarii 1585

Fondo Borghese III, 124 D, fol. 96r-99r
(exemplum impressum)

Appendix ad Bullarium Pontif. SCPF I 103-104

Hernáez I 77-78

FAVORES SPIRITUALES PRO IN SERVITUTEM E PATRIA DEPORTATIS

Populis recenter ad fidem conversis Summus Pontifex magis indulgere debet circa libertatem contrahendi matrimonium. Viri et mulieres in servitutem redacti et ex patria in longinquas regiones deportati, qui antea ritu gentili matrimonia, quae quidem vera non tamen adeo rata censentur, contraxerant, nunc autem ad fidem convertuntur et nova matrimonia inire volunt, sed nesciunt an primus coniux vivus sit nec omnino de eius sorte investigare possunt, ab episcopis et presbyteris Societatis Iesu dispensari possunt ut novum matrimonium inire possint, quod validum remanebit, etiamsi postea innotuerit coniugem priorem quoque ad fidem conversum fuisse.

Gregorius XIII

Ad futuram rei memoriam.

Populis ac nationibus nuper ex gentilitatis errore ad fidem catholicam conversis expedit indulgere circa libertatem contrahendi matrimonia, ne homines continentiae servandae minime assueti propterea minus libenter in fide persistant et alii illorum exemplo ab eius perceptione deterreantur. Quoniam igitur sepe contingit multos utriusque sed precipue virilis sexus infideles post contracta gentili ritu matrimonia ex Angola, Aethiopia, Brasilia et aliis Indicis regionibus ab hostibus captos a patriis finibus et propriis coniugibus in remotissimas regiones exterminari; adeo ut tam ipsi captivi, quam qui in patria remanent, si postea ad fidem convertantur coniuges infideles tam longo locorum intervallo disiunctos an sine contumelia Creatoris secum cohabitare velint, monere ut par est, nequeant vel quia interdum ad hostiles et barbaras provincias ne nunciis quidem accessus patet vel quia ignorent prorsus in quas regiones fuerint transvecti, vel quia ipsa itineris longitudo magnam afferat difficultatem. Idcirco nos attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta vera quidem non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint, talium gentium infirmitatem paterna pietate miserati universis et singulis dictorum locorum ordinariis et parrochis et presbyteris Societatis Iesu ad confessiones audiendas ab eiusdem Societatis superioribus approbatis et ad dictas regiones pro tempore missis, vel in illis admissis plena auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus facultatem dispensandi cum quibuscumque utriusque sexus christifidelibus incolis

dictarum regionum et serius ad fidem conversis, qui ante baptisma susceptum matrimonium contraxerant ut eorum quilibet etiam superstite coniuge infideli et eius consensu minime requisito aut responso non expectato matrimonia cum quovis fideli alias tamen rite contrahere et in facie Ecclesie solennizare et in eis postea carnali copula consumatis quoad vixerint remanere licite valeant, dummodo constet etiam summarie et extraiudicialiter coniugem ut prefertur absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in eadem monitione prefixum suam voluntatem non significasse, quae quidem matrimonia etiam si postea innotuerit coniuges priores infideles suam voluntatem iuste impeditos declarare non potuisse, et ad fidem etiam tempore contracti secundi matrimonii conversos fuisse, nihilominus rescindi numquam debere, sed valida et firma, prolemque inde suscipiendam legitimam fore decernimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac in Conciliis etiam generalibus editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile esset presentes litteras ubicunque usus venerit ostendi et publicari volumus ut earum exemplis etiam impressis manu notarii publici vel dicte Societatis secretarii subscriptis et personae in dignitate ecclesiastica constitutae, seu prepositi generalis eiusdem Societatis pro tempore existentis sigillo munitis eadem fides habeatur, quae eisdem presentibus haberetur si essent exhibitae vel ostense.

Datum etc. Romae apud Sanctum Petrum etc., die XXV ianuarii 1585, anno XIII°.

431

Pro munere tuo

Sec. Brev. 62 fol. 205rv — die 8 februarii 1585

DISPOSITIO SUPER IRREGULARITATE

Contracta quia se in criminalibus immiscuit, cum indulto posthac etiam se immiscendi, dummodo a voto et sententia ferenda abstineatur, pro Ferdi-

nando de Vega canonico Carthaginensi, praeside Consilii Regii Indiarum Occidentalium.

Gregorius XIII

Dilecto filio Ferdinando de Vega de Fonseca canonico Carthaginen.

Dilecte fili salutem etc. Pro munere tuo praesidentis Indiarum in isto Consilio Regio expedit te interdum, sicut hactenus forsan fecisti, in causis quoque et negotiis criminum versari. Quare ut te licet presbiterum in tali munere obeundo utilius exercere possis tuis in hac parte supplicationibus inclinati tecum super irregularitate quam forsan ex alicuius sententiae de tuo ut praesidens Indiarum consilio, voto vel auctoritate late executione sanguinis effusio, membrorum mutilatio aut mors secuta est, aut alias contraxisti, ut illa et aliis praemissis non obstantibus etiam si sic ligatus missas et alia divina officia non tamen in contemptum clavium celebrando, aut alias te divinis immiscuisti in omnibus etiam sacris et presbiteratus ordinibus per te alias rite susceptis etiam in altaris ministerio ministrare licite valeas, auctoritate praesentium dispensamus, omnesque inhabilitatis maculam sive notam a te prorsus abstergimus et abolemus, teque in pristinum et eum in quo antea eras statum restituimus et reintegramus, tibique indulgemus ut durante officio predicto duntaxat quascumque causas profanas, civiles, criminales et capitales ac mixtas inter seu contra quascunque personas etiam seculares, sive ad procuratoris fisci seu aliorum quorumcunque instantiam, sive etiam ex officio audire, cognoscere, decidere et iustitia mediante terminare, illarumque cognitioni et decisioni interesse solus vel una cum aliis libere et licite valeas, etiam si sanguinis effusio, membrorum mutilatio ac mors inde sequantur, tu tamen a voto et sententia sanguinis per te ipsum ferenda debeas omnino abstinere. Non obstantibus generalis comitii atque aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII februarii MDLXXXV, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

432

Romanus Pontifex

Sec. Cam. 67 fol. 355rv — die 15 martii 1585

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione sancti Iosephi in capella maioris ecclesiae Civitatis Regum (*Lima*) instituta, consuetis condicionibus.

Gregorius XIII

Universis christifidelibus etc. salutem etc. Romanus Pontifex cui per beatum Petrum etc. reddantur aptiores. Cum itaque sicut accepimus in Sancti Iosephi seu alia capella sita in maiori ecclesia Civitatis Regum Indiarum del Perù una pia et devota utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione eiusdem Sancti Iosephi, non tamen pro hominibus unius specialis artis canonice instituta existat et dilecti filii illius confratres diversis piis operibus exercere ad Dei laudem, animarum salutem et proximi subventionem intendere consueverint, nos cupientes ut dicti confratres in huiusmodi piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea necnon alii christifideles ad dictam confraternitatem ingrediendam peramplius invitentur ac dicta ecclesia et ipsius confraternitatis capella congruis frequententur honoribus et christifideles ipsi eo libentius ad ecclesiam seu confraternitatis capellam huiusmodi devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie conspexerint se uberius esse refectos de omnipotentis Dei misericordia etc. confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui dictam confraternitatem deinceps ingredientur in die primi eorum ingressus huiusmodi si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint, ac tam predictis quam

pro tempore existentibus eiusdem confraternitatis confratribus etiam vere penitentibus et confessis in eorum mortis articulo pium nomen Iesu corde si ore non potuerint invocantibus plenariam necnon tam ipsis confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui ecclesiam seu confraternitatis capellam huiusmodi in festivitate eiusdem Sancti Iosephi a primis vesperis usque ad occasum solis diei festivitatis huiusmodi pro tempore devote visitaverint et inibi ad Deum preces pro Sancte Romane Ecclesie felici statu et conservatione, illiusque inimicorum depressione ac inter christianos principes servanda pace et unione, necnon heresum extirpatione, hereticorum reductione, infidelium conversione et fidei catholice exaltatione effuderint, si predictum Sanctissimum Sacramentum sumpserint etiam plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur. Preterea eisdem confratribus qui pariter vere penitentes et confessi dictum Sanctissimum Sacramentum in assumptionis et conceptionis beate Marie virginis ac Sanctorum Petri et Pauli mensis iunii, necnon Sanctorum Philippi et Iacobi festivitatibus pro tempore sumpserint qualibet vice septem annos et totidem quadragenas; illis vero qui missis et aliis divinis officiis in ecclesia seu confraternitatis capella huiusmodi ex consuetudine seu instituto ipsius confraternitatis pro tempore recitandis interfuerint, aut pauperes puellas dotaverint seu matrimonio collocaverint, vel corpora defunctorum tam confratrum predictorum quam aliorum ad sepulturam associaverint aut processiones per ipsos confratres pro tempore celebrandas comitati fuerint vel congregationibus dicte confraternitatis pro tempore faciendis interfuerint quoties premissa vel eorum aliquod fecerint sexaginta dies de iniunctis etc. relaxamus presentibus; quoad christifideles non confratres ecclesiam seu confraternitatis capellam huiusmodi, ut prefertur, visitantes ad decennium tantum; quo vero ad alios premissa etc. perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod si confratribus etc. vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno etc. 1584, idibus martii, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

433

Alias tibi

Sec. Brev. 62 fol. 417rv, 420rv die 29 martii 1585

INDULTUM PERCIPIENDI FRUCTUS CANONICATUS IN ABSENTIA

Gregorius XIII

Dilecto filio Ferdinando de Vega pro charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Rege Catholico Indiarum Occidentalium praesidi.

Dilecte fili salutem etc. Alias tibi, quia in reipublicae negotiis valde occupatus eras et in eis eximia cum pietatis, iustitiae ac religionis laude versabaris, nec tua res familiaris ampla erat, indulsimus, ut fructus, redditus et proventus canonicatus et praebendae ecclesiae Carthaginen., quos obtines absens per triennium percipere posses, prout in nostris die XIIII iulii pontificatus nostri anno XI desuper confectis literis latius fuit expressum. Nunc vero cum te ad alia graviora munera, etiam publica translatum esse et labores meritaque tua in dies augeri conpertum habeamus, tuisque super hoc nobis humiliter porrectis supplicationibus inclinati, facultatem eandem fructus praedictos in absentia percipiendi ad aliud triennium a fine memorati triennii inchoandum ac ut sequitur finiendum auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali gratia extendimus et prorogamus, ita ut triennio huiusmodi durante fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta omnia eorumdem canonicatus et praebendae, ac etiam distributiones quotidianas, non tamen manualia cum ea integritate exigere, percipere et levare, ac in tuos usus et utilitatem

convertere iuxta praedictarum literarum nostrarum formam et tenorem libere et licite valeas, cum qua illa perciperes, si in dicta ecclesia personaliter resideres. Quocirca dilectis filiis causarum Curiae Camerae Apostolicae generali Auditori et officiali Carthaginen. per presentes mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum per se vel alium seu alios faciant auctoritate nostra tibi, vel procuratori tuo, fructus, redditus et alia praedicta a dictae ecclesiae capitulo et canonicis et aliis ad quos spectat cum effectu ministrari et integre responderi, non permittentes te per quoscunque desuper indebite molestari, contradictoresque et rebelles per poenas etiam pecuniarias eorum arbitrio moderandas et applicandas, ac demum per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit brachii secularis auxilio. Non obstantibus quibusvis Apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ac ipsius ecclesiae Carthaginen. illiusque capituli etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis illis quocunque modo concessis, approbatis et innovatis quibus omnibus eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX martii 1585, anno XIII°.

434

Charissimus in Christo filius

Sec. Brev. 114 fol. 366rv, 371r — die 10 augusti 1585

PROVISIONES ET INDULGENTIAE PRO HOSPITALI IN CIVITATE *CARTAGENA*

Summus Pontifex episcopo civitatis *Cartagena* mandat, ut pro sacramentorum administratione in ecclesia hospitalis civitatis *Cartagena* et pro sepultu-

ra mortuorum provideat, atque personis inservientibus et omnibus infirmitate gravatis hospitale ingredientibus indulgentias elargitur.

Sixtus V

Venerabili fratri episcopo Carthaginen. in partibus Indiarum.

Venerabilis frater salutem etc. Charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus supplicavit nobis humiliter ut consulamus spiritualibus commodis pauperum infirmorum et peregrinorum, qui partim istius civitatis novae Carthaginen. in partibus Indiarum incolae propter celi gravitatem et estus maximos qui istic vigent morbo affecti partim advene, ac milites longa ex remotioribus regni nove Granate et Perù et aliis indicis regionibus navigatione fessi et ad portum eiusdem civitatis classibus seu navibus onerariis appellentes in hospitali admodum insigni istius civitatis recipi consueverunt, pro quibus omnibus gubernatores et ministri eiusdem hospitalis sacramenta ecclesiastica cum usus venit et sepulturam ab ecclesia Carthaginen., cui tu praees, illiusque canonicis qui ultra prebendas etiam emolumenta ex curae animarum exercitio provenientia sibi vindicant non sine magno incommodo ac dispendio petere conguntur. Quare nos commodis et indemnitati personarum eiusdem hospitalis consulentes eiusdem Philippi Regis praecibus inclinati mandamus tibi per presentes ut pro tempore existenti presbitero cappellano ecclesie eiusdem hospitalis ad nutum eorundem gubernatorum et administratorum dicti hospitalis deputari solito ac per te approbando in ipsa ecclesia eiusdem hospitalis que, ut accepimus, satis ampla atque ad id commoda et opportuna est sanctissimum Eucharistie sacramentum et sacrum oleum pro inungendis fidelibus egrotis assidue asservandi, personarum in eodem hospitali receptarum confessiones quandocumque, alia sacramenta ecclesiastica quibusvis anni temporibus et diebus, etiam in festivitate paschatis resurrectionis Domini nostri Iesu Christi cuiusvis licentia minime requisita eisdem personis duntaxat in ipso hospitali degentibus ministrandi, campanile erigendi et cum usus venerit campanas pro eius arbitrio pulsandi, fidelium in eodem hospitali pro tempore morientium cadavera in eadem ecclesia dicti hospitalis sepeliendi etiam sine alicuius licentia vel consensu, ac denique curam animarum quorumcumque fidelium utriusque sexus qui in dicto hospitali pro tempore fuerint libere exercendi facultatem et licentiam, auctoritate nostra concedas, neque eundem cappellanum per dilectos

filios Capitulum dicte maioris ecclesie Carthaginen. aut aliquae ex illorum numero seu quoscumque alios id sua interesse quomodolibet pretendentes super premissis, etiam ex eo quod ipsi vocati et auditi aut cause, aut alia supradicta verificata et legitime probata non fuerint, vel alio quovis pretextu aut quesito colore molestari vel impediri ullo modo permittas. Contradictores et inobedientes per censuras et penas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, reliquis tamen quo ad visitationem ipsius hospitalis et rationes computorum reddendas iuxta Concilii Tridentini dispositiones firmis et illesis remanentibus. Ceterum ut devotio fidelium inibi hospitalitatem et huiusmodi pia opera exercentium et eo se recipientium magis augeatur, infirmique ipsius hospitalis in eorum infirmitatibus spiritualem aliquam consolationem sentiant et ad moriendum in Domino proposita eis certa aliqua salutis spe invitentur eiusdem Philippi Regis supplicationibus in hoc quoque annuentes de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi predicto hospitali Carthaginen. illiusque hospitalariis, cappellano, administratoribus, officialibus, ministris, inservientibus et personis quibuscunque in eo pro tempore receptis, omnibusque et singulis utriusque sexus christifidelibus infirmitate gravatis dictum hospitale ingredientibus die receptionis vel ingressus huiusmodi aut post ingressum cum primum potuerint, si vere penitentes et confessi, sanctissimum Eucharistie sacramentum sumpserint, necnon si ibi decesserint in articulo mortis similiter vere penitentis et confessis nomen Iesu ore vel saltem corde, si ore nequiverint, invocandis indulgentiam plenariam et omnium peccatorum suorum remissionem Apostolica auctoritate, tenore presentium concedimus et elargimur. Praeterea iis qui in dicto hospitali missam celebrabunt aut predictum sanctissimum Eucharistie sacramentum vel alia sacramenta ecclesiastica ministrabunt seu ea recipient vel cadavera defunctorum ad sepulturam, necnon etiam ipsum sanctissimum Eucharistie sacramentum dum ad infirmos defertur associabunt, aut qui hoc facere impediti campane ad id signo dato genuflexi semel orationem dominicam pro eodem infirmo recitabunt vel ipsos infirmos seu convalescentes consolabuntur, aut officiis divinis intervenient vel in beneficium eiusdem hospitalis congregabuntur, aut pro eo seu illius intuitu quodcunque aliud opus pium et charitativum exercebunt ac insuper omnibus infirmis, convalescentibus, officialibus et ministris eiusdem hospitalis qui quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam in dicto hospitali coram imagine crucifixi devote recitabunt et pro animabus defunctorum orabunt toties pro quomodolibet operum

huiusmodi centum dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, perpetuis futuris temporibus duraturis. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis dicteque maioris ecclesie Carthaginen. iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis eidem Capitulo vel quibusvis aliis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus illorum tenores pro expressis habentes specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die X augusti 1585, pontificatus nostri anno primo [1].

---

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 376r.

435

Pridem videlicet

Sec. Brev. 115 fol. 9r-10r — die 7 septembris 1585

PROVISIO CANONICATUS ET PRAEBENDAE

Sixtus V

Dilectis filiis Causarum Curie Camere Apostolice generali auditori et de Villa Vitiosa ac de Bavia archidiaconis in ecclesia Queten. et eorum cuilibet.

Dilecti filii salutem etc. Pridem videlicet kalendas maii proxime

preteriti commendavimus dilecto filio nostro Petro [1] tituli Sancte Prisce presbitero cardinali de Deca nuncupato ad certum tunc expressum necdum elapsum tempus canonicatum et prebendam ecclesie Queten. per obitum quondam Gutierri Gonçalez dicte ecclesie canonici extra Romanam Curiam de mense octobris proxime praeterito defuncti vacantes et de quibus sic vacantibus felicis recordationis Gregorius papa XIII praedecessor noster tempore obitus cui nondum disposuerat et propterea ad dispositionem nostram pertinentes, prout literis Apostolicis prope diem sub plumbo expediendis latius explicabitur. Quocirca ne dum litterae ipse expediuntur dicti canonicatus et praebenda aliqua in spiritualibus et temporalibus detrimenta patiantur vobis per praesentes committimus et mandamus ut vos vel duo aut unus vestrum si vobis etiam summarie constiterit quod dictus Gutierrus eorumdem canonicatus et prebende possessor obierit per vos vel alium seu alios corporalem possessionem canonicatus et prebende predictorum ac illis forsan annexorum iuriumque et pertinentiarum suorum omnium et quorumcumque nostro et Camere Apostolice nominibus omni mora et dilatione postpositis apprehendatis, amotis inde et expulsis quibuscumque detentoribus et intrusis non tamen a nobis provisionem habentibus, quos detentores et intrusos nos etiam auctoritate presentium amovemus et amotos denunciamus, ac omnes et quoscumque fructus, redditus et proventus canonicatus et prebende, ac annexorum eorumdem tam a die obitus predicti Gutierri decursos penes quoscumque existentes, quam etiam futuros percipiatis et exigatis eosque integre dicto Petro cardinali postquam ipse litteras Apostolicas predictas vobis presentaverit una cum dicta possessione consignetis eosdem detentores et intrusos necnon contradictores quoslibet et rebelles, ac eis auxilium, consilium aut favorem publice vel occulte, directe seu indirecte quomodolibet prestantes, cuiuscumque gradus, conditionis vel dignitatis fuerint per censuras ecclesiasticas et penas etiam pecuniarias ac privationis beneficiorum suorum quorumcumque inhabilitatisque ad illa et alia imposterum obtinenda, aliaque opportuna iuris et facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus censuras et penas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Decernentes vos aut dictum Petrum cardinalem neminem propterea spoliasse nec amotos et expulsos super spolio aut [...] vi agere posse nec eis actionem spolii competere, neque collocatio-

[1] Petrus de Deza. Cfr. Hierarchia Catholica III 46.

nes, provisiones aut alias dispositiones de dictis canonicatu et prebenda factas ad colorandum huiusmodi spolium prodesse, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici auditores sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate iudicari et diffiniri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII predecessoris nostri de una et in Concilio generali edita de duabus dietis dummodo ultra tres dietas quis vigore presentium ad iudicium non trahatur, aliisque Apostolicis constitutionibus ac dicte Ecclesie iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, necnon inhibitionibus et a dictis auditoribus eorumve aliquo seu aliquibus vigore quarumcumque commissionum Apostolicarum iam forsan decretis, non tamen executioni demandatis aut posthac emanandis contrariis quibuscumque. Aut si intrusis et detentoribus predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die VIIa septembris M.D.LXXXV, Pontificatus nostri anno primo.

436

Pervenit ad aures

Sec. Brev. 115 fol. 107r — die 7 septembris 1585

ABBATISSAE CUPIDITAS HAEREDITATIS

Abbatissa monasterii Sanctae Clarae civitatis *México* duas filias Bartholomaei, ei educationis causa traditae, patri denegavit et monachali habitu induit, ob cupiditatem haereditatis satis amplae. Summus Pontifex archiepiscopo causam diiudicandam committit.

Sixtus V

Venerabili fratri Archiepiscopo Mexican. [1]

Venerabilis frater salutem etc. Pervenit ad aures nostras quod cum dilectus filius Bartholomaeus Gonzales Zainus civitatis Mexicanae incola duas ipsius filias virgines in monasterio monialium Sanctae Clarae eiusdem civitatis educationis causa collocasset et post aliquod tempus eas repeteret, domumque suam reducere vellet, monasterii abbatissa non solum patri illas denegavit et in monasterio retinuit, sed etiam monachali habitu induit, nulla ratione habita minoris earum aetatis; quod quidem censetur factum ob cupiditatem haereditatis satis amplae, quae a matre demortua puellis pro earum dote relicta est. Quibus auditis nos cupientes iniuria affectis et oppressis, qui ad nos recurrunt, quantum possumus subvenire, ac de fraternitatis tuae fide, prudentia et integritate plene in Domino confisi, tibi harum auctoritate precipimus ut facti huius veritatem diligenter inquiras et secundum ea, quae compereris quod iuri et aequitati consonum esse iudicaveris decernas, iubeas et exequaris, nosque de eo quod egeris facias certiores. Datum Romae apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die VII septembris 1585, pontificatus nostri anno primo [2].

---

[1] Archiepiscopus Ecclesiae Mexicanensis erat Petrus Moya de Contreras.
[2] Litterae supplices: ibid. fol. 109r.

437

Oblata nobis nuper

Sec. Brev. 173 fol. 134rv — die 1 octobris 1585

DISPENSATIO IN SECUNDO GRADU CONSANGUINITATIS VEL AFFINITATIS

Sixtus V

Dilecto filio Petro Sanchez Moreno laico et dilectae in Christo fi-

liae Leonorae Rodriguez iuniori mulieri in civitate Mexican. in Nova Hispania commorantibus.

Dilecte fili et dilecta in Christo filia salutem etc. Oblata nobis nuper pro parte vestra petitio continebat quod cum vos secundo et seu alio inferiori gradu consanguinitatis vel affinitatis invicem esse coniuncti seu attinere dicimini carnis fragilitate devicti vos carnaliter cognovistis ac duas proles suscepistis. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, tu Leonora pauper existas et ob aes alienum quod Andreas etiam Moreno pater tuus contraxit vix virum paris conditionis cui nubere posses invenires, tuque Petre Gasparis etiam Moreno nate, ipsam Leonoram absque dote in uxorem ducere et eam iuxta status sui conditionem competenter ex integro dotare intendas. Cupitis propterea ex certis aliis rationabilibus causis animos vestros moventibus invicem matrimonialiter copulari, sed quia secundo vel alio inferiori consanguinitatis vel affinitatis gradibus coniuncti esse vel vos attinere dicimini, ut prefertur, desiderium vestrum in hac parte adimplere non potestis absque Sedis Apostolicae dispensatione. Quare nobis humiliter supplicari fecistis ut vobis in premissis de absolutionis beneficio ac opportune dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, vos et utrumque vestrum ab excommunicationis sententia, quam propter praemissa incurristis, incestus reatu et excessibus huiusmodi auctoritate Apostolica, tenore presentium in utroque foro absolvimus; ac vobiscum, ut impedimentis secundi in linea aequali seu alterius inferioris consanguinitatis vel affinitatis graduum huiusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus matrimonium inter vos publice servata forma Concilii Tridentini contrahere illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite valeatis, dummodo tu Leonora propter hoc rapta non fueris, auctoritate et tenore predictis de speciali gratia dispensamus, prolemque susceptam et suscipiendam exinde legitimam decernimus. Volumus autem ut penitentiam a confessore idoneo ex approbatis ab ordinario per vos eligendo vobis propter premissa iniungendam adimplere omnino teneamini alioquin presentes quo ad forum conscientiae nullae sint. Datum Romae apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris, die primo octobris MDLXXXV, anno primo.

438

Oblatae nobis nuper

Sec. Brev. 173 fol. 306r-307r die 1 octobris 1585

DISPENSATIO IN SECUNDO GRADU CONSANGUINITATIS

Sixtus V

Dilecto filio Petro Farfan de los Godos laico et dilectae in Christo filiae Franciscae infanti Samaniego mulieri Mexican.

Dilecte fili et dilecta in Christo filia salutem etc. Oblatae nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat quod cum dilectus filius Petrus etiam Farfan de los Godos tuus fili pater sit regiae audientiae Mexican. praesidens et auditor antiquior et in eisdem partibus pro rectiori gubernio et administratione iustitiae, aliisque rationabilibus ex causis a charissimo in Christo filio Philippo Hispaniarum Rege Catholico ordinatum sit, ut auditores et iustitiae ministri in amicitiis et affinitatibus contrahendis cum hominibus illarum partium circumspecte admodum procedant. Quare auditores et ministri huiusmodi ex causis predictis ac pro conservatione suorum officiorum necessitate quodammodo premuntur matrimonium inter consanguineos vel affines contrahere, unde tuus fili pater, qui ab hinc decem septem annis officio praesidentiae et auditoris in dicta Audientia fungitur, cupiens te filium suum matrimonio collocare, mulierem tuae qualitatis tibi non consanguineam in eadem civitate non reperit et si huiusmodi matrimonium inter vos sequeretur, ipse presidens et auditor non tenebitur bona sua dividere, prout sibi faciendum erit, si cum extranea et tibi fili non consanguinea huiusmodi matrimonium fieret, sicque alias filias foeminas, quas habet, melius collocare poterit; propterea vos qui, ut asseritis, de vere nobili genere procreati estis, desideratis invi-

cem matrimonialiter copulari, sed quia secundo consanguinitatis gradu in linea aequali estis coniuncti, desiderium vestrum in hac parte adimplere non valetis absque Sedis Apostolicae dispensatione. Quare nobis humiliter supplicari fecistis ut vobis de opportune dispensationis gratia in premissis providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur vos specialis gratie favore prosequi volentes vosque et utrumque vestrum a quibusvis excommunicationis etc. censentes huiusmodi supplicationibus inclinati vobiscum, ut impedimento secundi consanguinitatis gradus in linea aequali huiusmodi, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque non obstantibus matrimonium inter vos publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite valeatis, dummodo tu filia Francisca propter hoc rapta non fueris, auctoritate Apostolica, tenore presentium dispensamus, prolemque exinde suscipiendam legitimam nunciamus. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. die primo octobris MDLXXXV, Pontificatus Nostri Anno primo.

439

Dudum felicis recordationis

Sec. Brev. 119 fol. 100rv, 102r — die 15 octobris 1585

VALET DISPENSATIO IN SECUNDO GRADU CONSANGUINITATIS

Sixtus V

Venerabili fratri archiepiscopo seu dilecto filio officiali Mexican. Venerabilis frater seu dilecte fili salutem etc. Dudum felicis re-

cordationis Gregorio Papae XIII predecessori nostro pro parte dilecti filii Antonii de Cuenca laici et dilecte in Christo filie Anne Marie de Contreros mulieris Mexican. exposito dictos Antonium et Annam de nobili genere procreatos existere et in illis partibus fere omnes naturales esse ad fidem Christi conversos. Propterea in eisdem partibus cum quibus matrimonium contrahere possent invenire nequire, cupereque ut nobilitatem eorum inter eos conservare possent invicem matrimonialiter copulari; sed quia secundo consanguinitatis gradu invicem erant coniuncti, desiderium eorum in ea parte adimplere non valere absque Sedis Apostolice dispensatione et pro parte dictorum Antonii et Anne eidem predecessori humiliter supplicato ut eis in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaretur. Idem predecessor eorumdem Antonii et Anne supplicationibus ea in parte inclinatus fraternitati tue frater archiepiscope seu discretioni tue fili officialis per suas litteras dedit in mandatis si preces veritate nisi reperires tunc cum eisdem Antonio et Anna, quod impedimento secundi consanguinitatis gradus huiusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus matrimonium inter se publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesie solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite valerent, dispensaret prolem suscipiendam exinde legitimam nunciando, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem sicut oblate nobis nuper pro parte dictorum Antonii et Anne petitionis series continebat littere predicte, quia preter ipsorum Antonii et Anne ordinem expressum fuerat personas paris conditionis cum quibus matrimonium contrahere possent invenire nequire, tibi presentate minime fuerint, ipsique Antonius et Anna alias personas paris conditionis cum quibus matrimonium contrahere possint invenire queant et ipsi de nobili genere procreati existant et ipsius Anne progenitores et consanguinei fuerint ex primis qui illas partes Indiarum imperio Regis Catholici subiecerunt et magnopere contra infideles maximis periculis pro fidei catholice ampliatione se exposuerint, quorum opera et industria multi ex partibus illarum Indiarum infideles fidem catholicam sunt amplexi, ipsaque Anna sit alienigena et submissa periculo sui honoris pro conservatione sue familie nos Antonium et Annam predictos a quibusvis excommunicationis etc. censentes supplicationis eorumdem Antonii et Anne hac in parte inclinati eidem fraternitati tue frater archiepiscope seu discretioni tue fili officialis per presentes committimus et mandamus, ut negotium huiusmodi assument litterasque ipsas valere. Decernentes ad illarum executionem servata alias earum forma auctoritate nostra procedas in omnibus et per omnia perinde ac si in dictis litteris nulla mentio quod ipsi Antonius

et Anna alias personas paris conditionis cum quibus ipsi matrimonium contrahere possent invenire nequeant facta extitisset, sed alia premissa expressa fuissent. Non obstantibus premissis ac omnibus aliis que dictus predecessor in litteris predictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die XV octobris MDLXXXV, Pontificatus nostri Anno primo [1].

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 101r.

440

Indulgentias et gratias

Hernáez I 735-736 die 17 octobris 1585

PROROGATIO BULLAE CRUCIATAE AD ALIOS SEX ANNOS

Summus Pontifex indulgentias et gratias a diversis Romanis Pontificibus et novissime a Gregorio XIII in bulla sicdicta cruciata pro regnis Hispanis concessas ad aliud sexennium prorogat. Executio harum litterarum Petro Portocarrero Inquisitionis Commissario Generali committitur.

Sixtus V

Charissimo in Christo Filio nostro Philippo, Hispaniarum Regi Catholico.

Charissime in Christo Fili noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. Indulgentias et gratias illas spirituales ac temporales ad sex annos publicandas et duraturas, tibi ac omnibus et singulis Christi Fidelibus in Regnis ac dominiis Hispaniarum et illis adjacentibus, nec-

non Sardiniae Insulis consistentibus, et ad illa declinantibus, iis, qui certa munera adimplevissent, a diversis Romanis Pontificibus concessas, et deinde pluries, ac novissime a Gregorio XIII, per suas in forma Brevis Litteras die 5 Novembris, Pontificatus sui anno decimo scriptas, Praedecessoribus nostris prorogatas justis et gravibus causis adducti, motu proprio, ex certaque scientia nostra ac de Apostolicae potestatis plenitudine, ad aliud sexennium, a fine ultimi sexennii huiusmodi numerandum, extendimus et prorogamus. Et nihilominus Majestati tuae ac praefatis omnibus easdem gratias et indulgentias, cum omnibus et quibuscumque indultis, facultatibus, concessionibus, extensionibus, conditionibus, clausulis et decretis in aliis Gregorii, Praedecessoris praefati, ultimo emanatis Litteris contentis, ad praedictum sexennium, a fine sex annorum ultimo per eumdem Gregorium, ut praefertur, prorogatorum, prout in qualibet Provincia sive Regno finem habebunt, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, de novo concedimus et indulgemus. Praeterea, dilecto Filio Petro Portocarrero, consiliario Officii Inquisitionis haereticae pravitatis in dictis Hispaniarum Regnis jam earumdem gratiarum Executori et Commissario Generali nuper a nobis deputato, plenam et liberam in praemissis facultatem et auctoritatem tribuimus, per se vel alium seu alios, quos ad id idoneos duxerit, ad executionem praemissorum, et alias juxta facultates concessa, omni et quacumque appellatione postposita, procedendi, aliaque faciendi et exequendi, quae in praemissis, et circa ea necessaria fuerint, et quomodolibet opportuna. Non obstantibus, etc.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 17 Octobris 1585, Pontificatus nostri anno primo.

441

Oblatae nobis nuper

Sec. Brev. 173 fol. 305rv die 23 octobris 1585

DISPENSATIO IN PRIMO ET SECUNDO GRADU CONSANGUINITATIS

Sixtus V

Dilecto Filio Gundisalvo Cano Montersuma laico et dilectae in Christo filiae Mariae Cano etiam de Montersuma mulieri Mexican.

Dilecte fili et dilecta in Christo filia salutem etc. Oblatae nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat quod vos, qui ex regia familia ac nepotes quondam Montersume olim Imperatoris et Regis Mexican. et totius provinciae ad presens Novae Hispaniae nuncupatae existis, personas paris conditionis cum quibus matrimonium contrahere possitis, invenire nequiatis, et si tu filia Maria alteri viro nubere cogereris, necesse foret ut quaedam terra a vobis communiter possessa non sine maximo incolarum damno et praeiudicio pro parte saltem in alienum dominium transiret, ut igitur familia vestra conservetur, desideratis invicem matrimonialiter copulari, sed quia primo et secundo consanguinitatis gradibus estis coniuncti, desiderium vestrum in hac parte adimplere non valetis absque Sedis Apostolicae dispensatione. Quare nobis humiliter supplicari fecistis ut vobis in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur vos et utrumque vestrum a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati vobiscum ut impedimentis primi et secundi consanguinitatis graduum huiusmodi ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque, non obstantibus matrimonium inter vos publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite valeatis, dummodo tu filia Maria propter hoc rapta non fueris, auctoritate Apostolica, tenore presentium de speciali gratia dispensamus, prolemque suscipiendam exinde legitimam nunciamus. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 23 octobris 1585, anno primo.

442

Cum alias sicut

Sec. Brev. 115 fol. 312rv die 26 octobris 1585

LIS INTER DUOS PROCOS

Hieronymus et Ludovicus Luisam filiam Didaci in uxorem suscipere intendunt. Lite inter eos indecisa pendente, Luisa in aliquo monasterio monialium collocanda est.

Sixtus V

Venerabili fratri Archiepiscopo Mexicano [1].

Venerabilis frater salutem etc. Cum alias sicut accepimus mota contra dilectum filium Didacum Alphonsum Larii coram te per quosdam Hieronymum et Ludovicum de Los Cobos lite et causa sub praetextu quod quisque eorum dilectam in Christo filiam Luisam dicti Didaci filiam in uxorem suscipere intendebat, fraternitas tua per suam sententiam declaraverit, Hieronymum et Ludovicum predictos matrimonium cum dicta Luisa ob carnalem copulam ab utroque eorum cum illa, ut asserebatur, habitam contrahere non posse, ii vero ab huiusmodi sententiam ad sanctam Sedem Apostolicam appellaverint, nos ne, lite huiusmodi indecisa pendente, aliquod scandalum oriatur, ac dicti Didaci precibus super hoc nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus ut dictam Luisam in aliquo monasterio monialium istius civitatis vel diocesis tibi beneviso et cum abbatissae ac monialium illius voluntate deponi, ibidemque dicta lite durante custodiri facias, absque tamen sumptu ipsius monasterii regularisque disciplinae et clausurae detrimento. Nos enim super his plenam et liberam fraternitati tuae tribuimus potesta-

tem. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XXVI octobris MDLXXXV, pontificatus nostri anno primo [2].

[1] Archiepiscopus Ecclesiae Mexicanensis erat Petrus Moya de Contreras.
[2] Litterae supplices: ibid. fol. 314r.

443

Oblatae nobis nuper

Sec. Brev. 173 fol. 292rv — die 29 octobris 1585

DISPENSATIO IN SECUNDO GRADU CONSANGUINITATIS

Sixtus V

Dilecto filio Didaco Lopez de Mora layco et dilectae in Christo filiae Isabellae Duarte del Pulgar mulieri Sanctae Fidei in Indiis maris Oceani.

Dilecte fili et dilecta in Christo filia salutem et Apostolicam benedictionem. Oblatae nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat, quod cum vos ambo sitis ex principalibus istius civitatis Sanctae Fidei, tu tamen filia Isabella utroque parente orbata ac pauper existas, ita ut habeas minus competentem dotem iuxta status tui conditionem, cum qua virum tibi non consanguineum vel affinem paris conditionis, cui nubere possis, invenire queas, tuque fili Didace intendas ipsam, ne alias innupta remaneat cum dicta minus competenti dote in uxorem ducere, ipsiusque dotem iuxta status sui conditionem competenter augere; cupitis propterea invicem matrimonialiter copulari, sed quia secundo consanguinitatis gradu invicem estis coniuncti, desiderium vestrum hac in parte adimplere non potestis absque Sedis Apostolicae dispensatione. Quare nobis humiliter supplicari fecistis ut vobis impremissis de opportunae dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur vos et utrumque ve-

strum a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobiscum ut impedimento secundi consanguinitatis gradus in linea aequali huiusmodi ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque non obstantibus matrimonium inter vos publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite valeatis, dummodo tu Isabella propter hoc rapta non fueris, auctoritate Apostolica, tenore presentium de speciali gratia dispensamus, prolem suscipiendam exinde legitimam nunciando. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXIX octobris MDLXXXV, Pontificatus Nostri Anno primo.

444

Super gregem dominicum

Sec. Cam. 69 fol. 201rv — die 13 ianuarii 1586

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATIBUS

Una sub invocatione sanctorum Petri et Pauli et altera animarum de Purgatorio nuncupata, invicem unitis, in ecclesia domus sancti Pauli Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini in civitate *México* institutis, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis christifidelibus etc. salutem etc. Super gregem dominicum etc. feliciter adipisci. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia domus Sancti Pauli Mexicanensis Indiarum maris Oceani ordinis fratrum heremitarum Sancti Augustini una sub invocatione Sanctorum Petri et Pauli et altera animarum de Purgatorio nuncupata utriusque sexus christifidelium confraternitates invicem unite non tamen pro hominibus unius specialis artis canonice institute sint, quarum dilecti filii confratres in bonis operibus se student exercere, nos cupientes ut dicti confratres in huiusmodi et aliorum piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea necnon alii christifideles promptius ad

confraternitates predictas ingrediendas incitentur ipseque confraternitates salutaribus in Domino magis proficiant incrementis dictaque ecclesia in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad illam devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerint se esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui easdem confraternitates pro tempore ingredientur et in ea reciperentur in die primi eorum ingressus et receptionis huiusmodi si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint ac tam ipsis quam iam ingressis utriusque sexus confratribus pro tempore ubilibet decedentibus etiam vere penitentibus et confessis in eorum mortis articulo pium nomen Iesu corde, si ore non potuerint invocantibus etiam plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur, necnon tam ipsis confratribus quam universis et singulis aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui ecclesiam predictam in festivitate conversionis eiusdem Sancti Pauli a primis vesperis usque ad occasum solis diei eiusdem festivitatis quolibet anno devote visitaverint et ibi ad Deum preces pro Sancte Romane Ecclesie ac fidei catholice felici statu et exaltatione, illiusque inimicorum depressione et inter christianos principes servanda pace, concordia et unione, heresumque extirpatione, hereticorum reductione et infidelium conversione effuderint, quo die predicto id pro tempore fecerint si Sanctissimum Sacramentum predictum sumpserint septem annos et totidem quadragenas. Preterea eisdem utriusque sexus confratribus qui pariter vere penitentes et confessi Sacramentum predictum in inventionis et exaltationis Sancte Crucis ac commemorationis defunctorum festivitatibus et dominica infra octavam festi beatorum Petri et Pauli apostolorum seu in aliqua vel aliquibus illarum pro tempore sumpserint qualibet vice alios septem annos et totidem quadragenas; illis vero qui missis et aliis divinis officiis in ecclesia predicta ex consuetudine vel instituto seu intuitu dictarum confraternitatum pro tempore celebrandis et recitandis seu congregationibus publicis vel secretis earundem confraternitatum ubivis faciendis interfuerint et etiam pauperes puellas dotaverint vel matrimonio collocaverint, aut pauperes hospitio exceperint vel pacem cum inimicis propriis aut alienis composuerint seu componi fecerint vel procuraverint, necnon etiam qui corpora defunctorum tam confratrum quam aliorum ad sepulturam associaverint vel quascumque processiones per ipsam confraternitatem pro tempore de licentia ordinarii celebrandas dictumque Sacra-

mentum quando tam in processionibus quam ad infirmos ac omnes ubicumque et quandocumque pro tempore defertur comitati fuerint aut impediti per alium vel alios associari fecerint aut campane ad id signo dato semel orationem dominicam et salutationem angelicam pro animabus confratrum dictarum confraternitatum recitaverint quoties premissa vel aliquod premissorum egerint sexaginta dies de iniunctis etc. relaxamus presentibus etc. non co[nfratres] etc. ad viginti annos tantum a data publicationis presentium computandos in reliquis etc. perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus etc. vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno etc. 1585, idibus ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

445

Divina disponente clementia

Sec. Cam. 70 fol. 332rv die 13 ianuarii 1586

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sancti Nicolai de Tolentino in monasterio sancti Augustini oppidi Potosi, dioecesis *Charcas* seu *La Plata* (hodie *Sucre*) instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis etc. salutem etc. Divina disponente clementia ad summi apostolatus apicem meritis licet imparibus sublimati universos utriusque sexus christifideles quorum merita pro demeritis penitus sunt imparia ad pia et meritoria opera exercenda spiritualibus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus frequenter invitamus ut ipsi exinde macula suorum abolita delictorum ad eterne beatitudinis gaudia feliciter pervenire mereantur. Cupientes igitur ut confraternitas Sancti Nicolai de Tolentino in monasterio Sancti Agustini loci de Potasi ordinis eiusdem Sancti Augustini Charcorum alias de la

Plata diocesis in Indiis maris Oceani pie et canonice non tamen pro hominibus unius specialis artis instituta cuius dilecti filii confratres diversa pietatis et charitatis opera ad Dei laudem et proximi subventionem divinique cultus augmentum tendentia exercere solent in Dei honorem in dies amplietur dictique monasterii ecclesia congruis frequentetur honoribus et a christifidelibus iugiter veneretur ipsique christifideles eo libentius devotionis causa eandem confraternitatem ingrediantur et ad dictam ecclesiam devotionis causa confluant quo exinde dono celestis gratie uberius conspexerint se esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis dictam confraternitatem ingressuris in die primi illorum ingressus si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint et in eorum mortis articulo etiam vere penitentibus et confessis ore aut saltem corde nomen Iesu invocaverint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur, necnon eisdem confratribus et aliis dicti sexus christifidelibus etiam vere penitentibus et confessis qui dictam ecclesiam in die eiusdem Sancti Nicolai de Tolentino quo festum eiusdem confraternitatis celebrari solet a primis vesperis usque ad occasum solis diei eiusdem festi annis singulis devote visitaverint ac inibi pro pace inter principes christianos conservanda et Sancte Matris Ecclesie exaltatione ac heresum extirpatione pias ad Deum preces fuderint quo die predicto id fecerint si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint septem annos et totidem quadragenas. Preterea eisdem confratribus pariter vere penitentibus et confessis qui Sacramentum predictum in eiusdem Sancti Augustini et Sancti Francisci ac assumptionis beate Marie festivitatibus necnon die commemorationis defunctorum sumpserint ipsamque ecclesiam devote visitaverint et oraverint ut prefertur alios septem annos et totidem quadragenas; postremo eisdem confratribus quoties divinis dicte confraternitatis interfuerint ac Sanctissimum Eucharistie Sacramentum dum infirmis defertur aut corpora confratrum predictorum ad sepulturam associaverint vel pro aliquo charitatis opere iuxta eiusdem confraternitatis instituta exercendo se congregaverint toties sexaginta dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis auctoritate et tenore premissis misericorditer in Domino relaxamus presentibus; quoad christifideles non confratres ecclesiam huiusmodi ut prefertur visitantes ad decennium tamen in reliquis vero perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis christifidelibus predictis pro premissis peragendis vel alias aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura per nos

concessa fuerit eodem presentes nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice etc. MDLXXXV, idibus ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

446

Divina disponente clementia

Sec. Cam. 70 fol. 333rv die 13 ianuarii 1586

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sanctorum Crispini et Crispiniani in monasterio sancti Augustini oppidi Potosi, dioecesis *Charcas* seu *La Plata* (hodie *Sucre*) instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis etc. salutem etc. Divina disponente clementia ad summi apostolatus apicem meritis licet imparibus sublimati universos utriusque sexus christifideles quorum merita pro demeritis penitus sunt imparia ad pia et meritoria opera exercenda spiritualibus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus libenter invitamus ut ipsi exinde macula suorum abolita delictorum ad sempiterne beatitudinis gaudia feliciter pervenire mereantur. Cupientes igitur ut confraternitas Sanctorum Crispini et Crispiniani in monasterio Sancti Augustini loci de Potasi ordinis eiusdem Sancti Augustini Charcorum alias de la Plata diocesis in Indiis maris Oceani pie et canonice non tamen pro hominibus unius specialis artis canonice instituta, cuius dilecti filii confratres diversa pietatis et charitatis opera ad Dei laudem et proximi subventionem divinique cultus augmentum tendentia exercere solent in Dei honorem in dies amplietur dictique monasterii ecclesia congruis frequentetur honoribus et a christifidelibus iugiter veneretur

ipsique christifideles eo libentius devotionis causa eandem confraternitatem ingrediantur et ad dictam ecclesiam confluant quo exinde dono celestis gratie uberius conspexerint se esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis dictam confraternitatem ingressuris in die primi illorum ingressus si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint ac in mortis articulo etiam vere penitentibus et confessis ore aut saltem corde nomen Iesu invocantibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur, necnon eisdem confratribus et quibusvis aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui dicti monasterii ecclesiam in die festo eorumdem Sanctorum Crispini et Crispiniani a primis vesperis usque ad occasum solis diei eiusdem festi annis singulis devote visitaverint ac inibi pro pace inter principes christianos conservanda ac Sancte Matris Ecclesie exaltatione ac heresum extirpatione pias ad Deum preces fuderint quo die predicto id fecerint si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint septem annos et totidem quadragenas. Preterea eisdem confratribus qui pariter vere penitentes et confessi Sanctissimum Sacramentum predictum in Sancte Marie Magdalene et Sancti Nicolai de Toletino necnon visitationis et annunciationis beate Marie virginis festivitatibus sumpserint ac ecclesiam predictam devote visitaverint et oraverint ut prefertur alios septem annos et totidem quadragenas; postremo eisdem confratribus quoties divinis officiis dicte confraternitatis interfuerint ac Sanctissimum Sacramentum predictum dum infirmis defertur aut corpora confratrum defunctorum ad sepulturam associaverint vel pro aliquo charitatis opere iuxta eiusdem confraternitatis instituta exercendo se congregaverint toties sexaginta dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet penitentiis auctoritate et tenore premissis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad christifideles non confratres dictam ecclesiam ut prefertur visitantes ad decennium tantum in reliquis vero perpetuis futuris temporis duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis christifidelibus predictis pro premissis peragendis vel alias aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit eodem presentes nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice MDLXXXV, idibus ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

447

Oblata nobis nuper

Sec. Brev. 120 fol. 450rv die 8 februarii 1586

DISPENSATIO IN SECUNDO GRADU CONSANGUINITATIS

Sixtus V

Dilecto filio Francisco Pacho laico et dilectae in Christo filiae Elisabethae de Leon mulieri Mexican.

Dilecte fili et dilecta in Christo filia salutem etc. Oblata nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod cum tu Elisabetha dotem habeas minus competentem iuxta status tue conditionem cum qua virum tibi non consanguineum vel affinem paris conditionis cui nubere possis invenire queas et tu Francisce, qui duces existis, ne dicta Elisabetha utroque parente orbata in partibus tam remotis omni subsidio destituta remaneat illam cum dicta minus competente dote in uxorem ducere et illius dotem, iuxta status tui conditionem competenter augere intendas, cupitis invicem matrimonialiter copulari, sed quia secundo consanguinitatis gradu invicem estis coniuncti, desiderium vestrum hac in parte adimplere non potestis absque Sedis Apostolicae dispensatione. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum ut vobis desuper opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur vos et utrumque vestrum a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati vobiscum quod impedimento secundi consanguinitatis gradus huiusmodi in linea aequali ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque non obstantibus matrimonium inter vos publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite

valeatis, dummodo tu Elisabetha propter hoc rapta non fueris Apostolica auctoritate tenore praesentium de speciali gratia dispensamus prolem suscipiendam exinde legitimam nunciando. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII februarii 1586, Pontificatus nostri anno primo [1].

---

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 451r.

448

Exponi nobis curarunt

Sec. Brev. 159 fol. 47rv — die 22 februarii 1586

LICENTIA TRANSEUNDI AD ALIUD MONASTERIUM

Pro duabus monialibus monasterii Beatae Mariae Virginis Conceptionis Ordinis Sancti Augustini Civitatis Regum, ad instruendas et dirigendas moniales monasterii sancti Augustini in civitate *La Plata* eiusdem Ordinis Sancti Augustini.

Sixtus V

Venerabili fratri Episcopo [1] civitatis Regum in partibus Indiae Occidentalis del Perù vocatae.

Venerabilis frater salutem etc. Exponi nobis curarunt dilectae in Christo filiae priorissa et moniales monasterii Sancti Augustini civita-

---

[1] Archiepiscopus Ecclesiae Civitatis Regum (*Lima*) erat Turibius Alphonsus de Mogrovejo. De eo cfr. supra doc. 408.

tis de la Plata eiusdem ordinis Sancti Augustini, quod cum conventus ipsarum recens erectus et institutus sit et ipsae omnes fere novitiae valde indigeant aliquarum monialium opera, quae provectae et exercitatae et ad illas instruendas et docendas aptae et idoneae sint quales fore sperant dilectas in Christo filias Eleonoram et Beatricem Oroscas, sorores moniales professas in monasterio beatae Mariae Conceptionis istius Civitatis Regum eiusdem ordinis Sancti Augustini, quas propterea a nobis humiliter precibus concedi sibi postularunt. Quare nos pio et iusto ipsarum desiderio ac precibus benigne annuentes, fraternitati tuae per presentes iniungimus ut si rem ita se habere et expediens esse iudicaveris eisdem Eleonore et Beatrici monialibus professis transeundi huius rei gratia ad primodictum monasterium Sancti Augustini potestatem facias, modo tamen congruo tempore et honesto cum comitatu arbitrio tuo eis assignando illuc pergant et postquam officio huiusmodi per aliquod tempus etiam abs te praefigendum functae fuerint ad proprium redeant monasterium. Non obstantibus felicis recordationis Pii V et Gregorii XIII ac aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de clausura monialium editis, ac aliis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XXII februarii 1586, anno primo.

449

Super gregem dominicum

Sec. Cam. 70 fol. 351rv — die 7 martii 1586

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione Verae Crucis in Ecclesia domus sancti Francisci Ordinis Fratrum Minorum de Observantia civitatis *Quito* instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis christifidelibus etc. salutem etc. Super gregem dominicum etc. feliciter adipisci. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia domus Sancti Francisci ordinis fratrum minorum de observantia civitatis del Quito in partibus Indiarum Occidentalium una pia et devota christifidelium confraternitas sub invocatione vere Crucis non tamen pro hominibus unius specialis artis canonice instituta existat cuius dilecti filii confratres in bonis et piis operibus se student exercere, nos cupientes ut dicti confratres in huiusmodi et aliorum piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea necnon alii christifideles promptius ad confraternitatem predictam ingrediendum incitentur ipsaque confraternitas salutaribus in Domino magis in dies proficiat incrementis ac dicta ecclesia seu capella vel altare in ea consistens ipsius confraternitatis in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius illuc devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerint se esse refectos ac celestis gratie thesauris paterna charitate intendentes dictamque confraternitatem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui eandem confraternitatem pro tempore imperpetuum ingredientur et in ea recipientur in die primi eorum ingressus et receptionis huiusmodi si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint plenariam, ac tam ipsis quam omnibus et singulis aliis nunc et pro tempore existentibus eiusdem confraternitatis confratribus utriusque sexus pro tempore decedentibus et vere penitentibus et confessis in eorum mortis articulo pium nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus etiam plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur. Preterea tam ipsis confratribus quam universis et singulis aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui ecclesiam seu altare aut capellam huiusmodi in inventionis Sancte Crucis festivitate de mense maii celebrari solita a primis vesperis usque ad occasum solis diei festivitatis eiusdem annuatim pro tempore visitaverint et ibi ad Deum preces pro Sancte Romane Ecclesie ac fidei catholice felici statu et exaltatione, illiusque inimicorum depressione aut inter christianos principes servanda pace, concordia et unione, heresumque extirpatione, hereticorum reductione et infide-

lium conversione effuderint quacumque festivitate predicta id pro tempore fecerint si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint septem annos et totidem quadragenas; illis autem omnibus et singulis dicte confraternitatis utriusque sexus confratribus qui pariter vere penitentes et confessi dictum Sanctissimum Eucharistie Sacramentum quarta dominica quadragesime et in nativitatis Sancti Ioannis Baptiste et exaltationis eiusdem Sancte Crucis ac Sancti Francisci festivitatibus annuatim ultra festum Paschatis Resurrectionis Dominice seu in aliqua vel aliquibus earum pro tempore sumpserint qualibet vice alios septem annos et totidem quadragenas; illis vero qui missis et aliis divinis officiis in ecclesia seu capella vel ad altare huiusmodi ex consuetudine vel instituto seu intuitu dicte confraternitatis pro tempore celebrandis seu congregationibus publicis vel secretis eiusdem confraternitatis ubivis faciendis interfuerint aut etiam pauperes puellas dotaverint vel matrimonio collocaverint aut pauperes hospitio susceperint vel pacem cum inimicis propriis vel alienis composuerint seu componi fecerint vel procuraverint, necnon etiam qui corpora defunctorum tam confratrum quam aliorum ad sepulturam associaverint vel quascumque processiones per ipsam confraternitatem pro tempore de licentia ordinarii celebrandas dictumque Sanctissimum Sacramentum quando tam in processionibus quam ad infirmos ac alias ubicumque et quandocumque pro tempore defertur comitati fuerint seu impediti per alium vel alios associari fecerint aut campane ad id dicto signo semel orationem dominicam et salutationem angelicam dixerint ac etiam quinquies eandem orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro animabus defunctorum dicte confraternitatis recitaverint quoties premissa vel aliquod premissorum egerint sexaginta dies etc. relaxamus presentibus, quoad non confratres ecclesiam seu capellam aut altare huiusmodi ut prefertur visitantes ad viginti annos a data presentium computandos, quo vero ad alios cetera premissa peragentes perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod si confratribus vel aliis etc. vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno etc. 1585, nonis martii, pontificatus nostri anno primo.

450

Delatum est nobis

Sec. Brev. 118 fol. 69rv die 15 martii 1586

LICENTIA DEFERENDI VELI NIGRI ET IN CHORO SEDENDI

Archiepiscopo civitatis *Lima* facultas datur, ut Mariae moniali monasterii Incarnationis, ex patre Hispano et matre Inda natae, licentiam concedat, ut sicuti virgines a parentibus Hispanis ortae velo nigro utatur et in choro sedeat, si abbatissae consensus accedit nullumque scandalum oritur.

Sixtus V

Venerabili fratri episcopo civitatis Limae in partibus Indiarum del Perù.

Venerabilis frater salutem etc. Delatum est nobis esse in ista civitate monasterium monialium Incarnationis vocatum in quo ea consuetudo vel institutum viget ut quae virgines a parentibus Hispanis ortae illud ingrediuntur in eoque profitentur certam dotis summam dare monasterio debeant et velo nigro utantur, aliae vero ex patre tantum Hispano et ex matre Inda natae dimidium eius summae solvant, et emissa professione velum album deferant. Quia vero his expositis fuit nobis humiliter supplicatum nomine Mariae monialis dicti monasterii Incarnationis filiae Ioannis de Espinal ut asserit nobilis Hispani ex matre Inda genitae, ut attento quod dotem augere vult usque ad integram summam praefatam ei indulgere dignaremur, ut velum nigrum sicuti aliae deferre et cum eis in choro sedere liceret. Idcirco fraternitati tuae committimus ut re diligenter cognita si ita expedire monasterio cognoveris et abbatissae seu priorissae consensus accesserit, nullumque scandalum inde sit oriturum eidem Mariae moniali postquam

dotem integram, ut prefertur, persolverit veli nigri deferendi et in choro sedendi, auctoritate nostra licentiam concedas. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XV martii 1586, anno primo [1].

---

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 70r.

451

Mirifice delectarunt

Sec. Brev. 118 fol. 98rv — die 19 martii 1586

LICENTIA VENIENDI AD URBEM

Pro archiepiscopo Novi Regni Granatensis, ob multiplices et graves causas, rebus Ecclesiae ita constitutis, ut ex longa sua absentia nullum detrimentum pati debeat.

Sixtus V

Venerabili fratri Ludovico Zappatta de Cardenas [1] Archiepiscopo novi regni Granaten. in partibus Indiarum maris Oceani.

Venerabilis frater salutem etc. Mirifice delectarunt nos litterae tuae quibus significasti cupere te ob multiplices et graves causas, quae premunt et ad sanctam religionem catholicam magnopere pertinent ad

---

[1] Ludovicus Zapata de Cárdenas, OFM, die 8 novembris 1570 nominatus est archiepiscopus Ecclesiae Sanctae Fidei de *Bogotá*; mortuus est die 24 ianuarii 1590. *Egaña* 479, 499-504.

beatorum apostolorum limina et ad nostram praesentiam, si id per nos liceat, accedere. Nam ante paucos dies constitutionem promulgavimus, qua omnes venerabiles fratres episcopos et archiepiscopos ad visitanda apostolorum limina iuxta antiquum Ecclesiae morem venire iussimus, certo eorum cuique pro locorum distantia, temporis spatio assignato, sed etsi hanc nostram iussionem ex ipsa constitutione nostra aut cognovisse iam, aut prope diem te cogniturum esse non dubitamus, nihilominus morem tibi gerere volentes, harum auctoritate tibi ab Ecclesia tua discedendi et ad almam Urbem et ad nos veniendi licentiam et facultatem concedimus contrariis non obstantibus quibuscumque. Hortamur autem te, ut res ipsius Ecclesiae tuae ita constituas ut ex tua longa absentia nullum pati debeant detrimentum. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 19 martii 1586, Pontificatus nostri anno primo.

452

Significasti nobis

Sec. Brev. 159 fol. 145r — die 20 martii 1586

LICENTIA ROMAM VENIENDI

Pro archiepiscopo Novi Regni Granatensis, absque ullius poenae spiritualis vel temporalis aut amissionis fructuum incursu.

Sixtus V

Venerabili fratri Ludovico Zappata de Cardenas Archiepiscopo Novi Regni Granaten. in partibus Indiarum maris Oceani.

Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Significasti nobis cupere te ob multas et graves causas, quae conscientiam

tuam premunt et ad fidei catholicae incrementum magnopere pertinent, ad beatorum apostolorum limina et ad nostram praesentiam, si tibi id per nos liceat, accedere. Nos igitur desiderium et propositum hoc tuum non modo approbantes, sed gratum etiam habentes, fraternitati tuae ut ab ecclesia tua discedere et ad Almam Urbem et ad nos venire absque ullius poenae spiritualis vel temporalis, aut amissionis fructuum incursu libere et licite valeas, auctoritate Apostolica, tenore presentium licentiam et facultatem concedimus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Hortamur autem te, ut res ipsius ecclesiae tuae ita constituere cures, ut ex longa absentia tua nullum pati debeant detrimentum. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die XX martii 1586, anno primo.

453

Omnipotentis et aeterni Dei

Sec. Cam. 70 fol. 542rv — die 12 aprilis 1586

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione Conceptionis Beatae Mariae Virginis in ecclesia parochiali loci *Cayambi* dioecesis *Quito* instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis etc. salutem etc. Omnipotentis et eterni Dei etc. aptiores. Cum itaque sicut accepimus in parrochiali ecclesia Conceptionis beatae Marie virginis loci de Cayambi Quitensis diocesis una pia utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione Conceptionis eiusdem beate Marie ad Dei omnipotentis laudem et animarum salutem non tamen pro hominibus unius specialis artis canonice insti-

tuta existat et dilecti filii illius confratres diversa pietatis et charitatis opera ad Dei laudem et proximi subventionem divinique cultus augmentum tendentia exercere consueverint nos cupientes ut ipsi confratres in huiusmodi piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea et similiter alia imposterum exercenda peramplius invitentur ipsique christifideles eo libentius devotionis causa eandem confraternitatem ingrediantur et ad dictam ecclesiam confluant quo exinde dono celestis gratie conspexerint se uberius esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur in die primi illorum ingressus si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint ac tam ipsis quam ad presens existentibus ipsius confraternitatis confratribus etiam vere penitentibus et confessis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus indulgentiam plenariam et omnium peccatorum suorum remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur; necnon tam ipsis confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui ecclesiam confraternitatis predicte in die festivitatis Conceptionis eiusdem beate Marie virginis quo festum eiusdem confraternitatis celebrari solet a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei annis singulis devote visitaverint et ibi pro pace inter principes christianos conservanda ac Sanctae Matris Ecclesie exaltatione, heresumque extirpatione pias ad Deum preces fuderint quo die predicto id fecerint si dictum Sanctissimum Sacramentum sumpserint septem annos et totidem quadragenas. Preterea eisdem confratribus qui similiter penitentes et confessi ac sumpto eodem Sanctissimo Sacramento ecclesiam predictam in Ascensionis Domini nostri Iesu Christi necnon eiusdem beate Marie virginis nativitatis ac purificationis et assumptionis festivitatibus ultra resurrexionis Domini nostri Iesu Christi festivitatem similiter visitaverint et ut supra oraverint septem annos et totidem quadragenas; illis vero ex confratribus predictis quoties divinis officiis dicte confraternitatis interfuerint aut pro aliquo charitatis opere exercendo se congregaverint toties sexaginta dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad christifideles non confratres dicte confraternitatis ecclesiam predictam ut prefertur visitantes ad decennium proximum a die prime publicationis computandum tantum, quo vero ad singula alia premissa peragentes perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis christifidelibus predictis ratione premissorum aut alias aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad certum

tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit eodem presentes nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, pridie idus aprilis, pontificatus nostri anno primo.

454

Ad augendum

Sec. Brev. 118 fol. 263r — die 30 aprilis 1586

INDULGENTIA PLENARIA

Sixtus V

Universis etc. Ad augendum etc. omnibus etc. qui cappellam Sanctissimi Rosarii gloriosissimae virginis Mariae sitam in ecclesia Sancti Francisci de Merida Yucatan. Indiarum Occidentalium die festo Sancti Dominici a primis vesperis etc. singulis annis etc. et de etc. plenariam etc. Praesentibus post viginti annos minime valituris. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die ultima aprilis MDLXXXVI, anno primo [1].

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 263r.

455

Oblata nobis nuper

Sec. Brev. 122 fol. 37rv, 39rv die 5 maii 1586

DISPENSATIO IN SECUNDO GRADU AFFINITATIS EX ACTU FORNICARIO

Sixtus V

Venerabili fratri Archiepiscopo seu dilecto filio officiali Mexican.

Venerabilis frater seu dilecte fili salutem etc. Oblata nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Ludovici de los Cobos et Quiros laici Gadicen. diocesis et Luisae Larios natae Alphonsi Larios mulieris Mexican. in civitate Mexican. partium Indiarum Occidentalium commorantium, quod cum ipsi alias de anno 1579 sponsalia inter se per verba de futuro contraxissent et dictus Ludovicus eandem Luisam nullo alio matrimonio per verba de presente secum contracto carnaliter cognoscenda virginem deflorasset, ac ex dictis Indiarum partium ad Hispanias se contulisset, quidam Hieronimus Guarnico laicus predicto Ludovico secundo consanguinitatis gradu in linea aequali coniunctus de ducendo in uxorem dictam Luisam tractare cepit, verum stantibus sponsalibus per verba de futuro inter dictos Ludovicum et Luisam, ut praefertur, contractis cum id fieri non posse sibi affirmatum fuisset coram loci ordinario Mexicano seu eius officiali contra eandem Luisam litem introduxit asserens licet falso se a dicta Luisa fidem futuri matrimonii habuisse, atque ad illius inviolabilem observationem ipsam Luisam de iure teneri, ac iuridicis remediis compelli debere et licet Luisa predicta per sententiam diffinitivam dicti ordinarii seu officialis rite et recte desuper latam a praetensione dicti Hieronimi absoluta et pro dicti Hieronimi parte a supradicta sententia ap-

pellatum fuisset, tamen cum Ludovicus predictus ex Hispaniis ad Indiarum partes et civitatem Mexicanam huiusmodi interim esset reversus, certo sciens praetensam dicti Hieronimi assertionem quoad premissa esse non posse ratificando et approbando sponsalia, ut premittitur facta illam de novo pluries carnaliter cognovit ex eaque unum filium procreavit; et premissis dicto ordinario vel officiali pro eorumdem Ludovici et Luisae parte expositis, quodque genitores dictae Luisae effectum matrimonii inter ipsos malitiose impedire conabantur, licet etiam idem ordinarius seu officialis citatis prius coram se legitime supradictis Luisae genitoribus ac Hieronimo qui in prosecutione suae praetensae appellationis nihil aliud eatenus fecerat, atque copia petitionis dictorum Ludovici et Luisae illis concessa et dictus Hieronimus pretendens ante finem litis contra dictam Luisam super observatione assertae fidei matrimonii a se, ut praefertur, introducti et in appellatione tunc executis matrimonium inter Ludovicum et Luisam predictos nullatenus contrahi nec aliquid innovari posse, nonnulla minus relevantia excommunicatio coram dicto officiali adduxisset, ac illis prorsus reiectis vel non obstantibus dictus officialis eisdem Ludovico et Luisae licentiam contrahendi publice inter se matrimonium concessisset, ante tamen contractum illius ad procuratoris fiscalis Curiae ecclesiasticae Mexican. seu alterius instantiam pretextu quod Luisa predicta non solum a Ludovico, sed a supradicto Hieronimo se carnaliter cognosci passa et de incestus reatu culpabilis effecta, quodque inter dictos Ludovicum et Luisam impedimentum secundi affinitatis gradus ex actu fornicario proveniente generatum esse, processum criminalem contra dictam Luisam formavit ac dictis Ludovico et Luisae prohibuit, ne propter dictum impedimentum coram se verificatum matrimonium inter se quoquomodo contraherent, propter quod ab illius contractu destiterunt. Verum cum sicut eadem ex predicto subiungebat dicta Luisa de premissis diffamata sit et nullam fidem seu promissionem futuri matrimonii dicto Hieronimo unquam dederit et si dicto Ludovico non nuberet, alium virum paris conditionis, cui nubere posset, non inveniret ac innupta remaneret, atque inter ipsorum Ludovici et Luisae consanguineos graves inimicitiae, discordiae et rixae ac alia scandala possent verisimiliter exoriri, ad illis igitur obviandum et pro bono pacis cupiunt Ludovicus et Luisa predicti invicem matrimonialiter copulari, sed quia dicto 2° affinitatis gradu ex premissa fornicatione proveniente invicem, ut praefertur, se attinent desiderium in hac parte adimplere non valent absque Sedis Apostolicae dispensatione. Quare pro parte eorundem Ludovici et Luisae nobis fuit humiliter supplicatum, quatinus sibi in premissis de absolutionis, benedictionis et opportunae dispensationis gratia providere de benignitate Apostoli-

ca dignaremur. Nos igitur qui scandalis ne eveniant, quantum cum Deo possumus, libenter obviamus ac eosdem Ludovicum et Luisam specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis etc. Preterquam premissorum occasione etc. censentes huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae per presentes mandamus, quatinus deposita omni spe cuiuscumque muneris aut premii, etiam sponte oblati, dictam Luisam et quatinus de fornicatione predicta conscius fuerit etiam dictum Ludovicum ab excommunicationis sententia quam propter premissa incurrerunt imposita tamen ipsis propter incestum et excessibus huiusmodi arbitrio tuo penitentia salutari in utroque foro auctoritate nostra absolvas ac cum eisdem quod impedimento secundi gradus affinitatis in linea aequali ex fornicatione huiusmodi proveniente ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque non obstantibus matrimonium inter se publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite valeant eadem auctoritate dispenses, prolem susceptam si qua sit et suscipiendam exinde legitimam decernentes. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die V maii 1586, anno secundo [1].

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 38r.

456

Super gregem dominicum

Sec. Cam. 70 fol. 245r-246v — die 15 maii 1586

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione Conceptionis Beatae Mariae Virginis in ecclesia sanctae Mariae Purificationis domus Fratrum Minorum de Observantia civitatis Sanctae Fidei Novi Regni Granatensis instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem. Super gregem dominicum vigilantie nostre divinitus creditum prout nobis ex alto conceditur pervigilis pastoris officium exercentes fideles singulos gregis eiusdem presertim viam Altissimi sub certa fraternitatis norma perquirentes ad pia et meritoria opera exercenda spiritualibus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus libenter invitamus ut per eorumdem operum exercitium eterne beatitudinis gaudia valeant feliciter adipisci. Cum itaque sicut accepimus in capella Conceptionis beate Marie virginis sita in ecclesia Sancte Marie Purificationis domus fratrum minorum de observantia civitatis Sancte Fidei in Indiis novi regni Granatensis una utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione eiusdem Conceptionis beate Marie virginis ad Dei omnipotentis laudem et fidei in illis partibus propagationem animarum quoque salutem et proximi subventionem canonice non tamen pro hominibus unius specialis artis instituta existat, cuius dilecti filii confratres quam plurima charitatis et misericordie opera exercere consueverunt, nos cupientes ut ipsi ac pro tempore existentes eiusdem confraternitatis confratres in huiusmodi piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea imposterum exercenda necnon alii christifideles ad dictam confraternitatem ingrediendam peramplius invitentur dictaque ecclesia in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus ac dicta confraternitas ad quam dilectus filius Stephanus de Assentio [1] frater dicti ordinis in provincia Sancte Fidei custos, qui ex illis partibus ad Romanam Curiam personaliter accessit singularem gerit devotionis affectum in dies numerosior evadat ipsique christifideles ad ecclesiam predictam seu capellam et altare eiusdem confraternitatis eo libentius devotionis causa confluant quo ex hoc dono coelestis gratie conspexerint se uberius esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur die primi illorum ingressus si Sanctissi-

[1] Stephanus de Assentio (Esteban Asensio) oriundus in provincia *Navarra*, Ordini Fratrum Minorum Sancti Francisci nomen dedit, 14 annis vitae religiosae peractis in Indias Occidentales se contulit, in *Columbia* evangelizavit, anno 1585 scripsit «Memorial de la Provincia del Nuevo Reino de Granada de la Orden de San Francisco». *Ybot León*, II 268, 453, passim.

mum Eucharistie Sacramentum sumpserint; necnon tam ipsis quam ad presens existentibus ipsius confraternitatis confratribus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus aut aliquod poenitentie signum facientibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus et elargimur. Preterea ipsis confratribus ac aliis utriusque sexus christifidelibus etiam vere penitentibus et confessis qui ecclesiam seu capellam ac altare dicte confraternitatis in Conceptionis eiusdem beate Marie virginis ac Sancti Stephani prothomartiris diebus a primis vesperis usque ad occasum solis singulorum dierum festivitatum huiusmodi annis singulis devote visitaverint et inibi pro infidelium conversione, Sancteque Matris [Ecclesie] exaltatione et inter principes christianos fovenda pace aliquas ad Deum preces effuderint quibus diebus festivitatum huiusmodi id fecerint si Sanctissimum Sacramentum predictum sumpserint septem annos et totidem quadragenas; necnon eisdem confratribus qui similiter vere poenitentes et confessi ac refecti Eucharistie Sacramento huiusmodi ecclesiam seu capellam ac altare huiusmodi in Sancti Barnabe apostoli et visitationis ac presentationis necnon expectationis beate Marie virginis festivitatibus ultra festum Paschatis Resurrectionis Dominice visitaverint et ut supra oraverint alios septem annos et totidem quadragenas. Postremo eisdem confratribus quoties divinis officiis in eadem ecclesia vel capella seu oratorio dicte confraternitatis more confratrum celebrandis aut congregationibus publicis vel secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint vel alio casu prestiterint auxilium, consilium vel favorem aut ipsum Sanctissimum Sacramentum dum ad aliquem infirmum defertur associaverint vel qui hoc facere impediti campane ad id signo dato genuflexi semel orationem dominicam pro eodem infirmo recitaverint aut processionibus ordinariis et extraordinariis tam predicte confraternitatis quam aliis quibuscumque de licentia ordinarii celebrandis ac sepeliendis mortuis officiose interfuerint vel infirmos consolati fuerint in eorum adversitatibus, seu pauperes peregrinos hospitio exceperint ac elemosinis et officiis adiuverint aut pacem cum inimicis composuerint vel quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro animabus confratrum dicte confraternitatis defunctorum in ecclesia seu capella predicta recitaverint aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint et ignorantes Dei precepta et que ad salutem sunt docuerint seu quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint toties pro quolibet premissorum piorum operum sexaginta dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus,

quoad non confratres ecclesiam seu capellam vel altare huiusmodi ut prefertur visitantes ad viginti annos, quo vero ad alios premissa peragentes perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod si confratribus vel aliis christifidelibus predictis ratione premissorum vel alias aliqua alia indulgentia imperpetuum vel ad certum nondum elapsum tempus duratura per nos concessa fuerit presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo septimo [1], idibus maii, pontificatus nostri anno secundo.

[1] Id est sexto, quia anno secundo.

457

De salute gregis dominici

Sec. Cam. 70 fol. 387rv — die 30 iunii 1586

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione sancti Antonii in ecclesia parochiali sancti Marcelli Civitatis Regum (*Lima*) pro mauris seu nigris tam captivis quam liberis, atque mulatis seu criollis instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis christifidelibus etc. salutem etc. De salute gregis dominici etc. pervenire mereantur. Cum itaque sicut accepimus ad altare Sancti Antonii situm in parrocchiali ecclesia Sancti Marcelli civitatis Regum diocesis provinciarum del Perù in Indiis Occidentalibus una pia utriusque sexus christifidelium maurorum seu nigrorum tam captivorum quam liberorum et aliorum in eisdem partibus natorum seu ortorum a dictis nigris ac hispanis vel inde vulgariter mulatos seu

cambargos ac generaliter criollos nuncupatorum et ab illis descendentium confraternitas sub invocatione eiusdem Sancti Antonii ad Dei omnipotentis laudem et animarum salutem canonice instituta existat, cuius dilecti filii confratres diversa pietatis et misericordie opera exercere consueverint, nos cupientes ut ipsi confratres in huiusmodi piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea imposterum exercenda necnon ipsi christifideles ad dictam confraternitatem ingrediendam peramplius invitentur ac ad dictum altare devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur die prima illorum ingressus si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint ac tam ipsis quam ad presens existentibus ipsius confraternitatis confratribus predictis etiam vere penitentibus et confessis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus, necnon tam confratribus quam aliis dicti sexus christifidelibus predictis similiter vere penitentibus et confessis qui ecclesiam et altare huiusmodi in die dominica festum eiusdem Sancti Antonii immediate sequenti a primis vesperis usque ad occasum solis diei dominice huiusmodi inclusive annis singulis devote visitaverint et inibi pro exaltatione Sancte Matris Ecclesie, heresum extirpatione et inter principes christianos facienda pace pias ad Deum preces effuderint qua die dominica huiusmodi id fecerint si eadem die predictum Sacramentum etiam sumpserint septem annos et totidem quadragenas. Preterea eisdem confratribus qui pariter vere penitentes et confessi ac sacra communione refecti ecclesiam et altare huiusmodi in nativitatis Domini nostri Iesu Christi ac annunciationis et assumptionis beate Marie necnon omnium sanctorum festivitatibus visitaverint et ut supra oraverint alios septem annos et totidem quadragenas; postremo eisdem confratribus quoties divinis officiis in eadem ecclesia seu oratorio ipsius confraternitatis more confratrum celebrandis aut congregationibus publicis vel secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint vel alio casu prestiterint auxilium, consilium vel favorem vel ipsum Sacramentum dum ad aliquem infirmum defertur associaverint aut qui hoc facere impediti campane ad id signo dato genuflexi semel orationem dominicam pro eodem infirmo recitaverint aut processionibus ordinariis et extraordinariis tam predicte confraternitatis quam aliis de licentia ordinarii celebrandis ac sepeliendis mortuis officiose interfuerint aut eosdem infirmos adiuverint vel conso-

lati fuerint in eorum adversitatibus seu pauperes peregrinos hospitio exceperint ac elemosinis et officiis adiuverint aut pacem cum inimicis composuerint seu quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro animabus confratrum dicte confraternitatis defunctorum in dicta ecclesia devote recitaverint toties pro quolibet premissorum piorum operum sexaginta dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis auctoritate et tenore predictis misericorditer in Domino relaxamus presentibus quoad relaxationem septem annorum et totidem quadragenarum, pro christifidelibus non confratribus ecclesiam et altare huiusmodi ut prefertur visitantibus ad decennium tantum, quo vero ad reliqua premissa perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus quod si confratribus et aliis christifidelibus predictis ratione premissorum vel alias aliqua alia etc. vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno etc. 1586, pridie kalendas iulii, pontificatus nostri anno secundo.

458

Ad praeclaras res

Sec. Brev. 120 fol. 99r — die 5 iulii 1586

LICENTIA PRO MISSA DOMI CELEBRANDA

Archiepiscopo civitatis *México* facultas conceditur, ut auctoritate pontificia missam celebrari faciat in domo Gonzali Sanez de Zerbantes propter praeclaras res gestas genitoris eius.

Sixtus V

Venerabili fratri Archiepiscopo Mexican.[1]

Venerabilis frater salutem etc. Ad preclaras res gestas genitoris dilecti filii Gonzali Sanez de Zerbantes laici Mexican. debitum respectum habentes illa eidem Gonzalo libenter concedi permittimus que ex devotionis fervore prodire noscuntur. Cum itaque sicuti ipse Gonzalus exponi nobis nuper fecit adsit quedam capella in loco decenti et honesto domus sue et in ea missas celebrari desideret, nos de premissis certam notitiam non habentes ac supplicationibus dicti Gonzali hac in parte inclinati fraternitati tuae per presentes committimus et mandamus quatinus si est ita ut super quo tuam instantiam [...] eidem Gonzalo, ut per quemvis sacerdotem idoneum et a dicto ordinario approbatum secularem et cuiusvis ordinis regularem missas in dicta capella per te visitanda in dicti Gonzali et familiarum ac domesticorum suorum presentia celebrari facere libere et licite valeat, ita quod id nec Gonzalo nec sacerdoti huiusmodi taliter celebranti queat ad culpam imputari licentiam et facultatem auctoritate nostra concedas. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die V iulii 1586, anno secundo.

---

[1] Archiepiscopus Ecclesiae Mexicanensis erat Petrus Moya de Contreras.

459

Constantis fidei ac sincerae devotionis

Sec. Brev. 120 fol. 513rv — die 18 iulii 1586

CONFIRMATIO LITTERARUM GREGORII XIII

Quibus Sebastiano de Ocando OFM, episcopo Sanctae Marthae, indultum concessum fuerat, quatuor fratres Ordinis Sancti Francisci de Observantia, cuius Ordinis ipse episcopus professus est, eligendi, assumendi et retinendi.

Sixtus V

Venerabili fratri Sebastiano episcopo Sanctae Marthae [1] in partibus Indiarum del Perù.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem. Constantis fidei ac sincerae devotionis affectus quo nos et Romanam prosequeris Ecclesiam promerentur ut illa confirmemus et approbemus quae tuis exigentibus meritis per Romanum Pontificem praedecessorem nostrum tibi ex speciali indulto concessa fuerunt. Siquidem exponi nobis nuper fecisti quod tibi qui ordinis fratrum minorum de observantia professus existis, quique etiam tunc ecclesiae Sanctae Marthae partium Indiarum del Perù ex dispositione Apostolica praeeras per felicis recordationis Gregorium Papam XIII praedecessorem nostrum (ut asseris) indultum fuit quod possis et tibi liceat retinere apud te quatuor fratres ordinis prefati ad nutum tuum eligendos et assumendos. Et propterea nobis humiliter supplicasti ut huiusmodi indulto pro illius firmiori subsistentia robur confirmationis Apostolicae aliasque tibi providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hac in parte tuis supplicationibus inclinati indultum praefatum a dicto praedecessore tibi concessum ita ut illo libere uti possis Apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis firmitatis robur adiicimus, tibi insuper qui etiam ad id (ut etiam asseris) licentiam et facultatem a ministro generali ipsius ordinis reportavisti quod apud te et tuam ecclesiam Sanctae Marthae quandiu illi praefueris quatuor fratres ordinis predicti fratrum minorum de observantia ad nutum tuum eligendos et assumendos retinere et habere possis et valeas de novo etiam quatenus opus sit concedimus et indulgemus. Et propterea te ac etiam fratres predictos sic per te quandocumque eligendos et assumendos et sic apud te pro tempore remanentes occasione huiusmodi indulti seu praetextu apostasiae per eiusdem ordinis ministrum generalem nunc et pro tempore existentem seu quoscumque alios quavis auctoritate fungentes molestari, inquietari, impediri vel perturbari non posse nec debere, irritumque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari decernimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac ordinis predicti etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et

[1] Episcopus Ecclesiae Sanctae Marthae erat Sebastianus de Ocando, OFM (1579-1619). *Egaña* 471-473.

consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII iulii MDLXXXVI, Pontificatus nostri anno secundo.

460

Romanus Pontifex

Sec. Cam. 70 fol. 373rv die 1 augusti 1586

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione sancti Iacobi *de los Cavalleros* in ecclesia domus sancti Augustini Ordinis Fratrum Eremitarum eiusdem Sancti Augustini in civitate *Tunja* dioecesis Sanctae Fidei de *Bogota* instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis christifidelibus etc. salutem etc. Romanus Pontifex cui per beatum Petrum etc. redduntur aptiores. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia domus Sancti Augustini oppidi civitatis nuncupati de Tunja ordinis fratrum heremitarum eiusdem Sancti Augustini Sancte Fidei de Bogotà diocesis Indiarum Occidentalium una christifidelium confraternitas sub invocatione Sancti Iacobi de los Cavalleros nuncupati ad omnipotentis Dei laudem et animarum christifidelium salutem canonice instituta existat et dilecti filii illius confratres inibi plura pietatis opera exercere consueverint ut igitur ipsi confratres in huiusmodi pietatis exercitiis magis confoveantur et ad ea imposterum exercenda necnon alii christifideles ad ingrediendam dictam confraternitatem, ad quam sicuti etiam accepimus dilectus filius Gabriel de Saona [1] profes-

[1] Gabriel de Saona cum fratre suo Gaspar Ordini Fratrum Sancti Augustini nomen dedit, anno 1569 in *Perú* venit, anno 1579 provincialis provinciae sui Ordinis electus est. *Ybot León,* II 785 et passim.

sor dicti ordinis singularem gerit devotionis affectum peramplius invitentur et ad ipsius confraternitatis capellam, altare seu oratorium eo libentius devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie conspexerint se uberius esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui in confratres dicte confraternitatis de cetero admittentur seu recipientur die prime illorum admissionis seu receptionis huiusmodi ac tam ad presens iam admissis quam de cetero admittendis in confratres eiusdem confraternitatis etiam vere penitentibus et confessis in mortis articulo cuiuslibet eorum nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate Apostolica tenore presentium elargimur. Preterea ipsis confratribus quoties divinis officiis seu aliis orationibus in capella seu oratorio dicte confraternitatis celebrandis seu recitandis aut publicis vel privatis congregationibus ipsius vel ex instituto dicte confraternitatis cuivis alio pio operi exercendo interfuerint vel aliquo alio casu eidem confraternitati auxilium, consilium vel favorem prestiterint aut Sanctissimum Sacramentum etiam quando ad infirmos defertur associaverint seu si associare non potuerint ad sonum campane genu flexo semel orationem dominicam pro salute infirmi devote recitaverint vel processionibus ordinariis aut extraordinariis tam dicte confraternitatis quam aliis de ordinarii licentia faciendis interfuerint seu corpora defunctorum ad sepulturam ecclesiasticam associaverint aut quosvis alios christifideles adiuverint vel consolati fuerint in eorum adversitatibus seu pauperes peregrinos hospitio charitative exceperint aut elèmosinis vel aliis blandis officiis adiuverint seu pacem cum inimicis composuerint aut aliquas orationes pro salute animarum christifidelium confratrum seu benefactorum dicte confraternitatis pro tempore defunctorum devote ad Deum effuderint quoties id fecerint septem annos et totidem quadragenas; necnon tam ipsis confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui capellam seu oratorium dicte confraternitatis in festo Sancti Iacobi apostoli de mense iulii a primis vesperis usque ad occasum solis diei festi singulis annis devote visitaverint et inibi pro Sancte Romane Ecclesie ac Romani pontificis felici statu et exaltatione necnon Indorum conversione, sancteque fidei propagatione aut alias prout unicuique suggeret devotio pias ad Deum preces fuderint festo predicto quo id fecerint si non fuerint ex Indis quibus Sanctissime Eucharistie usus nondum est concessus et dictum Sanctissimum Sacramentum sumpserint alios septem annos et totidem quadragenas. Postremo eisdem confratribus et quibusvis aliis christifidelibus

pariter vere penitentibus et confessis qui capellam, altare seu oratorium huiusmodi in Sancti Hieronimi ac Sancte Catherine et Sancti Blasii necnon Sanctorum Iacobi et Philippi festivitatibus visitaverint vel orationem quadraginta horarum dictis festivitatibus inibi fecerint centum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad christifideles non confratres dicte confraternitatis capellam seu oratorium huiusmodi in dicto festo Sancti Iacobi apostoli ut supra visitantes ad viginti annos a die presentationis earumdem presentium in dicta ecclesia faciende computandos quoad alios vero singula premissa peragentes perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis christifidelibus predictis etc. vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Marcum, Anno etc. 1586, kalendis augusti, pontificatus nostri anno secundo.

461

Reddituri de commisso

Sec. Cam. 70 fol. 374rv — die 1 augusti 1586

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione sancti Nicolai de Tolentino in ecclesia domus sancti Augustini Ordinis Fratrum Eremitarum eiusdem sancti Augustini in civitate *Quito* instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis christifidelibus etc. salutem etc. Reddituri de commisso etc. evadere ultionem. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia domus Sancti Augustini Quitensis Indiarum Occidentalium ordinis fratrum heremitarum eiusdem Sancti Augustini una christifidelium confraternitas sub invocatione Sancti Nicolai de Tolentino ad omnipotentis Dei laudem et animarum christifidelium salutem canonice non tamen pro

hominibus unius specialis artis instituta sit ac dilecti filii illius confratres inibi plura pietatis opera exercere consueverint, ut igitur ipsi confratres in huiusmodi pietatis exercitiis magis confoveantur et ad ea imposterum exercenda necnon alii christifideles ad ingrediendam dictam confraternitatem ad quam sicut etiam accepimus dilectus filius Gabriel de Saona dicti ordinis professor singularem gerit devotionis affectum peramplius invitentur et ad ipsius confraternitatis capellam seu altare vel oratorium devotionis causa eo libentius confluant quo ex hoc dono celestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui in confratres dicte confraternitatis de cetero admittentur seu recipientur die prime illorum admissionis seu receptionis huiusmodi ac tam ad presens admissis quam de cetero admittendis in dicte confraternitatis confratres etiam vere penitentibus et confessis in articulo mortis cuiuslibet eorum nomen Iesu corde, si ore non potuerint, invocantibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium elargimur. Preterea dictis confratribus quoties divinis officiis seu aliis piis orationibus in capella seu oratorio dicte confraternitatis celebrandis seu recitandis aut publicis vel privatis congregationibus ipsius vel intuitu dicte confraternitatis cuivis alio pio operi exercendo interfuerint aut aliquo alio casu dicte confraternitatis auxilium, consilium vel favorem prestiterint seu Sanctissimum Eucharistie Sacramentum etiam quando ad infirmos deferetur associaverint aut si associare non potuerint ad sonum campane genu flexo semel orationem dominicam pro salute infirmi devote recitaverint aut ipsi confratres processionibus ordinariis vel extraordinariis tam ipsius confraternitatis quam aliis de licentia ordinarii faciendis interfuerint vel corpora defunctorum ad sepulturam ecclesiasticam associaverint aut quosvis alios fideles adiuverint vel consolati fuerint in eorum adversitatibus seu pauperes peregrinos hospitio charitative exceperint ac elemosinis et aliis blandis officiis adiuverint vel pacem cum inimicis composuerint aut aliquas orationes pro salute animarum christifidelium confratrum seu benefactorum dicte confraternitatis pro tempore defunctorum devote ad Deum effuderint quoties id fecerint septem annos et totidem quadragenas; necnon tam ipsis confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui capellam seu oratorium dicte confraternitatis in festo omnium sanctorum a primis vesperis usque ad occasum solis diei festi singulis annis devote visitaverint et inibi pro Sancte Romane Ecclesie et Romani pontificis felici statu et exaltatione ac Indorum conversio-

ne, sancteque fidei propagatione et alias prout cuiuslibet devotio suggeret pias ad Deum preces devote effuderint festo predicto quo id fecerint si non fuerint ex Indis quibus Sanctissime Eucharistie usus nondum est concessus ac Sanctissimum Eucharistie Sacramentum predictum devote sumpserint alios septem annos et totidem quadragenas. Postremo eisdem confratribus et quibusvis aliis christifidelibus qui pariter vere penitentes et confessi capellam seu oratorium aut altare dicte confraternitatis in Sancte Lucie ac Sancti Mathie necnon Sanctorum Iacobi et Philippi ac Sancti Laurentii festivitatibus devote visitaverint vel orationem quadraginta horarum dictis festivitatibus fecerint centum dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad non confratres dicte confraternitatis capellam seu oratorium huiusmodi in dicto festo omnium sanctorum visitantes ad viginti annos a die presentationis earumdem presentium in dicta ecclesia faciende computandos, quo ad alios vero singula premissa peragentes perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis predictis christifidelibus etc. vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Marcum, Anno etc. 1586, kalendis augusti, pontificatus nostri anno secundo.

462

De salute gregis dominici

Sec. Brev. 130 fol. 100r-103r — die 3 augusti 1586

INDULGENTIAE PERPETUAE

Pro confraternitate Animarum Purgatorii in civitate Angelorum dioecesis *Tlaxcala.*

Sixtus V

Universis etc. De salute gregis dominici curae nostrae, meritis licet imparibus divina dispositione commissi sollicitis studiis cogitantes,

fideles singulos, quorum merita pro demeritis sunt imparia ad devotionis sinceritatem et piorum operum exercitium spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus libenter invitamus ut exinde reddantur divinae gratiae aptiores. Cum itaque sicut accepimus nonnulli ex hominibus et christifidelibus oppidi civitatis nuncupati Angelorum Taxcalan. diocesis in Indiis maris Oceani de salute animarum suarum, ac illis fidelium animabus, quae Christo Domino nostro in charitate coniunctae ab hac luce decesserunt et Purgatorii poenis cruciantur recogitantes et desiderantes aliquid statuere per quod et ipsae animae refrigerium sentiant, et saluti suae consulant caeperunt, sive iam proposuerunt in unum pro exercendis piis operibus congregati et convenire atque ut id facilius prestent unam utriusque sexus christifidelium confraternitatem Animarum de Purgatorio nuncupatam seu nuncupandam in dicto oppido ordinaria auctoritate erigi curarunt, seu ut erigatur procurare intendunt. Verum ut confraternitas ipsa numero augeatur et decoretur, ac alias foeliciter dirigatur, necnon dilecti filii illius confratres, qui inter coetera pia opera et exercitia unam missam de requiem cantatam qualibet feria secunda cuiuslibet hebdomadae pro eisdem animabus, quae in Purgatorio detinentur celebrari facere, illique intervenire intendunt in huiusmodi aliorumque piorum operum exercitio confoveantur et ad ea magis inducantur, ipsique christifideles ecclesiam seu capellam dictae confraternitatis eo libentius visitare meminerint, quo exinde maiora coelestis gratiae dona se cognoverint adepturis. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt confratres sive homines predicti quatinus in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur coelestibus Ecclesiae thesauris paterna charitate intenti illos in suo laudabile proposito confovere, specialibusque favoribus et gratiis prosequi volentes huiusmodi supplicationibus inclinati omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis confraternitatem ipsam iam forsan ingressis et qui illam de caetero ingredientur die prima eorum ingressus si Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, ac ipsis etiam vere poenitentibus et confessis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum etc. perpetuo Apostolica auctoritate, tenore presentium concedimus. Praeterea ipsis confratribus quoties divinis officiis in eadem capella seu oratorio more confratrum celebrandis aut congregationibus publicis vel secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint, vel alio casu auxilium, consilium vel favorem praestiterint, aut Sanctissimum Sacramentum dum ad infirmum defertur associaverint, seu qui ad hoc faciendum impediti, campanae ad id signo dato genibus flexis semel

orationem dominicam pro eodem infirmo recitaverint, processionibus ordinariis et extraordinariis dictae confraternitatis, et sepeliendis mortuis officiose interfuerint, infirmos quoque in eorum adversitatibus consolati fuerint pauperes peregrinos hospitio exceperint aut pacem cum inimicis composuerint, vel quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro animabus confratrum dictae confraternitatis defunctorum in dicta ecclesia recitaverint, demum aliquem ad viam salutis reduxerint, ignorantes Dei praecepta et quae ad salutem sunt docuerint, aliudve charitatis aut pietatis opus exercuerint toties centum dies de iniunctis etc. misericorditer in Domino relaxamus. Et insuper tam ipsis confratribus, quam aliis utriusque sexus christifidelibus etiam vere poenitentibus et confessis qui in festo Assumptionis beatae Mariae a primis vesperis et ibi etc. quoad confratres qui eo die Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint perpetuo, quo vero ad alios non confratres, si eodem die etiam Sanctissimo Sacramento predicto refecti fuerint ad XXti annos a die publicationis presentium ibi faciendae inchoandos tantum septem annos et totidem quadraginas de iniunctis pariter, ut supra relaxamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. die III augusti 1586, anno secundo [1].

---

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 102r.

463

Licet is de cuius munere

Sec. Brev. 121 fol. 85r-86r; 122 fol. 237r-238v — die 5 augusti 1586

INDULGENTIAE PERPETUAE

Pro ecclesiis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini in Indiis Occidentalibus.

Sixtus V

Universis christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem etc. Licet is de cuius munere venit ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de abundantia suae pietatis, quae merita supplicum excedit et vota bene servientibus multo maiora tribuat, quod valeant promoreri, nihilominus nos pro pastoralis officii debito summis desideramus affectibus, fideles ipsos praesertim noviter ad fidem conversos, ut quasi novellae plantationes in bonis et meritoriis operibus assuescentes per frequens illorum exercitium Domino cooperante fructum benedictionis rore conspersum producere et tandem post huius vitae cursum ad coelestem patriam facilius convolare mereantur. Cupientes igitur ut ecclesiae domorum ordinis fratrum haeremitarum Sancti Augustini in partibus Indiarum Occidentalium existentium congruis frequententur honoribus et in debita veneratione habeantur et a christifidelibus iugiter venerentur, ipsique christifideles etiam noviter ad fidem conversi eo libentius ad ecclesias predictas devotionis causa confluant, quo exinde maioribus spiritualibus donis se refectos fore conspexerint, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis tam Indis, quam aliis utriusque sexus christifidelibus, qui aliquam ex dictis ecclesiis in qualibet ex festivitatibus beatae Mariae virginis seu Sancti Augustini aut aliorum dicti ordinis sanctorum et sanctarum, vel Sancti Lazari seu Sancti Michaelis archangeli devote visitaverint et ibi pro Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, fidei catholicae propagatione et noviter ad fidem conversorum in dicta fide constantia pias ad Deum preces effuderint illis ex christianis veteribus si vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, iis vero ex Indis noviter ad fidem conversis, quibus Sanctissimi Eucharistiae sacramenti usus non conceditur, si etiam vere poenitentes et confessi tamen fuerint indulgentiam viginti annorum et totidem quadragenarum et insuper predictis etiam utriusque sexus christifidelibus, qui in aliqua ex predictis ecclesiis celebrationibus missarum de Aguinaldo nuncupatarum quae in honorem virginitatis eiusdem beatae Mariae virginis per novem dies continuos ante festum nativitatis Domini nostri Iesu Christi in aurora in predictis ecclesiis annis singulis celebrari solent devote interfuerint et, ut praefertur, oraverint similem omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore praesentium in perpetuum concedimus et elargimur. Volumus autem quod si fidelibus predictis pro praemissis peragendis aut alias aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratu-

ra concessa fuerit praesentes literae nullius sint roboris vel momenti. Caeterum, quia difficile foret praesentes literas ad singula quaeque loca ubi illae necessariae fuerint deferre volumus et dicta auctoritate decernimus quod earumdem literarum transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo ipsius ordinis aut personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdem presentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. die 5 augusti 1586, anno secundo.

464

Salvatoris Domini nostri

Sec. Brev. 121 fol. 97rv; 122 fol. 260r-261r. die 5 augusti 1586

ALTARE PRIVILEGIATUM

Pro ecclesia Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini provinciae Sancti Michaelis in civitate *Quito*.

Sixtus V

Ad perpetuam rei memoriam. Salvatoris Domini nostri Iesu Christi qui, ut genus humanum primi parentis lapsu damnatum ab aeterna morte redimeret de sinu summi Patris ad haec mundi infima descendere et humanam carnem assumere, ac mortem acerbissimam subire dignatus est vices, licet immeriti gerentes in terris ad ea nostros dirigimus cogitatus, per quae fidelium defunctorum animae, quae alienis suffragiis indigere noscuntur divina cooperante clementia ad celestis regni gaudia quantocitius valeant pervenire. Nuper siquidem exponi nobis fecit dilectus filius frater Gabriel de Saona ordinis fra-

trum Heremitarum Sancti Augustini et provinciae Sancti Michaelis de Quito partium Indiarum Occidentalium dicti ordinis procurator generalis quod alias postquam in dictis partibus quam plurima provinciae, regna et loca catholicis armis debellata fuerant, tam dilectorum filiorum fratrum Haeremitarum Sancti Augustini, quam aliorum approbatorum ordinum religiosorum verbi Dei praedicatione et doctrina earumdem partium Indi catholicam fidem susceperunt et numerus fidelium inibi benedicente Domino quotidie augetur. Quare nos attendentes etiam christifidelium animarum in purgatorio existentium, qui sibi ipsis proficere non valent salutem eo potius procurare debere, quo magis aliorum egent suffragiis, ac volentes ipsis animabus quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migrarunt quantum cum Deo possumus paterno affectu succurrere, cupientesque ut ecclesia domus eorundem fratrum in civitate de Quito dictarum partium existens simili usque adhuc privilegio minime decorata hoc speciali dono illustretur auctoritate nobis a Domino tradita concedimus, ut quoties missa defunctorum ad altare per dilectos filios predictae domus priorem et conventum in dicta ecclesia designando ac deputando dummodo non sit altare maius ipsius ecclesiae celebrabitur pro anima alicuius ex christifidelibus praedefuncti suo vel alieno arbitrio eligenda ipsa de thesauro Ecclesiae indulgentiam consequatur, quatinus eiusdem Domini nostri Iesu Christi et beatissimae virginis Mariae ac beatorum Petri et Pauli apostolorum, aliorumque sanctorum omnium meritis suffragantibus a purgatorii poenis liberetur praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. die 5 augusti 1586, anno secundo.

465

Salvator noster

Sec. Cam. 70 fol. 385rv — die 7 augusti 1586

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione Beatae Mariae de Remediis in ecclesia domus sancti Augustini Ordinis Fratrum Eremitarum eiusdem sancti Augustini in civitate *Quito* instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis christifidelibus etc. salutem etc. Salvator noster Iesus Christus etc. feliciter adipisci. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia domus Sancti Augustini Quitensis Indiarum Occidentalium ordinis fratrum heremitarum eiusdem Sancti Augustini una christifidelium confraternitas sub invocatione beate Marie de Remediis nuncupate ad omnipotentis Dei laudem et animarum christifidelium salutem canonice instituta existat ac dilecti filii illius confratres inibi plura pietatis opera exercere consueverint, ut igitur ipsi confratres in huiusmodi pietatis exercitiis magis confoveantur et ad ea imposterum exercenda necnon alii christifideles ad ingrediendam dictam confraternitatem ad quam sicuti etiam accepimus dilectus filius Gabriel de Saona professor ordinis predicti singularem gerit devotionis affectum peramplius invitentur et ad ipsius confraternitatis capellam, altare seu oratorium devotionis causa eo libentius confluant quo ex hoc dono celestis gratie conspexerint se uberius esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui in dicte confraternitatis confratres de cetero admittentur seu recipientur die prime illorum admissionis seu receptionis huiusmodi ac tam ad presens admissis quam de cetero admittendis in confratres dicte confraternitatis etiam vere penitentibus et confessis in mortis articulo cuiuslibet eorum nomen Iesu corde si ore non potuerint invocantibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium elargimur. Preterea ipsis confratribus quoties divinis officiis seu aliis piis orationibus in capella seu oratorio dicte confraternitatis celebrandis seu recitandis aut publicis vel privatis congregationibus ipsius vel intuitu dicte confraternitatis cuivis alii pio opere exercendo interfuerint vel aliquo alio casu dicte confraternitatis auxilium, consilium vel favorem prestiterint aut Sanctissimum Eucharistie Sacramentum etiam quando ad infirmos defertur associaverint seu si associare non potuerint ad sonum campane genu flexo semel orationem dominicam pro salute infirmi devote recitaverint aut ipsi confratres processionibus ordinaris vel extraordinariis tam ipsius confraternitatis quam aliis de ordinarii licentia faciendis interfuerint vel corpora defunctorum ad ecclesiasticam sepulturam associaverint seu quosvis alios fideles adiuverint vel consolati fuerint in eorum adversitatibus aut pauperes peregrinos hospitio charitative exceperint ac elemosinis et aliis blandis officiis adiuverint seu pacem cum inimicis composuerint vel aliquas ora-

tiones pro salute animarum christifidelium confratrum seu benefactorum dicte confraternitatis pro tempore defunctorum devote ad Deum effuderint quoties id fecerint septem annos et totidem quadragenas; necnon tam ipsis confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui capellam seu oratorium dicte confraternitatis in festo purificationis beate Marie virginis a primis vesperis usque ad occasum solis dicti festi singulis annis devote visitaverint inibique pro Sancte Romane Ecclesie et Romani pontificis felici statu et exaltatione ac Indorum conversione, sancteque fidei propagatione et alias prout unicuique suggeret devotio pias ad Deum preces effuderint festo predicto quo id fecerint, si non fuerint ex Indis quibus Sanctissime Eucharistie usus nondum est concessus, ac Sanctissimum Sacramentum predictum devote sumpserint alios septem annos et totidem quadragenas. Postremo eisdem confratribus et quibusvis aliis christifidelibus qui pariter vere penitentes et confessi capellam seu oratorium aut altare dicte confraternitatis in Sancte Catherine et Sancti Antonii abbatis ac Sancti Barnabe necnon Sancti Bartholomei festivitatibus devote visitaverint vel orationem quadraginta horarum dictis festivitatibus inibi fecerint centum dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad non confratres dicte confraternitatis capellam seu oratorium huiusmodi in dicto festo purificationis visitantes ad viginti annos a die presentationis presentium earumdem in dicta ecclesia faciende computandos, quo ad alios vero singula premissa peragentes perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis christifidelibus etc. vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Marcum, Anno etc. 1586, septimo idus augusti, pontificatus nostri anno secundo.

466

Religionis zelus

Sec. Brev. 121 fol. 76rv; 122 fol. 218r-219r die 8 augusti 1586

FACULTAS EXTRAHENDI RELIQUIAS SANCTORUM EX ECCLESIIS URBIS ALIISQUE ECCLESIIS

Sixtus V

Dilecto filio fratri Gabrieli de Saona ordinis fratrum Heremitarum Sancti Augustini professori.

Dilecte fili salutem etc. Religionis zelus sinceraeque tuae pietatis studium, quibus ut infidelium animae omnipotenti Deo lucrifiant, christianaque respublica in dies propagetur continuo procurare non cessas, promerentur ut tuis votis praesertim quae erga sanctorum Dei reliquias prodire noscuntur quantum cum Deo possumus libenter annuamus. Exponi siquidem nobis nuper fecisti, quod tu, qui iam pluribus annis in partibus Indiarum Occidentalium residisti, ad easdem partes, Deo dante de tui superioris licentia ab eo procurator generalis provinciae Sancti Michaelis de Quito dictarum partium deputatus te iterum conferre intendis, ac pro maiori totius populi dictarum partium, qui noviter ad fidem conversi sunt spirituali consolatione nonnullas Sancti Longinis martyris et aliorum sanctorum Dei reliquias ex domu Sancti Augustini ordinis fratrum Heremitarum ipsius Sancti Augustini, et aliis Ecclesiis Urbis sive extra illius muros existentibus extrahere, illasque ad easdem partes transferre seu transferri et in aliquibus ecclesiis seu aliis religiosis locis collocare seu collocari facere summopere desideras si ad id nostra et Sedis Apostolicae licentia et facultas tibi suffragentur. Nos igitur tuo pio desiderio huiusmodi annuere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut

Sancti Longini martyris et aliorum sanctorum reliquias ex Sancti Augustini et aliis tam secularibus quam aliorum ordinum regularibus ecclesiis, ac etiam monasteriis et aliis regularibus locis, in quibus consistunt et reconditae sunt in dicta Urbe sive extra illius muros existentibus de illarum praesidentium superiorum seu rectorum consensu extrahere seu extrahi et tibi consignari illasque ad easdem partes, illarumque loca transportare seu transportari et in ecclesiis seu religiosis locis tibi benevisis decenter collocari et recondi facere libere et licite valeas Apostolica auctoritate tenore presentium indulgemus, tibique et praesidentibus, superioribus seu rectoribus predictis ad id licentiam et facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac ecclesiarum, monasteriorum et aliorum regularium locorum ex quibus dictae reliquiae, ut praefertur, extrahentur etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die 8 augusti 1586, anno secundo.

467

Consuevit Sedis Apostolicae

Sec. Brev. 121 fol. 71r-73v; 122 fol. 206r-209r — die 9 augusti 1586

LICENTIA ELIGENDI SEPULTURAM IN ECCLESIIS ORDINIS FRATRUM EREMITARUM SANCTI AUGUSTINI

Pro Indis aliisque christifidelibus, contra vetitum Ordinariorum loci, absque maiori dispendio.

Sixtus V

Ad perpetuam rei memoriam. Consuevit Sedis Apostolicae circumspecta benignitas personarum quarumlibet praesertim religiosarum piis operibus deditarum, eiusdemque fidei propagationem procu-

rantium iustis desideriis annuere et vota per que ipsorum commoditatibus, sublatis scandalis et periculis quibuscumque contulitur libenter exaudire. Sane pro parte dilectorum filiorum priorum et conventuum domorum ordinis fratrum heremitarum Sancti Augustini in partibus Indiarum Occidentalium consistentium nobis exhibita petitio continebat, quod cum multi ex Indis noviter ad fidem conversis et aliis fidelibus in illis partibus commorantibus pia erga dictum ordinem eiusque Ecclesias devotione ducti, eorum ecclesiasticas sepulturas in aliqua ex domorum ipsius ordinis ecclesiis iam elegerint et alii in futurum eligere intendant, ipsarumque partium locorum ordinarii illos impedire, ac ut defunctorum corpora in Ecclesiis secularibus soluta ratione sepulturae et pompae funeralis certa pecuniarum summa sepeliantur, ipsorum defunctorum heredes seu testamentorum executores cogere et compellere non cessent, unde si in aliqua ex Ecclesiis domorum huiusmodi sepeliuntur duplicem et maiorem impensam solvere coguntur, qui si in aliis secularibus Ecclesiis earumdem partium sepelirentur in maxima eorumdem noviter ad fidem conversorum, aliorumque in illis partibus comorantium devotionis diminutionem. Quare ipsi priores et conventuum huiusmodi fratres nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus ad obviandum incommoditatibus et scandalis predictis, ac etiam ut noviter ad fidem conversorum et aliorum dictarum partium fidelium devotio non perturbetur, sed ipsi ecclesiasticam sepulturam in aliqua ex Ecclesiis domorum huiusmodi libere et absque maiori dispendio eligere possint concedere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes quanta in vinea Domini fructuosa opera dicti ordinis fratres in eisdem partibus verbo et exemplo attulerint ac volentes eosdem ad fidem conversos et alios predictos in eorum pia devotione huiusmodi confirmare, priores ac conventuum huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod ex nunc de caetero perpetuis futuris temporibus predicti Indi ad fidem conversi et alii fideles in dictis partibus commorantes ecclesiasticas sepulturas in aliqua ex Ecclesiis domorum huiusmodi tam pro se quam suis filiis haeredibus et successoribus quibuscumque etiamsi ante pubertatem vel in puerili et etiam infantili aetate vel ab intestato, ac etiam ante, vel post suorum parentum obitum decedant in perpetuum eligere, eorumque ac filiorum, haeredum et successorum praedictorum corpora in illis etiam electis sepulturis huiusmodi sepeliri facere et mandare, ipsosque priores et fratres illos in eorum Ecclesiis huiusmodi, ut praefertur, sepelire salvo tamen iure sepulturae illorum parrochiali Ecclesiae debito, ac si in illa sepelirentur libere et licite valeant cuiusvis licentia desuper minime requisita,

Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo statuimus et ordinamus, districtius inhibentes venerabilibus fratribus dictarum partium archiepiscopis, episcopis et aliis locorum ordinariis, ac dilectis filiis parrochialium Ecclesiarum rectoribus ne priores et conventuum huiusmodi fratres, ac ad fidem conversos et alios fideles predictos eorumque filios, haeredes, successores et testamentorum executores, ut quorumcumque defunctorum etiam puerorum corpora in Ecclesiis secularibus sepeliantur cogere aut compellere, nec illos super praemissis molestare, perturbare aut impedire, ac ab illis aliquid ultra quod eis iure sepulturae, ut praefertur, competit et debet exigere quoquo modo audeant seu praesumant. Decernentes presentes literas ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari vel impugnari minime posse, sed semper validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri, eisdemque prioribus fratribus ad fidem conversis et aliis predictis sepulturas, ut praefertur, eligere volentibus perpetuo suffragari, sicque ab omnibus censeri et ita per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et diffiniri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis universis et singulis in dicta Ecclesia constitutis tam secularibus quam quorumvis ordinum etiam mendicantium regularibus personis in illis partibus nunc et pro tempore commorantibus per presentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per te vel alium seu alios presentes literas et in eis contenta quaecumque ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte priorum fratrum et ad fidem conversorum, ac aliorum fidelium praedictorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant praemissa omnia per eos ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter perpetuo observari, non permittentes priores fratres ad fidem conversos et alios praedictos super praemissis per quoscumque quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas praedictas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus praemissis ac felicis recordationis Bonificii Papae VIII praedecessoris nostri de una et concilii generalis de duabus dietis, dummodo non ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non traha-

tur, aliisque Apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus ac ecclesiarum tam domorum quam secularium praedictarum etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum quia difficile foret praesentes literas ad singula loca ubi illae necessariae fuerint deferre volumus et dicta auctoritate decernimus quod earumdem literarum transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo ipsius ordinis aut personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die 9 augusti 1586, anno secundo.

468

De salute gregis dominici

Sec. Cam. 70 fol. 384rv — die 13 augusti 1586

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione sancti Nicolai de Tolentino in ecclesia domus sancti Nicolai de Tolentino Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini in oppido *Riobamba* instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis christifidelibus etc. salutem etc. De salute gregis dominici etc. pervenire mereantur. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia domus Sancti Nicolai de Tolentino oppidi de Riobamba ordinis fratrum heremitarum Sancti Augustini Quitensis diocesis Indiarum Occidentalium una christifidelium confraternitas sub invocatione eiusdem Sancti Nicolai de Tolentino ad omnipotentis Dei laudem et animarum christifidelium salutem canonice instituta sit ac dilecti filii illius confratres inibi plura pietatis officia exercere consueverint ut igitur ipsi confratres in huiusmodi pietatis exercitiis magis confoveantur ac ad ea imposterum exercenda necnon alii christifideles ad ingrediendam dictam confraternitatem ad quam sicuti etiam accepimus dilectus filius Gabriel de Saona professor dicti ordinis singularem gerit devotionis affectum peramplius invitentur ac ad ipsius confraternitatis capellam, altare seu oratorium devotionis causa eo libentius confluant quo ex hoc dono celestis gratie conspexerint se uberius esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui in dicte confraternitatis confratres de cetero admittentur seu recipientur die prime illorum admissionis seu receptionis huiusmodi, ac tam admissis quam de cetero admittendis in confratres dicte confraternitatis etiam vere penitentibus et confessis in articulo mortis cuiuslibet eorum nomen Iesu corde, si ore non potuerint, invocantibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium elargimur. Preterea ipsis confratribus quoties divinis officiis seu aliis piis orationibus in capella seu oratorio dicte confraternitatis celebrandis seu recitandis aut publicis vel privatis congregationibus ipsius vel intuitu dicte confraternitatis cuivis alio pio operi exercendo interfuerint aut aliquo alio casu dicte confraternitatis auxilium, consilium vel favorem prestiterint seu Sanctissimum Eucharistie Sacramentum etiam quando ad infirmos defertur associaverint aut si associare non potuerint ad sonum campane genu flexo semel orationem dominicam pro salute infirmi devote recitaverint seu processionibus ordinariis vel extraordinariis tam dicte confraternitatis quam aliis de ordinarii licentia faciendis interfuerint vel corpora defunctorum ad ecclesiasticam sepulturam associaverint seu quosvis alios fideles adiuverint vel consolati fuerint in earum adversitatibus aut pauperes peregrinos hospitio charitative exceperint ac elemosinis et aliis blandis officiis adiuverint seu pacem cum inimicis composuerint vel aliquas oratio-

nes pro salute animarum christifidelium confratrum seu benefactorum dicte confraternitatis pro tempore defunctorum devote ad Deum effuderint quoties id fecerint septem annos et totidem quadragenas; necnon tam ipsis confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui capellam seu oratorium huiusmodi in festo assumptionis beate Marie virginis a primis vesperis usque ad occasum solis dicti festi singulis annis devote visitaverint et pias inibi preces ad Deum pro Sancte Romane Ecclesie et Romani pontificis felici statu et exaltatione ac Indorum conversione, sancteque fidei propagatione et alias prout unicuique suggeret devotio pias ad Deum preces devote effuderint festo predicto quo id fecerint, si non fuerint ex Indis quibus Sanctissime Eucharistie usus nondum est concessus et dictum Sanctissimum Sacramentum Eucharistie ut prefertur sumpserint alios septem annos et totidem quadragenas; postremo confratribus predictis et quibusvis aliis christifidelibus qui pariter vere penitentes et confessi capellam, altare seu oratorium huiusmodi in Sancte Lucie ac Sancti Mathie necnon Sanctorum Iacobi et Philippi ac Sancti Laurentii martiris festivitatibus devote visitaverint vel orationem quadraginta horarum dictis festivitatibus inibi fecerint centum dies de eis iniunctis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad non confratres dicte confraternitatis capellam seu oratorium huiusmodi dicto festo assumptionis visitantes ad viginti annos a die presentationis earumdem presentium in dicta ecclesia faciende computandos, quo ad alios vero singula premissa peragentes perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis christifidelibus predictis etc. vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Marcum, Anno etc. 1586, idibus augusti, pontificatus nostri anno secundo.

469

Salutem cunctarum animarum

Sec. Cam. 70 fol. 508rv die 16 augusti 1586

INDULGENTIA PLENARIA

Pro christifidelibus qui sibi ecclesiasticam sepulturam in ecclesiis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini hactenus in Indiis Occidentalibus erectis et in futurum erigendis elegerint, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis etc. salutem etc. Salutem cunctarum animarum pastorali solicitudine cupientes omnes quas possumus vias exquirimus et veritatis semitas investigamus per quas hereditatem Domini nostri Iesu Christi videlicet populum dirigere valeamus et consumato nostre mortalitatis cursu ipsi fideles spe, fide et charitate iniuncti ad celestia gaudia valeant feliciter pervenire. Cum itaque sicut accepimus dilecti filii superiores provincialis ac priores et fratres domorum ordinis fratrum heremitarum Sancti Augustini de observantia Sancti Michaelis et aliorum provinciarum partium Indiarum Occidentalium charitatis zelo et devotionis fervore accensi vineam Domini sedula diligentia excolentes in eisdem partibus Indiarum quasi innumerabilem infidelium gentilium numerum ab idolorum cultura ad fidei catholice cognitionem et veram ad ipsam fidem conversionem suis predicationibus, doctrina, industria et bono exemplo benedicente Domino reduxerint, ac in Quitensis et Carthaginensis, Sancte Fidei de Bogotà, Tunja, Calipopaian, Riobamba, Cuenca et Loxa civitatibus seu oppidis vel terris eorumdem partium Indiarum et eorum singulis unam dicti ordinis fratrum domum cum ecclesia et romitorio, refectorio, claustro et aliis

officinis necessariis de novo erigi et fundari facere curaverint capacem et idoneam ad habitationem prioris et fratrum unius respective conventus dicti ordinis et in quolibet ex dictis domibus prior cum decenti fratrum dicti ordinis numero resideat qui iuxta institutum sui ordinis sub regulari observantia vitam inibi degentes supradictis conversionis et aliis charitatis exercitiis vacare quotidie non cessant ac exinde uberios ad horrea Domini fructus hactenus attulerunt et similes in futurum Dei gratia afferre sperant, ut igitur dictorum domorum ecclesie ad quas sicuti etiam accepimus dilectus filius Gabriel de Saona ordinis predicti et theologie professor ac provincie et domorum huiusmodi in Romana Curia procurator legitimus singularem gerit devotionis affectum a christifidelibus in debita veneratione habeantur ipsique christifideles ubberiores devotionis causa ad easdem ecclesias et ipsarum singulas confluant quo ex hoc dono celestis gratie conspexerint se uberius esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui exnunc de cetero in aliqua ex supradictis vel aliis ecclesiis domorum ordinis et partium Indiarum huiusmodi hactenus erectis et in futurum erigendis sibi ecclesiasticam sepulturam elegerint et in eis se fecerint aut mandaverint sepelire in eorum mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium elargimus presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si eligentibus sepulturam huiusmodi vel alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit eodem presentes nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, decimo septimo kalendas septembris, pontificatus nostri anno secundo.

470

Intelligentes quod

Sec. Brev. 121 fol. 143r-146v; 122 fol. 344r-347v — die 20 augusti 1586
Bull. Rom. (ed. Taurinensis) VIII 733-736

ERECTIO UNIVERSITATIS STUDII GENERALIS

In domo Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini in civitate *Quito* provinciae Sancti Michaelis, cum privilegiis, facultatibus, honoribus aliisque quibuscumque gratiis aliarum Universitatum in partibus Indiarum Occidentalium.

Sixtus V

Ad futuram rei memoriam. Intelligentes quod Domino grati christianaeque reipublicae uberes fructus ex assidua verbi Dei praedicatione, aliorumque piorum operum exercitio ex domibus regularibus ordinis fratrum Heremitarum Sancti Augustini in partibus Indiarum Occidentalium fundatis in dies producantur facile inducimur, ut eorumdem fratrum votis per quae ne ob locorum nimiam distantiam tam ipsi, quam alii dictarum partium cives et incolae sacrarum literarum cognitione privati remaneant provideri valeat libenter annuamus, eaque favoribus prosequamur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum provincialis et fratrum domus ordinis fratrum Heremitarum Sancti Augustini civitatis de Quito provinciae Sancti Michaelis partium Indiarum Occidentalium nobis exhibita petitio continebat, quod cum in dicta civitate domus dicti ordinis in suis structuris et aedificiis satis commoda existat ac proximior dictae civitati studii generalis Universitas per nongenta milliaria et ultra distet unde dicti ordinis fratres in eadem ac aliis dictae provinciae domibus commorantes nec

non cives et incolae sacrarum literarum studio non sine maximo incommodo ac dispendio incumbere possunt, et sicut eadem petitio subiungebat si in domo dictae civitatis Universitas studii generalis, in qua omnes scientiae et facultates a iure permissae per lectores deputandos a superiore vel capitulo provinciali eiusdem provinciae publice legi et interpretari, atque in eisdem facultatibus baccalaureatus, licentiaturae, doctoratus et magisterii gradus conferri possent et deberent donec et quousque alia studii generalis Universitas in dicta civitate ad instantiam charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, qui etiam dictarum partium dominus existit, instituatur, erigeretur et institueretur ex hoc ipsorum fratrum, civium, incolarum et aliorum studentium commoditati plurimum consuleretur. Quare pro parte provincialis et fratrum predictorum nobis fuit humiliter supplicatum quatinus dictam Universitatem in predicta domo eiusdem civitatis, ut praefertur, instituere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur considerantes quantae utilitatis in eisdem partibus sit quod dicti ordinis professi et alii ibidem commorantes studendi commoditatem habeant, ut exinde in vinea Domini utilius se exercere valeant, ipsosque provincialem ac fratrum predictorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati in predicta ipsius civitatis domo unam Universitatem studii generalis, in qua aliqui magistri et eruditi professores a superiore provinciali vel capitulo provinciali dicti ordinis eligendi et deputandi theologiam, ius canonicum et artes liberales, nec non alias quascumque licitas facultates et scientias publice legant, doceant et interpretentur, ac ipsius ordinis fratres et alii quicumque scholares sive laici, sive clerici seculares et quorumvis ordinum etiam mendicantium regulares ubicumque oriundi et undecumque advenientes in eisdem facultatibus et scientiis studeant, nec non illis, qui catholici et ad id idonei reperti fuerint baccalaureatus, licentiaturae, doctoratus et magisterii ac alie cuiuslibet licite facultatis gradus et insignia conferantur et concedantur cum archa, sigillo et aliis insignibus studii generalis donec et quousque alia studii generalis Universitas in dicta civitate ad instantiam ipsius Philippi Regis instituta fuerit, Apostolica auctoritate tenore praesentium erigimus et instituimus, illique sic erectae et institutae, ac eius pro tempore existentibus rectori etiam ab eodem superiore vel capitulo provinciali eligendo et deputando, magistris, professoribus, lectoribus, praeceptoribus, scholaribus, bidellis et aliis officialibus, ministris et personis, nec non ibidem ad quoscumque gradus promotis, quod omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus non tamen a iurisdictione regia praerogativis, an-

telationibus, praeeminentiis, favoribus, honoribus, dignitatibus, concessionibus, indultis et aliis quibuscumque gratiis, quibus aliae studiorum generalium dictarum partium Universitates, illarumque pro tempore existentes rectores, magistri, professores, lectores, praeceptores, scholares, bidelli ac alii officiales ministri et personae, nec non ibidem ad quoscumque gradus promoti de iure vel consuetudine, ac alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum pariformiter et aeque principaliter uti, potiri et gaudere possint et debeant perinde ac si eis specialiter et expresse concessa fuissent. Praeterea illis, qui in ipsa Universitate studii generalis de Quito vel alibi studuerint theologiae vel artibus liberalibus, aliisque facultatibus praedictis baccalaureatus, licentiaturae et magisterii, caeterosque omnes solitos gradus si per magistros vel doctores illius facultatis in qua voluerint promoveri ad hoc praesentati et praevio debito examine assistentibus ibidem aliquibus doctoribus seu magistris in eadem facultate legentibus desuper faciendo, aut alias servatis servandis idonei reperti fuerint a pro tempore existente superiore provinciali seu ab alio per capitulum provinciale eligendo et deputando emissae prius per promovendos huiusmodi in eius manibus fidei catholicae professione iuxta articulos pridem a Sede Apostolica ad hoc praepositos ipsorum graduum solita insignia recipere, illaque sibi exhiberi facere, nec non postquam huiusmodi gradus et illorum insignia susceperint facultates in quibus promoti fuerint ubicumque absque alio examine vel approbatione legere et interpretari, ac quoscumque actus graduum per eos receptorum et convenientium exercere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedictis de speciali gratia indulgemus, nec non Universitati studii generalis de Quito ac illius pro tempore existenti rectori pro salubri et foelici ipsius Universitatis ac illius personarum, rerum, bonorum et iurium regimine, directione et conservatione, reique literariae progressu quaecumque statuta et ordinationes licita tamen et honesta ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis non contraria a loci ordinario approbanda concedi, illaque postquam condita fuerint mutandi, corrigendi et reformandi quae sic mutata, correcta et reformata ab eodem ordinario approbari debeant plenam et liberam facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur. Decernentes praesentes literas etiam ex eo quod interesse habentes seu praetendentes ad hoc vocati non fuerint de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae, vel quovis alio defectu notari vel impugnari, aut alias infringi non posse, sed illas donec alia Universitas studii generalis in dicta civitate, ut praefertur, instituta fuerit validas et efficaces existere, suosque effectus sortiri sicque ab omnibus censeri et ita per

quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et diffiniri debere irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis universis et singulis in dignitate ecclesiastica constitutis tam secularibus, quam quorumvis ordinum etiam mendicantium regularibus personis in illis partibus nunc et pro tempore commorantibus per presentes committimus et mandamus, quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios presentes literas et in eis contenta quaecumque ubi et quando opus fuerit ac quoties pro parte provincialis et fratrum ac rectoris, magistrorum, lectorum, scholarium et aliorum praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes faciant praemissa omnia per eos, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum donec alia Universitas in dicta civitate, ut praefertur, instituta fuerit observari, non permittentes provincialem et fratres ac rectorem, magistros, lectores, scholares et alios praedictos super praemissis per quoscumque quomodolibet molestari, contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque oportuna iuris et facti remedia appellatione postposita compescendo invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac aliarum quarumcumque studiorum generalium Universitatum etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia forma ad hoc servanda foret illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter aut divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die 20 augusti 1586 anno secundo.

471

Exponi nobis nuper

Sec. Brev. 121 fol. 126rv; 122 fol. 304r-305r — die 23 augusti 1586

DEPUTATIO IN MINOREM POENITENTIARUM CUM FACULTATIBUS

Sixtus V

Dilecto filio Hieronymo de Guevara ordinis fratrum eremitarum Sancti Augustini provinciae Sancti Michaelis de Quito partium Indiarum Occidentalium provinciali.

Dilecte fili salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti quod tu, qui in quinquagesimo vel circa tuae aetatis anno constitutus, ac in dictis partibus ordinis fratrum eremitarum Sancti Augustini provincialis, nec non idiomate illarum partium peritus et expertus existis, ac verbum Dei populo et domibus tui ordinis in illis partibus existentibus publice explanasti, cupis ad ipsum Deum eiusque fidem sanctam catholicam Verbi Dei praedicatione et aliis piis operibus conversorum animas etiam illorum confessiones audiendo, illosque a peccatis per eos commissis absolvendo eidem omnipotenti Deo lucri facere. Nos te in huiusmodi tam pio et laudabili desiderio confovere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi ut quandiu in dictis Indiarum partibus moram traxeris verbum Dei praedicare et explanare, ac quoscumque infideles postquam conversi fuerint baptizare et tam eorum quam aliorum in illis partibus commorantium in illis locis ubi ordinarii non fuerint absque, in aliis vero ubi fuerint de eorum licentia semel tantum ab eis obtenta confessiones audire, illosque a quibusvis peccatis, criminibus, excessibus et delictis quantumcumque gravibus

et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, non tamen contentis in literis die coenae Domini legi solitis, nec non a quibusvis excommunicationis, suspensionis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis praeterquam excommunicatos, vel aliis censuris innodatos ab homine nominatim iniuncta illis salutari poenitentia in foro conscientiae absolvere ac vota quaecumque religionis, castitatis, subsidii Terrae Sanctae, visitationis eiusdem Terrae Sanctae et liminum apostolorum Petri et Pauli de Urbe, ac Sancti Iacobi in Compostella votis dumtaxat exceptis, in alia poenitentiae vel pietatis opera in eodem foro tantum dispensando commutare, nec non omnibus privilegiis et indultis poenitentiariis minoribus in Urbe existentibus concessis ac virgula ad eorum instar uti illius solo tactu peccata venialia expiare libere et licite valeas Apostolica auctoritate tenore presentium licentiam et facultatem concedimus et indulgemus. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. die 23 augusti 1586, anno secundo.

472

Literas eas

Arm. XLIV 30 fol. 237v-238r — die 23 augusti 1586

AD LITTERAS ARCHIEPISCOPI MEXICANI RESPONSIO

Summus Pontifex gratias habet pro notitiis de synodo provinciali et ad zelum animarum exhortatur.

Sixtus V

Venerabili fratri archiepiscopo Mexicano [1].

Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Literas eas, quas fraternitas tua dederat ad Gregorium superiorem pontificem, cuius nunc anima fruitur, ut sperandum est, sempiterna beatitudine eius pietati debita, attulit nobis ad hoc laboriosissimum summi pontificatus munus nullo nostro merito vocatis dilectus filius Hieronymus Ordinis Sancti Francisci. Is etiam narravit de sua longissima, periculorumque plenissima navigatione Christi gloriae studio suscepta. Vidimus eum, audivimusque libentissime. In primis vero iucundissimae fuerunt nobis tuae literae de Synodo Provinciali, deque zelo animarum salutis, quo quidem nihil potest esse magis proprium muneris episcopalis, nihil divinae bonitati acceptius. In istam igitur curam incumbe et stude una cum fratribus tuis episcopis, eos, qui fidem christianam susceperunt, in eius sinceritate et morum sanctitate continere, caeteros ex errorum tenebris evocare, atque ad suavissimam veritatis lucem perducere, aderit procul dubio vestris optimis conatibus divina gratia, quam nobis toto pectore precamur. Datum ut supra.

[1] Archiepiscopus Ecclesiae Mexicanensis erat Petrus Moya de Contreras.

473

Quia ex luculentis

Sec. Brev. 155 fol. 226r-227r; 156 fol. 226rv — die 23 augusti 1586

CONFIRMATIO OFFICII PRAEDICATORIS GENERALIS

In omnibus totius orbis provinciis et praecipue apud Indos, pro Ioanni Gonçalez de Mendoza, Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini.

Sixtus V

Dilecto filio Ioanni Gonçalez de Mendoza fratri Ordinis Sancti Augustini Haeremitarum in sacra theologia magistro.

Dilecte fili salutem etc. Quia ex luculentis multorum testimoniis nobis relatum est te aliquot annos in Hispaniis et in partibus Indiarum Dei verbum praedicando et explorando, confessiones audiendo, sacramenta ministrando et alia id genus officia exercendo non parva cum laude et domus Dei aedificatione versatum fuisse et tu nobis nuper exposuisti habere te in animo ad easdem partes Indiarum et Chinae quamprimum reverti, ut in amplissima illa messe strenuum ac fidelem te operarium praebeas, quam ob causam dilectus filius prior generalis tui Ordinis te per suas patentes literas generalem et universalem praedicatorem ipsius Ordinis, quoad vixeris, in omnibus totius orbis provinciis et praecipue apud Indos constituit et deputavit. Idcirco nos, ut tam longi itineris labores et pericula alacrius subire et ad navandam Deo Sanctaeque Ecclesiae in illis partibus operam promptior firmiorque efficiaris, officium praedicatoris generalis et universalis dicti tui Ordinis tibi ab ipso priore generali, ut praefertur, commissum cum omnibus praeeminentiis, exemptionibus, praerogativis, favoribus et gratiis in patentibus literis praedictis contentis per presentes confirmamus et approbamus. Mandantes omnibus archiepiscopis, episcopis, aliisque praelatis ubique terrarum constitutis ad quos venire te contigerit, ut te praedicatoris huiusmodi munere fungi sinant, nec ullam omnino molestiam desuper inferri permittant. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris, die 23 augusti 1586, anno primo.

474

Exponi siquidem nobis

Sec. Brev. 121 fol. 122r-123r; 122 fol. 299r-300r — die 24 augusti 1586

DEPUTATIO IN MINOREM POENITENTIARUM

In regnis Indiarum Occidentalium, pro fratre Gabrieli de Saona Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini provinciae Sancti Michaelis in civitate *Quito*.

Sixtus V

Dilecto filio fratri Gabrieli de Saona [1] ordinis fratrum eremitarum Sancti Augustini professore.

Dilecte fili salutem etc. Exponi siquidem nobis nuper fecisti, quod tu qui in sacra theologia magister et in quinquagesimo vel circa tuae aetatis anno in presbiteratus ordine constitutus existis et iam a pluribus annis in partibus Indiarum Occidentalium residisti, ipsamque theologiam ac verbum Dei populo in domibus tui ordinis in partibus illis existentibus publice explanasti, nec non idiomate illarum partium peritus et expertus existis, intendis Deo dante ad easdem partes de tui superioris licentia ab eo procurator generalis provinciae Sancti Michaelis de Quito dictarum partium deputatus te iterum conferre, cupiasque ad ipsum Deum eiusque fidem sanctam catholicam verbi Dei praedicatione et aliis piis operibus conversorum animas etiam illorum confessiones audiendo, illosque a peccatis per eos commissis absolvendo, eidem omnipotenti Deo lucri facere. Nos te in huiusmodi tam pio et laudabili desiderio confovere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi ut quandiu in dictis Indiarum partibus moram traxeris verbum Dei praedicare et explanare, ac quoscumque infideles postquam conversi fuerint baptizare et tam eorum, quam aliorum in illis partibus commorantium, in illis locis ubi ordinarii non fuerint absque, in aliis vero ubi fuerint de eorum licentia semel tantum ab eis obtenta confessiones audire, illosque a quibusvis peccatis, criminibus, excessibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus etiam Sedi Apostolicae reservatis, non tamen contentis in literis die caenae Domini legi solitis nec non a quibusvis excommunicationis, suspensionis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis praeterquam excommunicatos vel aliis censuris innodatos ab homine nominatim iniunctis illis salutari poenitentia in foro conscientiae absolvere, ac vota quaecumque religionis, castitatis, subsidii Terrae Sanctae, visitationis eiusdem Terrae Sanctae et liminum apostolorum Petri et Pauli de Urbe ac Sancti Iacobi in Compostella votis dumtaxat exceptis, in alia poenitentiae vel pietatis opera in eodem foro tantum dispensando commutare, nec non omnibus privilegiis et indultis poenitentiariis minoribus in Urbe existentibus concessis, ac virgula ad eorum instar uti, illiusque solo tactu peccata venialia expiare libere et licite valeas Apostolica auctoritate tenore praesentium licentiam et fa-

[1] De Gabriele de Saona cfr. supra doc. 460.

cultatem concedimus et indulgemus. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die 24 augusti 1586, anno secundo.

475

Ad salutem gregis

Sec. Cam. 69 fol. 95rv — die 1 septembris 1586

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione Conceptionis Beatae Mariae Virginis in ecclesia domus Ordinis Fratrum Minorum de Observantia in civitate *Lima* instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis etc. salutem etc. Ad salutem gregis dominici vigilantie nostre divinitus crediti prout nobis ex alto conceditur intendentes fideles singulos gregis eiusdem presertim viam Altissimi sub certa fraternitatis norma perquirentes ad pia et meritoria opera exercenda spiritualibus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus sepius invitamus ut per eorundem operum exercitium salutem ab omnibus desideratam valeant facilius promereri. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia domus fratrum Sancti Francisci ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum Liman. in Indiis del Perù una utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione conceptionis beate Marie virginis canonice instituta existat et dilecti filii illius

confratres quamplurima charitatis, pietatis et misericordie opera exercere consueverint, nos igitur cupientes ut ipsi ac pro tempore existentes eiusdem confraternitatis confratres in huiusmodi piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea imposterum exercenda, necnon alii christifideles ad dictam confraternitatem ingrediendam peramplius invitentur dictaque ecclesia in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad ecclesiam seu capellam et altare dicte confraternitatis devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie conspexerint se uberius esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur die primi illorum ingressus, si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint; ac tam ipsis quam ad presens existentibus ipsius confraternitatis confratribus etiam vere penitentibus et confessis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus, necnon tam ipsis confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus qui similiter vere penitentes et confessi ecclesiam seu capellam et altare huiusmodi in festivitate eiusdem conceptionis beate Marie a primis vesperis usque ad occasum solis diei eiusdem festivitatis singulis annis devote visitaverint et inibi pro heresum extirpatione, infidelium conversione, Sancte Matris Ecclesie exaltatione et inter christianos principes fovenda pace pias ad Deum preces fuderint quo die festivitatis huiusmodi id fecerint si eodem die dictum Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint confratribus videlicet similiter plenariam indulgentiam et omnium peccatorum suorum remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur, aliis vero christifidelibus predictis attento quod in Indiis viginti annos et totidem quadragenas. Preterea ipsis confratribus qui pariter vere penitentes et confessi sacraque communione refecti ecclesiam seu capellam et altare huiusmodi in purificationis, annunciationis, assumptionis et nativitatis eiusdem beate Marie virginis festivitatibus visitaverint et ut supra oraverint etiam viginti annos et totidem quadragenas, quoties vero divinis officiis in eadem ecclesia seu capella vel oratorio more confratrum celebrandis aut congregationibus publicis vel secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint vel alio casu auxilium, consilium vel favorem prestiterint aut ipsum Sanctissimum Sacramentum dum ad aliquem infirmum defertur associaverint aut qui hoc facere impediti campane ad id signo dato genibus flexis semel orationem dominicam pro eodem infirmo recitaverint aut processionibus ordinariis et extraordinariis tam predicte confraternitatis quam aliis de licentia ordinarii faciendis

ac sepeliendis mortuis officiose interfuerint aut infirmos etiam in hospitali existentes consolati fuerint in eorum adversitatibus, vel pauperes peregrinos hospitio exceperint ac elemosinis et officiis adiuverint aut pacem cum inimicis composuerint vel quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro animabus confratrum dicte confraternitatis defunctorum in ecclesia seu capella predicta recitaverint aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint et ignorantes Dei precepta et que ad salutem sunt docuerint aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint toties pro quolibet premissorum piorum operum ducentos dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad christifideles non confratres ecclesiam seu capellam et altare huiusmodi ut prefertur visitantes ad viginti annos a die prime earundem presentium in dicta ecclesia seu capella faciende publicationis computandos dumtaxat in reliquis vero omnibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis christifidelibus predictis ratione premissorum vel alias aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit eodem presentes nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominice MDLXXXVI, kalendis septembris, pontificatus nostri anno secundo.

476

Principis nostri et aeterni Dei

Sec. Cam. 70 fol. 375rv — die 7 septembris 1586

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione sancti Nicolai de Tolentino in ecclesia domus sancti Augustini Ordinis Fratrum Eremitarum eiusdem sancti Augustini in civitate *Cuenca* dioecesis *Quito* instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis christifidelibus etc. salutem etc. Principis nostri et eterni Dei etc. feliciter pervenire. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia domus Sancti Augustini oppidi civitatis nuncupati de Cuenca ordinis fratrum heremitarum eiusdem Sancti Augustini Quitensis diocesis Indiarum Occidentalium una christifidelium confraternitas sub invocatione Sancti Nicolai de Tolentino ad omnipotentis Dei laudem et animarum christifidelium salutem canonice instituta sit ac dilecti filii illius confratres plura inibi pietatis opera exercere consueverint ut igitur ipsi confratres in huiusmodi pietatis exercitiis eo magis confoveantur ac ad ea imposterum exercenda necnon alii christifideles ad ingrediendam dictam confraternitatem ad quam sicuti etiam accepimus dilectus filius Gabriel de Saona dicti ordinis professor singularem gerit devotionis affectum peramplius invitentur, ad ipsiusque confraternitatis capellam seu altare vel oratorium devotionis causa eo libentius confluant quo ex hoc dono celestis gratie conspexerint se uberius refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui in dicte confraternitatis confratres de cetero admittentur seu recipientur die prime illorum admissionis seu receptionis huiusmodi ac tam ad presens admissis quam de cetero admittendis in dicte confraternitatis confratres etiam vere penitentibus et confessis in articulo mortis cuiuslibet eorum nomen Iesu corde si ore non potuerint invocantibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium elargimur. Preterea ipsis confratribus quoties divinis officiis seu aliis piis orationibus in capella seu oratorio dicte confraternitatis celebrandis seu recitandis aut publicis vel privatis congregationibus ipsius vel intuitu dicte confraternitatis cuivis alio pio operi exercendo interfuerint vel aliquo alio casu dicte confraternitatis auxilium, consilium vel favorem prestiterint seu Sanctissimum Eucharistie Sacramentum etiam quando ad infirmos defertur associaverint aut si associare non potuerint ad sonum campane genu flexo semel orationem dominicam pro salute infirmi devote recitaverint aut ipsi confratres processionibus ordinariis et extraordinariis tam ipsius confraternitatis quam aliorum de ordinarii licentia faciendis interfuerint vel corpora defunctorum ad ecclesiasticam sepulturam associaverint aut quosvis alios fideles adiuverint vel consolati fuerint in eorum adversitatibus aut pauperes peregrinos hospitio charitative exceperint et elemosinis ac aliis blandis officiis adiuverint seu pacem cum inimi-

cis composuerint vel aliquas orationes pro salute animarum christifidelium confratrum seu benefactorum dicte confraternitatis pro tempore defunctorum devote ad Deum effuderint quoties id fecerint septem annos et totidem quadragenas; necnon tam ipsis confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui capellam seu oratorium dicte confraternitatis in festo assumptionis beate Marie virginis a primis vesperis usque ad occasum solis dicti festi singulis annis devote visitaverint ac inibi pro Sancte Romane Ecclesie et Romani pontificis felici statu et exaltatione ac Indorum conversione, sancteque fidei propagatione et alias prout unicuique suggeret devotio pias ad Deum preces devote effuderint festo predicto quo id fecerint si non fuerint ex Indis quibus Sanctissime Eucharistie usus nondum est concessus ac Sanctissimum Eucharistie Sacramentum predictum devote sumpserint alios septem annos et totidem quadragenas. Postremo eisdem confratribus ac aliis christifidelibus qui pariter vere penitentes et confessi capellam seu altare aut oratorium huiusmodi in Sancte Catherine et Sancti Mathie necnon Sanctorum Iacobi et Philippi ac transfigurationis Domini nostri Iesu Christi festivitatibus visitaverint vel orationem quadraginta horarum dictis festivitatibus inibi fecerint centum dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad non confratres dicte confraternitatis capellam seu oratorium huiusmodi in dicto festo assumptionis eiusdem beate Marie virginis visitantes ad viginti annos a die presentationis earumdem presentium in dicta ecclesia faciende computandos, quoad alios vero singula premissa peragentes perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis christifidelibus predictis etc. vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Marcum, Anno etc. 1586, septimo idus septembris, pontificatus nostri anno secundo.

477

Eximia devotio

Sec. Brev. 124 fol. 166rv; 154 fol. 166rv — die 17 septembris 1586

LICENTIA PRO MISSA DOMI CELEBRANDA

Pro Petro Farfan de los Godos, auditore Audientiae Mexicanensis, quia propter eius quotidianas occupationes ecclesiam ad audiendam missam commode accedere non potest.

Sixtus V

Dilecto filio officiali Mexican.

Dilecte fili salutem etc. Eximia devotio dilecti filii Petri Farfan de los Godos auditoris antiquioris qui praesidet Regiae Audientiae Mexican. in Indiis erga nos et Sedem Apostolicam promeretur ut suis honestis votis benigne annuamus que ad spiritualem eius consolationem et commodum pertinere noscuntur. Cum itaque sicut nobis exponi fecit ipse qui in civitate Mexican. commoratur propter quotidianas occupationes ad ecclesias ad audiendum missas quotidie sicut desiderat commode accedere non possit, propterea nobis humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur illius supplicationibus inclinati discretioni tuae committimus et mandamus quatinus tu eidem Petro, ut in aliqua parte seu loco domus suae congruo et honesto per te vel alium a te deputandum approbando capellam decenter ornatam et in ea altare cum debitis honore et reverentia habere, ac in eadem capella et altari per sacerdotem idoneum secularem vel cuiusvis ordinis regularem de sui superioris licentia approbatum missas quibusvis tam feriatis quam dominicis vel festivis etiam maxime solennibus nullis prorsus exceptis diebus et anni temporibus etiam quotidie si ei ita videbitur ac quando voluerit etiam per mediam horam ante lucem celebrari facere ipso tamen Petro libere et licite valeat, ita ut idem Petrus missas

huiusmodi audiendo praecepto Ecclesiae satis faciat nec sibi neque ipsis presbyteris, ut praefertur, celebrantibus id ipsum queat ad culpam imputari, neque alias eorum quispiam tali occasione molestari possit aut debeat licentiam auctoritate nostra concedas. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac in Conciliis etiam generalibus editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum, die XVII septembris 1586, anno secundo.

478

Exponi nobis nuper

Sec. Brev. 124 fol. 218rv; 154 fol. 218-221 die 4 octobris 1586

FACULTAS SESE TRANSFERENDI DE UNO MONASTERIO AD ALIUD

Pro Ioanna et Antonia de Guevara monialibus, de licentia tamen Ordinarii loci ac consensu monialium monasterii quod ingressurae sunt.

Sixtus V

Dilectis in Christo filiabus Ioanne et Antonie de Guevara monialibus monasterii monialium de Conceptione Mexican.

Dilecte in Christo filie salutem etc. Exponi nobis nuper fecistis quod dilecta in Christo filia Isabella de Guevara monialis monasterii monialium ordinis Sanctae Paule Mexican. in partibus Indiarum maris Oceani soror vestra erigi curaverit dictum monasterium et illud de suis propriis bonis fundaverit et dotaverit, inibique habitum per moniales eiusdem monasterii gestari solitum susceperit et professionem per easdem moniales emitti solitam in dicto monasterio emiserit regulares, ipsaque Isabella pro animi sui consolatione desideret vos a monasterio de Conceptione etiam Mexican., cuius moniales existitis et de quo prime moniales professe pro felici regimine et gubernio primodicti monasterii translate fuerunt transferri et apud se in primodicto mo-

nasterio Altissimo famulatum prebere. Unde pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum ut eiusdem Isabelle desiderio annuere ac alias in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui religiosarum personarum votis presertim feminei sexus sub suavi religionis iugo Deo servientium libenter annuimus ut eo ferventius Deo famulatum exhibere valeant huiusmodi supplicationibus inclinati vobis, ut de secundo dicto ad primodictum monasterium quorum ordo et regula pares seu arctiores existunt de vestri ordinarii cui utrumque monasterium huiusmodi subesse dignoscitur licentia et de dictarum monialium secundi dicti monasterii consensu vos transferre libere et licite valeatis Apostolica auctoritate tenore presentium licentiam et facultatem concedimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac monasteriorum et ordinis predictorum iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis Apostolicis ordinibus et monasteriis illorumque superioribus et generalibus sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis concessis, confirmatis et etiam innovatis; quibus omnibus etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum insererentur presentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. die IIII octobris 1586, anno secundo [1].

---

[1] Litterae supplices: ibid. 124 fol. 219r.

479

De omnium salute

Sec. Brev. 167 fol. 191r — die 30 octobris 1586

ALTARE PRIVILEGIATUM

Pro ecclesia domus Ordinis Fratrum Minorum de Observantia Discalceatorum in urbe *México*.

Sixtus V

Ad perpetuam rei memoriam. De omnium salute christifidelium paterna charitate solliciti inter multiplicia pietatis officia, que nos pro munere nostro convenit exercere sacra interdum loca speciali privilegio decoramus, ut inde fidelium animarum saluti peramplius consulatur. Quocirca ut ecclesia domus Sanctorum Cosme et Damiani ordinis fratrum minorum de observantia discalciatorum nuncupatorum Mexican. in Indiis et in ea altare per guardianum dicte domus semel tantum deligendum, quod maius non sit speciali privilegio illustretur, auctoritate nobis a Domino tradita precibus quoque charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici nobis humiliter porrectis inclinati concedimus ut quoties ab aliquo sacerdote missa defunctorum ad predictum altare celebrabitur pro anima cuiuscunque fidelis que Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ipsa de thesauro Ecclesie indulgentiam plenariam consequatur in remissionem earum poenarum pro quibus in Purgatorio detinetur. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, tertio kalendas novembris, Pontificatus nostri Anno secundo.

480

Infirma cui conditio

Sec. Brev. 123 fol. 70r-73r; 125 fol. 70rv — die 29 novembris 1586

CONFIRMATIO FUNDATIONIS MONASTERIORUM

Anno 1541 Ioannes de Zumarraga, primus episcopus Ecclesiae dioecesis *México*, tria monasteria monialium in civitate *México* sub regula Conceptionis Beatae Mariae Virginis aliudque monasterium monialium in regno Guatemalensi fundavit. Petrus, archiepiscopus de *México* in visitatione dictorum monasteriorum nihil certi de eorum approbatione habere potuit, ideoque Sum-

mum Pontificem supplicavit, ut monasteria illa aliaque dictae regulae auctoritate apostolica confirmaret. Sixtus V precibus annuit et fundationem et institutionem monasteriorum confirmat cum communicatione indulgentiarum.

Sixtus V

Ad perpetuam rei memoriam. Infirma cui conditio saepe efficit ut de multis rebus qua illae fuerint auctoritate gestae nihil certi haberi possit, quo genere incommodi nonnulla istarum partium monasteria monialium affecta esse audimus. Inter laudabilia enim quae istic iamdudum bone memorie Ioannes [1] primus ecclesiae Mexican. praesul et pastor gessit opera illud vel in primis principatum obtinet, quod ipse verus religionis cultor tres seu quatuor honestae et exemplaris vitae mulieres nobiles dictarum partium, quae singulari devotionis fervore accensae ac spretis huius seculi vanitatibus se Deo totas addixerant in omni pietatis, religiosaeque vitae officio ac disciplina instruxit, et cum aliquas sanctimoniales et sacras virgines antiquas aliunde ad novorum monasteriorum fundationes accersere vellet et id non sine magno temporis intervallo et religionis detrimento ac molestissima maris Oceani navigatione effici non posset, ideo anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo primo ab eisdem mulieribus vehementer requisitus ad solemnem paupertatis, castitatis, obedientiae et clausurae professionem sub regula Conceptionis beatae Mariae virginis admisit, id quod tantam istic apud omnes devotionem peperit, ut magnus brevi tempore nobilium virginum numerus se illis addixerit unde earum opera factum est, ut creditur, quod primum monialium monasterium eidem beatae Mariae virgini dedicatum in civitate Mexican. quae caput et metropolis totius Novae Hispaniae sive novi orbis existit, fundatum sit, in quo ad presens centum et triginta sanctimoniales reperiuntur et deinde quatuor ex illis antiquiores et probatiores ad id missae fundarunt aliud monasterium monialium in regno Guatematensi, ubi degunt sexaginta moniales et duodecim aliae, alia duo eiusdem regulae monasteria in dicta civitate Mexican., unum videlicet Sanctae Luciae conversarum ubi sexaginta et alterum Iesus Maria ubi octuaginta moniales existunt, quae gravissimum apud illarum partium homines longe lateque sparserunt et quotidie spargunt devotionis et

[1] Iohannes de Zumárraga. De eo cfr. supra doc. 40.

religionis odorem. Cum autem venerabilis frater Petrus [2] Archiepiscopus Mexican. sicuti exponi nobis fecit in visitatione dictorum monasteriorum exactius inquireret eorum originem et fundationem ac illarum approbationem Apostolicam nihil certi de huiusmodi approbatione habere potuerit idque forsan aut ex incuria seu temporum iniuria vel saltem quod credatur communem regulae approbationem sufficere, vel id fieri potuisse iuxta privilegia ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum, quem ipse Ioannes praesul in minoribus existens expresse professus fuerat processerit et propterea non levis scrupulus conscientiis dictarum monialium iniectus sit. Nos securitati conscientiarum praedictarum consulere cupientes ac Petri archiepiscopi et monialium huiusmodi supplicationibus in hac parte inclinati, fundationem, et institutionem monasterii Conceptionis beatae Mariae virginis ac Guatematensis nec non Sanctae Luciae et Iesus Maria predictorum et aliorum quorumcumque dictae regulae monasteriorum istic existentium et ab eo tanquam suo capite dependentium, quae sint prout ad presens etiam ad ipsa fundatione sub obedientia et protectione moderni et pro tempore existentis loci ordinarii existant, Apostolica auctoritate tenore presentium approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti et solemnitatum ad id forsan requisitarum omissarum defectus, si qui intervenerint in eisdem supplemus, ac omnes et quascumque dictorum monasteriorum moniales quae hactenus fuerunt et ad presens existunt pro veris et legitimis, ac professiones et quoscumque alios actus per eas a primaeva eorumdem monasteriorum fundatione factos et inde secuta quaecumque rata, grata et firma habemus et haberi volumus, ipsisque monialibus et eorum monasteriis Conceptionis beatae Mariae virginis ac Guatematensi et Sanctae Luciae ac Iesus Maria huiusmodi, quod omnibus et singulis gratiis, privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, concessionibus, facultatibus et immunitatibus, quibus aliae moniales aliorum monasteriorum eiusdem ordinis ubique locorum et in quibusvis mundi partibus a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris hactenus sibi concessis in genere vel in specie utuntur, potiuntur et gaudent ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum seu quae aliis monasteriis et piis locis dictae civitatis et sui districtus concedentur et cum ex dicto monasterio Conceptionis fuerint iussu superiorum causa reformationis aliquae moniales ad monasterium Sanctae Clarae dictae civitatis Mexican. translatae, ipsae quoque eisdem privilegiis et gratiis quibus

[2] Petrus Moya de Contreras. De eo cfr. supra doc. 366.

aliae moniales intra septa dictorum monasteriorum Conceptionis existentes uti, potiri et gaudere libere et licite valeant eisdem auctoritate et tenore de speciali gratia indulgemus. Non obstantibus nostra quatenus opus sit de non concedendis indulgentiis ad instar ac aliis quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 29 novembris 1586, anno secundo.

481

Salus animarum

Sec. Brev. 127 fol. 291r-295v die 14 martii 1587

CONFIRMATIO PRIVILEGIORUM

Pro Societate Iesu in partibus Indiarum Orientalium et Occidentalium et Brasiliae.

Sixtus V

Dilectis filiis generali aliisque praepositis et presbiteris Societatis Iesu.

Dilecti filii salutem etc. Salus animarum et spiritualia commoda populorum ex gentilitatis tenebris recenter ad verae fidei cognitionem conversorum, ita nobis praecipue cordis sunt, ut quoniam illis ad nos et Sedem Apostolicam non sine maximis periculis et incommodis accessus patet libenter pro eorum commodo certas vobis facultates et spirituales gratias concedamus, sive a praedecessoribus nostris ad certa tempora concessas prorogamus, quibus suffulti iuxta datam vobis

a Domino prudentiam in regionibus Indiarum tunc demum utamini moderate et opportune cum ad Dei gloriam, populorum salutem et aedificationem ac Sedis Apostolicae decorem videritis expedire. Alias siquidem, sicut nuper nobis exponi fecistis felicis recordationis Pius Papa V praedecessor noster ad certum tunc expressum et per piae memoriae Gregorium Papam XIII praedecessorem etiam nostrum prorogatum, nedum elapsum tempus presbyteris vestrae societatis baptizandi quoscumque in partibus Indiarum etiam extra Ecclesias et sine ceremoniis consuetis licentiam tribuit, ac praeterea universis christianis in Indiis pro tempore degentibus ad decennium indulsit, ne excommunicationem aliasque ecclesiasticas sententias, censuras et poenas in bulla die Caenae Domini legi solita contentas quoad forum conscientiae incurrerent, etiamsi cum infidelibus commercium habuissent tam de quibuscumque mercibus, quam etiam de armis quando non essent in damnum christianitatis, veluti si hostem non notabiliter armarent. Quod indultum deinde dictus Gregorius praedecessor ad aliud decennium nondum elapsum extendit, ea tamen conditione, ut suffragaretur iis tantum qui privati et sine notabili periculo aliquid parvi momenti, veluti pugionem aut gladium venderent, non autem iis qui mercatorum more huiusmodi prohibitas merces infidelibus venales exponerent. Nam tales venditores excommunicationi aliisque praedictis poenis et censuris voluit omnino subiacere etiamsi infideles, quibus illa venderentur non notabiliter armarent, sed et idem Gregorius praedecessor presbyteris dictae Societatis in Indiis Orientalibus ac neophitis et aliis ad Ecclesiae unitatem reductis super bonis male quaesitis ad quae restituenda in certis personis obligati existerent ad pia opera componendi, vel quatenus ipsi sic obligati indigerent eis in toto vel in parte remittendi et condonandi facultatem concessit; idem quoque Pius praedecessor vobiscum quibuscumque personis in India ut in diebus ieiunii ab Ecclesia statutis propter estum gravissimum et propter cibos levioris nutrimenti et quia homines illi navigationibus et bellis gerendis sunt assidue debiti, cibis etiam prohibitis libere vesci possent dispensandi, praeposito etiam generali vestrae Societatis pro tempore existenti sacerdotes idoneos eiusdem Societatis religiosos suo arbitrio deputandi, qui cum neophitis provinciae Brasiliae super ieiuniis dispensare, eaque pro ipsorum arbitrio moderare et commutare libere valerent, nec non cum fidelibus utriusque sexus coniugatis in partibus Indiarum quando ratione voti castitatis vel aliam ob causam debitum coniugale petere ab altero coniuge de iure prohiberentur, ut nihilominus illud petere sine peccati periculo possent in foro conscientiae dispensandi plenam et omnimodam auctoritatem tribuit. Insuper dictus Gregorius praedecessor eidem generali ac aliis in India per ipsum

deputandis praepositis ac presbyteris vestrae Societatis cum neophitis aliisque ad fidem reductis existentes rationabile et legitima causa super voto castitatis, non tamen solemni, usque in matrimonio de facto contra canonicas sanctiones et in facie Ecclesiae sive scienter, sive ignoranter contracto, non obstante quovis occulto impedimento propter quod tale matrimonium in conscientia foret invalidum si ipsi contrahentes sine scandalo separari non possent, ac dummodo ipsi de novo inter se secreto Concilii Tridentini forma servata, si id quoque non sine scandalo fieri queat, sin autem super quo eorum conscientias oneravit etiam dicta forma non servata contraherent, iniuncta eis pro modo culpae poenitentia salutari, etiam dispensandi potestatem est impartitus, sed et vobis aut vestrum aliquibus in Orientali India degentibus ob difficultatem navigationis et accedendi ad loca ubi episcopi residebant, ut religiosi vestrae Societatis nondum ad sacros ordines promoti extra tempora a iure statuta, etiam forsan temporum interstitiis non expectatis ad eosdem ordines et aliquo etiam ante aetatem legitimam, dummodo defectus aetatis ad id a Concilio Tridentino requisitae annum non excederet et caeterae ordinandorum qualitates defectum supplerent aetatis promoveri et sic promoti postmodum in illis etiam in altaris ministerio ministrare, missasque et alia divina officia celebrare valerent. Pius praedecessor noster predictus vivae vocis oraculo ad decennium uti tunc expressum fuit numerandum indulsit; quod indultum postea idem Gregorius praedecessor usque ad Iaponiae nec non Brasiliae, Perù, Mexicam caeterasque utriusque Indiae et Novae Hispaniae regiones, insulasque maris Oceani inter quas omnes regiones et insulas privilegiorum eisdem concessorum et concedendorum mutuam alioquin communicationem esse voluit et ad alterum nondum elapsum decennium, etiam in ampliorem formam extendit et prorogavit. Demum dictus Gregorius praedecessor vobis ac vestrum unicuique cum neophitis utriusque sexus quibuscumque consanguinitatis vel affinitatis gradibus aut alias coniunctis seu invicem se attinentibus super huiusmodi gradibus, iure tamen divino non prohibitis ut illis et impedimentis huiusmodi nec non constitutionibus et ordinationibus Apostolicis et aliis contrariis nequaquam obstantibus matrimonium contrahere et in facie Ecclesiae solemnizare sive si iam scienter et de facto contraxissent denuo contrahere et postea illa carnali copula consumare et in eis quoad vixerint remanere ac denunciationes in Ecclesiis et alias extrinsecas solemnitates ac caeremonias requisitas cum id vobis expedire aut necessarium esse visum fuerit in contrahendis matrimoniis prorsus omittere valeant gratis dispensandi,

dummodo quo ad forum contentiosum huiusmodi facultate non alias uteremini, nisi in loci et provinciis ordinariorum praesentia destitutis vel ab eis non minus ducentis millibus passuum remotis, prolemque susceptam et suscipiendam legitimam decernendi facultatem est elargitus, prout in diversis eorumdem praedecessorum literis latius continetur. Cum autem sicut eadem subiungebat expositio causae multae iustae et rationabiles propter quas huiusmodi gratiae a praedecessoribus nostris emanarunt adhuc vigeant et valde expediat eas quae ad tempus concessae sunt ad aliud tempus longius prorogari, reliquas vero perpetuo vel ad beneplacitum impetratas pro earum maiori validitate etiam denuo auctoritate nostra roborari, propterea nobis humiliter supplicari fecistis ut in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque vestrum in christiana religione ad exteras et remotissimas nationes propaganda pium ac religiosum zelum ac sedulam operam plurimum in Domino commendantes vestris supplicationibus inclinati, privilegia, facultates et indulta predicta, literasque desuper confectas quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis ac inde sequuta quaecumque auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus et confirmamus, illique Apostolicae firmitatis robur adiicimus, eaque omnia et singula praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes et quoscumque iuris et facti ac substantiales defectus, si qui in huiusmodi impetrationibus intervenissent et quoad ea, quae ad certa tempora concessa fuerunt, tempora ipsa in eis praefixa ad aliud decennium a fine temporis unicuique ex concessionibus huiusmodi praescripti numerandum auctoritate et tenore praemissis extendimus et prorogamus, ac tam illa quam alia omnia et quaecumque supradicta de novo per easdem presentes quatenus opus sit concedimus et indulgemus. Postremo, ut christifideles eo etiam ferventius infideles ad sanctum baptismi lavacrum invitent quo ex hoc coelestis dono gratiae noverint se uberius esse refectos reverendae memoriae Pii Papae IV nostri etiam praedecessoris qui similem indulgentiam ad certum iam pridem elapsum tempus concessit vestigiis in hac parte inhaerentes de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, universis et singulis christifidelibus in partibus Indiarum vere poenitentibus et confessis et Sanctissimo Eucharistiae sacramento refectis quoties aliquem ex infidelitate et ab idolatria ad veri Dei cognitionem atque cultum reduxerint toties indulgentiam plenariam et singulorum peccatorum suorum absolutionem et remissionem, nec non iubilaeum plenarium auctoritate Apostolica tenore earumdem presentium misericorditer in Domino concedimus et elargimur, iniuncta aliqua arbitraria per confessores salutari poenitentia super quo illorum conscientias

oneramus. Praesentibus quas utpote ad christianae religionis augmentum et in partibus ab urbe tot mensium difficili ac periculosa navigatione remotis, ac propterea revocationum Apostolicarum non facile notitiam habituris concessis quavis de causa etiam per nos et Sedem Apostolicam revocari, suspendi, aut alias quomodolibet alterari nullatenus posse, nec sub quibusvis similium indulgentiarum et facultatum revocationibus, suspensionibus, derogationibus, antelationibus vel aliis dispositionibus etiam in favorem Fabricae Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, cruciatae sanctae vel redemptionis captivorum, aut alias ex quibusvis aliis etiam urgentissimis et necessariis causis etiam ad Imperatoris, Regum et aliorum Principum instantiam etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, ac alias quomodolibet pro tempore factis nullatenus comprehendi, sed semper ab illis excipi et quoties illae emanabunt toties in pristinum et validissimum statum restitutas et de novo concessas fore aut censeri, ipsisque christifidelibus suffragari debere et quarum transumptis secretarii Societatis vel cuiuslibet notarii publici manu scriptis et eiusdem Societatis praepositi generalis, vel alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillo signatis plenariam et eamdemmet fidem ubique in iudicio adhibendam esse et adhiberi debere, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae decernimus, quoad huiusmodi indulgentiam ad decennium dumtaxat proximum, quoad reliqua vero supradicta partim ad tempora superius expressa partim vero perpetuis futuris temporibus, vel ad nostrum et dictae Sedis beneplacitum prout respective ab initio concessa fuerunt valituris. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die 14 martii 1587, anno secundo.

482

Super gregem dominicum

Sec. Cam. 69 fol. 560rv — die 1 maii 1587

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione Verae Crucis in ecclesia Purificationis Beatae Mariae domus Fratrum Minorum de Observantia in civitate Sanctae Fidei Novi Regni Granatensis instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis etc. salutem etc. Super gregem dominicum vigilantie nostre divinitus creditum prout nobis ex alto conceditur pervigilis pastoris officium exercentes fideles singulos gregis eiusdem presertim viam Altissimi sub certa fraternitatis norma perquirentes ad pia et meritoria opera exercenda spiritualibus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus libenter invitamus ut per eorumdem operum exercitium eterne beatitudinis gaudia valeant feliciter adipisci. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia Purificationis beate Marie domus fratrum minorum de observantia nuncupatorum civitatis Sancte Fidei in Indiis novi regni Granatensis una pia utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione Vere Crucis ad Dei omnipotentis laudem et gloriam ac christiane religionis in illis partibus propagationem, animarum quoque salutem et proximi subventionem canonice non tamen pro hominibus unius specialis artis instituta existat, cuius dilecti filii confratres quamplurima charitatis et misericordiae opera exercere consueverunt, nos cupientes ut ipsi ac pro tempore existentes dicte confraternitatis confratres in huiusmodi piorum operum exercitio confoveantur et magis ad ea imposterum exercenda necnon alii christifideles ad dictam confraternitatem ingrediendam peramplius invitentur, dictaque ecclesia in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus, ac dicta confraternitas ad quam dilectus filius Stephanus de Assentio frater dicti ordinis in provincia Sancte Fidei custos qui ex illis partibus ad Romanam Curiam personaliter accessit singularem gerit devotionis affectum in dies numerosior evadat ipsique christifideles eo libentius ad ecclesiam predictam seu capellam ac altare eiusdem confraternitatis eo libentius devotionis causa confluant, quo ex hoc dono celestis gratie conspexerint se uberius esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur die primo illorum ingressus, si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint, necnon tam illis quam ad presens existentibus ipsius confraternitatis confratribus etiam vere penitentibus et confessis ac sacra communione refectis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus aut aliquod penitentie signum faciendis plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur. Preterea tam ipsis confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus etiam ve-

re penitentibus et confessis qui ecclesiam seu capellam et altare huiusmodi in inventionis Sancte Crucis festivitate a primis vesperis usque ad occasum solis diei festivitatis huiusmodi annis singulis devote visitaverint et inibi pro conversione infidelium, Sancteque Matris Ecclesie exaltatione et inter christianos principes fovenda pace aliquas ad Deum preces effuderint, quo die festivitatis huiusmodi id fecerint si dictum Sanctissimum Sacramentum sumpserint decem annos et totidem quadragenas et insuper eisdem confratribus qui similiter vere penitentes et confessi ac refecti Eucharistie Sacramento huiusmodi ecclesiam seu capellam ac altare huiusmodi in exaltationis eiusdem Sancte Crucis et Sancti Iacobi ac Sanctorum Crispini et Crispiniani et Sancti Iohannis Evangeliste ultra festum Paschatis Resurrectionis Dominice visitaverint et ut supra oraverint septem annos et totidem quadragenas; postremo eisdem confratribus quoties divinis officiis in eadem ecclesia vel capella seu oratorio more confratrum celebrandis aut congregationibus publicis vel secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint vel alio casu prestiterint auxilium, consilium vel favorem aut ipsum Sanctissimum Sacramentum dum ad aliquem infirmum defertur associaverint vel qui hoc facere impediti campane ad id signo dato genuflexi semel orationem dominicam pro eodem infirmo recitaverint seu processionibus ordinariis vel extraordinariis tam predicte confraternitatis quam aliis quibuscumque de licentia ordinarii celebrandis et sepeliendis mortuis officiose interfuerint aut infirmos consolati fuerint in eorum adversitatibus, seu pauperes peregrinos hospitio exceperint ac elemosinis et officiis adiuverint, aut pacem cum inimicis composuerint vel quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro animabus confratrum dicte confraternitatis predictorum in ecclesia seu capella predicta recitaverint aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint et ignorantes Dei precepta et que ad salutem sunt docuerint seu quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint toties pro quolibet premissorum piorum operum sexaginta dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad non confratres ecclesiam seu capellam vel altare huiusmodi ut prefertur visitantes ad viginti annos attento quod in Indiis, in reliquis vero premissis perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod si confratribus vel aliis christifidelibus predictis ratione premissorum vel alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum nondum elapsum tempus duratura per nos concessa fuerit presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominice MDLXXXVII, kalendis maii, pontificatus nostri anno tertio.

483

Cum ad regendos fratres

Sec. Brev. 128 fol. 186rv, 199r — die 15 maii 1587
Bull. Rom. (ed. Taurinensis) VIII 855-856
Hernáez I 568

INDULTUM HABENDI VOCEM ACTIVAM ET PASSIVAM IN CAPITULO GENERALI

Pro Hieronymo de Guzmán commissario generali Ordinis Fratrum Minorum de Observantia et successoribus suis.

Sixtus V

Ad perpetuam rei memoriam. Cum ad regendos fratres minores de observantia degentes in partibus Indiarum sive totius novi orbis charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici ditioni subiectarum preter duos commissarios [1], XI ministros provinciales et duos custodes, qui totidem provinciis illarum partium presunt, etiam unus commissarius generalis deputari soleat secundum statuta in Congregatione Toletana instituta qui supremam in omnes personas regulares dicti ordinis in illis regionibus potestatem habeat, ac licet in Capitulis generalibus eiusdem ordinis quae pro tempore ce-

[1] Quatuor commissariatus Ordinum Dominicanorum, Franciscanorum, Carmelitarum et Iesuitarum anno 1568 a Philippo II instituta sunt pro sodalibus eorundem Ordinum in Indiis Occidentalibus. Sed commissarii pro tempore existentes, in aula regia in Hispania residentiam habere tenebantur, sicuti etiam ipse Patriarcha Indiarum Occidentalium. Patriarchatus quoque eodem anno definitive institutus est. Cfr. *Leturia,* Relaciones I 116-119.

lebrantur predictum commissarium generalem pro tempore existentem interesse deceat, ac eius presentia ex eo quod de rebus et negotiis deque statu et indigentiis ipsius ordinis plene instructus et informatus esse solet sit admodum fructuosa et quodammodo necessaria, vocem tamen activam et passivam in dicto Capitulo generali iuxta literas felicis recordationis Leonis Papae X nostri praedecessoris et forsan alia ipsius ordinis statuta minime habeat, non mediocriter expedire et rationi consonum esse iudicavimus, ut quoniam ex ministris provincialibus et custodibus quamplures ob locorum intervallum ac distantiam ad Capitula generalia accedere non possunt et plerumque eorum aliquis deest, saltem commissario generali predicto vox activa et passiva concedatur, presertim cum hoc ipsum valde gratum et acceptum predicto Philippo Regi fore existimemus et tam ultramontani, quam cismontani fratres communiter in hoc concurrant. Quare nos bono regimini eiusdem ordinis consulere volentes ac de religionis zelo, aliisque probitatis et virtutum meritis dilecti filii Hieronimi de Guzman moderni commissarii plurimum in Domino confisi motu proprio tam eidem Hieronimo, quam cuivis alteri pro tempore futuro commissario generali dicti ordinis in partibus predictis ut in generali, in domo beatae Mariae de Araceli de Urbe iam congregato Capitulo et quibuslibet aliis Capitulis generalibus, congregationibus et in omnibus actibus eorum capitularibus, quae in futurum ubilibet in locis celebrabuntur, in electione generalis ministri et alias in omnibus et per omnia vocem activam et passivam ac locorum congruentem prout aliis commissariis generalibus dicti ordinis dari solet omnino habeat et sua voce uti et locorum retinere libere et licite valeat, auctoritate Apostolica, tenore presentium, perpetuo concedimus et indulgemus. Decernentes predictum Hieronimum ac pro tempore existentem commissarium generalem ad vocem activam et passivam et locum huiusmodi per eos ad quos spectat omni et quacumque contradictione, appellatione aut recursu remotis recipi et admitti debere. Nec non irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus dicti Leonis predecessoris literis ac aliis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non dicti ordinis iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam tales voces cuipiam alteri quam certis personis tunc expressis concedi prohibentibus privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis eidem ordini aut illius superioribus ac personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda foret, tenores huiusmodi pro expressis ac ad verbum insertis haben-

tes ad effectum presentium dumtaxat latissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XV maii 1587, anno tertio.

484

Cum tu prope diem

Sec. Brev. 128 fol. 436r; 160 fol. 288rv die 23 maii 1587

LICENTIA DEFERENDI PECUNIAS

Pro Fratre Hieronymo de Guzmán commissario generali Ordinis Fratrum Minorum de Observantia in partibus Indiarum Occidentalium, erogandas per manus alicuius laici vel clerici saecularis.

Sixtus V

Dilecto filio Hieronimo de Guzman commissario generali in partibus Indiarum novi orbis fratrum minorum de observantia.

Dilecte fili salutem etc. Cum tu prope diem ut asseris ex Alma Urbe nostra ad quam, ut Capitulo generali vestri ordinis nuper celebrato interesses personaliter accessisti, in Hispanias sis rediturus, nos tuis commoditatibus quoad iter huiusmodi oportune consulere volentes tibi, ut aliquam pecuniarum summam tuo arbitrio sufficientem tibi per christifideles eleemosinae nomine elargitam tecum in itinere usque ad oppidum de Madrid, Toletan. diocesis, deferre, tamque prout opus erit per manus alicuius laici vel clerici secularis erogare pro te et sociis tuis, sine aliquo conscientiae scrupulo penarumve aut censurarum incursu libere et licite valeas licentiam et facultatem, auctoritate Apostolica, tenore presentium indulgemus. Non obstantibus vestra quam professi estis regula nec non constitutionibus et ordina-

tionibus Apostolicis vestrique ordinis ac provinciarum vel domorum huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia maii, pontificatus nostri anno tertio.

485

De omnium salute

Sec. Brev. 165 fol. 315rv die 1 iunii 1587

ALTARE PRIVILEGIATUM

Pro ecclesia domus Ordinis Fratrum Minorum de Observantia in urbe *México.*

Sixtus V

Ad perpetuam rei memoriam. De omnium salute paterna charitate soliciti inter multiplicia pietatis officia quae nos pro munere nostro convenit exercere sacra interdum loca speciali privilegio decoramus, ut inde fidelium animarum saluti peramplius consulatur. Quocirca ut ecclesia domus sancti Francisci Mexican. in Indiis maris Oceani ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum, in qua domo sexaginta fratres vel circa reperiuntur, quorum triginta et ultra in presbiteratus ordine constituti sunt ac in ea altare eiusdem sancti Francisci, quod maius non est, speciali dono illustretur precibus quoque dilectorum filiorum Roderici Duran et Christofori Hernandem dicti ordinis professorum procuratorum provinciae Sancti Evangelii nuncupate Mexican. eiusdem ordinis asserentium dictam ecclesiam primam in illis partibus Altissimo dicatam et in illa primo Evangelium Dei predicatum fuisse, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, auctoritate nobis a Domino tradita concedimus ut quoties ab aliquo sacerdote

tam dicti et quorumvis aliorum ordinum regulari, quam seculari, missa defunctorum ad praedictum altare celebrabitur pro anima cuiuscunque fidelis que Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ipsa de thesauro Ecclesiae indulgentiam plenariam consequatur in remissionem earum penarum pro quibus in Purgatorio detinetur. Datum Tusculi Anno Incarnationis Dominice 1587, kalendis iunii, Pontificatus Nostri Anno tertio.

486

Exponi nobis nuper

Sec. Brev. 129 fol. 260rv — die 13 iunii 1587

ABSOLUTIO A MALA PERCEPTIONE PECUNIAE

Sixtus V

Dilecto filio Hieronimo de Guzman commissario generali in partibus Indiarum novi orbis fratrum minorum de observantia.

Dilecte fili salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti te dum fungeris officio commissarii generalis fratrum minorum de observantia degentium in partibus Indiarum novi orbis charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici ditioni subiectarum plerunque in curia eiusdem Regis cum duobus sociis tuis residere consuevisse, idque negotiis fratrum in dictis partibus Indiarum commorantium valde expedire. Cum autem sicut eadem subiungebat expositio idem Philippus Rex pro indumentis et aliis rebus necessariis tibi et sociis tuis predictis, ac pro redimendis fasciculis literarum quae ex diversis partibus afferuntur, ac expensis aliarum rerum idem officium concernentium ducentos ducatos quotannis elargire consueverit, ex quibus partem aliquam sepius superesse contigerit, quam facto cum eodem

Rege verbo, ipsoque Rege annuente cum nostro et Apostolicae Sedis beneplacito in pios aliquos usus convertere desideras, nobis humiliter supplicasti quatenus tibi qui huiusmodi pecunias non tamen prava intentione eas tanquam proprias contra superiorum voluntatem retinendi hactenus percepisti et de commisso errore ab intimis doles veniam concedere et ut in posterum eas licite percipere atque, ut prefertur, erogare possis licentiam tribuere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati te ab excessibus huiusmodi et a quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris et penis ratione perceptionis dictarum pecuniarum quomodolibet incursis, auctoritate Apostolica, tenore presentium gratiose in utroque foro absolvimus et totaliter liberamus, tibique pecunias ipsas sic male perceptas ac penas quascunque per te incursas remittimus et condonamus omnemque inhabilitatis et infamiae maculam a te abstergimus et abolemus, teque in pristinum et eum in quo ante praemissa eras statum restituimus et plenarie reintegramus tibique quamdiu munere commissarii huiusmodi fungeris dictos ducentos ducatos quos ab ipso Rege annuatim persolvi contigerit auctoritate et tenore predictis gratiose ex mera nostra liberalitate donamus et elargimur, ita ut illos quotannis ministerio alicuius syndici per te pro tempore eligendi, recipiendi ac in usus predictos convertendi, partem vero quae superest tam ex dictis ducentis ducatis, quam etiam ex aliis eleemosinis, pecuniis et rebus quae ex ipsis partibus Indiarum afferuntur, quaeque ad tuam tanquam commissarii generalis dispositionem pertinent ab sublevandas necessitates et indigentias fratrum qui in Sancti Francisci de Avila, ubi habitum regularem ut asseris dicti ordinis suscepisti, quique in eiusdem Sancti Francisci Vallis Oleti oppidorum Palentin. diocesis, ubi litterarum studiis operam navasti provintiae Conceptionis tuo arbitrio pie distribuendi, erogandi et impartiendi sine aliquo conscientiae scrupolo aut penarum vel censurarum incursu libere et licite valeas, super quibus omnibus tibi plenam, liberam et absolutam licentiam et facultatem, auctoritate Apostolica, tenore presentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus vestra quam professi estis regula nec non constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, vestrique ordinis et provinciarum vel domorum huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum, die XIII iulii 1587, anno tertio.

487

Exponi nobis fecisti

Sec. Brev. 129 fol. 118r die 13 iunii 1587

LICENTIA MISSAM DOMI CELEBRANDI

Pro Antonio de Bazán, propter infirmitatem uxoris suae.

Sixtus V

Dilecto filio Antonio de Bazan in civitate Mexican. Indiarum Occidentalium commoranti.

Dilecte fili salutem etc. Exponi nobis fecisti, quod cum uxorem tuam valetudinariam habeas, cuperes pro tua et uxoris predictae spirituali consolatione missam in capella seu oratorio domus tuae celebrari facere posse. Quare nobis humiliter supplicari fecisti ut pro desiderio tuo huiusmodi annuere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur tibi specialem gratiam facere volentes huiusmodi supplicationibus inclinati tibi, ut in dicta capella seu oratorio ad id solum deputato et per ordinarium prius visitandum et approbandum per aliquem sacerdotem secularem vel cuiusvis ordinis regularem idoneum dominicis et aliis festis diebus in tua, tuaeque coniugis presentia celebrari facere, illamque audire libere et licite valeatis, Apostolica auctoritate, tenore presentium, licentiam concedimus et facultatem. Non obstantibus constitutionis et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc. die XIII iunii 1587, anno tertio.

488

Super gregem dominicum

Sec. Cam. 70 fol. 205rv — die 13 augusti 1587

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione sanctorum Cosmae et Damiani in ecclesia hospitalis Amoris Dei in civitate *México* instituta, cuius confratres curam habent ad missas pro defunctis confratribus celebrari facere aliaque pia opera exercere, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis christifidelibus etc. salutem etc. Super gregem dominicum etc. feliciter adipisci. Cum itaque sicut accepimus dudum in ecclesia hospitalis Amoris Dei nuncupati Mexicanensis in Indiis nove Hispanie una pia utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione Sanctorum Cosme et Damiani cuius dilecti filii confratres dicti hospitalis curam habere ad missas pro defunctis confratribus celebrari facere aliaque pia opera exercere consueverunt, nos cupientes ut ipsi ac pro tempore existentes dicte confraternitatis confratres in huiusmodi piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea imposterum exercenda, necnon alii christifideles ad dictam confraternitatem ingrediendam peramplius invitentur dictaque ecclesia in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad ecclesiam seu capellam et altare eiusdem confraternitatis devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere peni-

tentibus et confessis qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur die primi illorum ingressus si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint; necnon tam ipsis quam ad presens existentibus ipsius confraternitatis confratribus etiam vere penitentibus et confessis ac sacra communione refectis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus aut alii quod penitentie signum facientibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus et elargimur. Preterea tam ipsis confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus etiam vere penitentibus et confessis qui ecclesiam seu capellam ac altare huiusmodi in Sanctorum Philippi et Iacobi festivitate a primis vesperis usque ad occasum solis diei festivitatis eiusdem annis singulis devote visitaverint et inibi pro extirpatione heresum et hereticorum conversione, Sancteque Matris Ecclesie exaltatione et inter christianos principes fovenda pace aliquas ad Deum preces effuderint quo die festivitatis huiusmodi id fecerint si eodem die dictum Sanctissimum Sacramentum sumpserint septem annos et totidem quadragenas; necnon eisdem confratribus qui similiter vere penitentes et confessi sumpto Eucharistie Sacramento predicto ecclesiam seu capellam vel altare huiusmodi in annunciationis nativitatis, purificationis necnon assumptionis beate Marie virginis festivitatibus ultra festum Pasquatis Resurrectionis Dominice visitaverint et ut supra oraverint alios septem annos et totidem quadragenas. Insuper ipsis confratribus quoties divinis officiis in eadem ecclesia vel capella seu oratorio more confratrum celebrandis aut congregationibus publicis vel secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint vel alio casu prestiterint auxilium, consilium vel favorem aut ipsum Sanctissimum Sacramentum dum ad aliquem infirmum defertur associaverint vel qui hoc facere impediti campane ad id signo dato genu flexi semel orationem dominicam pro eodem infirmo recitaverint aut processionibus ordinariis et extraordinariis tam predicte confraternitatis quam aliis quibuscumque de licentia ordinarii celebrandis ac sepeliendis mortuis officiose interfuerint aut infirmos consolati fuerint in eorum adversitatibus vel pauperes peregrinos hospitio exceperint ac elemosinis et officiis adiuverint aut pacem cum inimicis composuerint vel quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro animabus confratrum dicte confraternitatis defunctorum in ecclesia seu capella predicta recitaverint aut denium aliquem ad viam salutis reduxerint et ignorantes Dei precepta et que ad salutem sunt docuerint vel quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint toties pro quolibet premissorum piorum operum sexaginta dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino re-

laxamus presentibus quoad non confratres ecclesiam seu capellam vel altare huiusmodi ut prefertur visitantes ad viginti annos, in reliquis vero premissis perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod si confratribus aut aliis christifidelibus predictis ratione premissorum vel alias aliqua alia indulgentia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerint eodem presentes nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Marcum, Anno etc. millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, idibus augusti, pontificatus nostri anno tertio.

489

Considerantes nostrae mortalitatis

Sec. Cam. 70 fol. 315r-316r — die 13 augusti 1587

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione sanctorum Cosmae et Damiani in ecclesia hospitalis Amoris Dei in civitate *México* instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem. Considerantes nostre mortalitatis fragilitatem et humani generis conditionem districtique severitatem iudicii pie cupimus fideles quoslibet iudicium ipsum bonis operibus et piis precibus prevenire ut per illa eorum peccata debeantur ipsique ad celestem patriam facilius pervenire mereantur. Cum itaque sicut accepimus dudum in ecclesia hospitalis Amoris Dei nuncupati Mexicanensis in Indiis nove Hispanie una pia utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione Sanctorum Cosme et Damiani canonice in-

stituta fuerit cuius dilecti filii confratres dicti hospitalis curam habere ac missas pro defunctis confratribus celebrari facere aut alia pia opera exercere consueverint ut igitur ipsi ac pro tempore existentes dicte confraternitatis confratres in huiusmodi piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea imposterum exercenda aliique christifideles ad dictam confraternitatem ingrediendam peramplius invitentur ipsaque ecclesia in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad ecclesiam seu capellam ac altare dicte confraternitatis devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie conspexerint se uberius refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis dicti sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur die primi illorum ingressus si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint ac tam ipsis quam ad presens existentibus ipsius confraternitatis confratribus etiam vere penitentibus et confessis ac sacra communione refectis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus aut aliquod penitentie signum facientibus indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum suorum auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus. Preterea ipsis confratribus quoties divinis officiis in dicta ecclesia seu cappella vel oratorio more confratrum celebrandis aut congregationibus publicis vel secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint seu alio casu prestiterint auxilium, consilium vel favorem aut ipsum Sanctissimum Sacramentum dum ad aliquem infirmum defertur associaverint seu qui hoc facere impediti campane ad id signo dato genu flexi semel orationem dominicam pro eodem infirmo recitaverint aut processionibus ordinariis et extraordinariis tam predicte confraternitatis quam aliis quibuscumque de licentia ordinarii celebrandis ac sepeliendis mortuis officiose interfuerint aut infirmos consolati fuerint in eorum adversitatibus vel pauperes peregrinos hospitio exceperint ac elemosinis et officiis adiuverint aut pacem cum inimicis composuerint seu quinquies orationem predictam et toties salutationem angelicam pro animabus confratrum eiusdem confraternitatis in ecclesia seu cappella predicta recitaverint vel demum aliquem ad viam salutis reduxerint et ignorantes Dei precepta et que ad salutem sunt docuerint aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint toties pro quolibet premissorum piorum operum sexaginta dies; insuper tam ipsis confratribus quam aliis dicti sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui predictam ecclesiam seu cappellam ac altare in die festivitatis Sanctorum Philippi et Iacobi a primis vesperis usque ad occasum solis diei festivitatis huiusmodi

annis singulis devote visitaverint et inibi pro extirpatione heresum et hereticorum conversione, Sancteque Matris Ecclesie exaltatione et inter christianos principes facienda pace aliquas ad Deum preces effuderint quo die festivitatis huiusmodi id fecerint si eodem die predictum Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint septem annos et totidem quadragenas; necnon eisdem confratribus qui pariter vere penitentes et confessi sumpto eodem Eucharistie Sanctissimo Sacramento ecclesiam seu capellam ac altare huiusmodi in commemorationis omnium fidelium defunctorum ac annunciationis et assumptionis ac conceptionis beate Marie virginis festivitatum diebus ultra festum Paschatis Resurrectionis visitaverint et ut prefertur oraverint alios septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis auctoritate et tenore premissis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad non confratres ut prefertur visitantes ad viginti annos, quoad confratres vero predictos perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus ac aliis christifidelibus predictis ratione premissorum vel alias aliqua alia indulgentia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit eodem presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, idibus augusti, pontificatus nostri anno tertio.

490

De omnium salute

Sec. Brev. 169 fol. 106rv die 5 septembris 1587

ALTARE PRIVILEGIATUM

Ecclesia sancti Petri domus probationis Societatis Iesu in oppido *Tepoztlán*, dioecesis de *México*, altare privilegiato perpetuo decoratur.

Sixtus V

Ad perpetuam rei memoriam. De omnium salute christifidelium paterna charitate soliciti inter multiplicia pietatis officia que nos pro munere nostro convenit exercere sacra interdum loca speciali privilegio decoramus ut inde fidelium animarum saluti peramplius consulatur. Quocirca ut ecclesia Sancti Petri domus probationis Societatis Iesu oppidi de Tepoztlan, Mexican. diocesis, simili usque adhuc privilegio minime decorata et in ea altare beatae Mariae virginis, quod non est maius, hoc speciali dono illustretur, auctoritate nobis a Domino tradita concedimus ut quoties ab aliquo sacerdote missa defunctorum ad predictum altare celebrabitur pro anima cuiuscunque fidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit ipsa de thesauro Ecclesiae indulgentiam plenariam consequatur in remissionem earum penarum pro quibus in Purgatorio detinetur. Datum Romae apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, Nonis septembris, Pontificatus Nostri Anno tertio [1].

---

[1] Litterae supplices: ibid. intra fol. 105rv et 106r.

491

De omnium salute

Sec. Brev. 169 fol. 301r — die 11 novembris 1587

ALTARE PRIVILEGIATUM PRO ECCLESIA SANCTAE LUCIAE IN *MÉRIDA*

Summus Pontifex, ad providendum saluti fidelium animarum, ecclesiam sanctae Luciae civitatis de *Mérida* in provincia *Yucatán* altare privilegiato decorat, ad quod sacerdos missam defunctorum celebrans indulgentiam plenariam pro anima fidelis defuncti consequatur.

Sixtus V

Ad perpetuam rei memoriam. De omnium salute christifidelium paterna charitate soliciti inter multiplicia pietatis officia que nos pro munere nostro convenit exercere sacra interdum loca speciali privilegio decoramus ut inde fidelium animarum saluti peramplius consulatur. Quocirca ut ecclesia Sanctae Luciae civitatis de Merida provinciae de Yucatan simili usque ad huc privilegio minime decorata in ea altare per dilectos filios administratores seu deputatos ipsius ecclesiae semel tantum designandum quod maius non sit hoc speciali dono illustretur auctoritate nobis a Domino tradita concedimus, ut quoties ab aliquo sacerdote missa defunctorum ad praedictum altare celebrabitur pro anima cuiuscumque fidelis quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit ipsa de thesauro ecclesiae indulgentiam plenariam consequatur in remissionem earum poenarum pro quibus in purgatorio detinetur. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. anno Incarnationis Dominice 1587, tertio idus novembris pontificatus nostri anno tertio.

492

De omnium salute

Sec. Brev. 165 fol. 155r — die 5 ianuarii 1588

ALTARE PRIVILEGIATUM

Pro ecclesia domus Ordinis Fratrum Minorum Discalceatorum in oppido *Chilopresco* dioecesis de *México*.

Sixtus V

Ad perpetuam rei memoriam. De omnium salute christifidelium paterna charitate soliciti inter multiplicia pietatis officia quae nos pro munere nostro convenit exercere sacra interdum loca speciali privilegio decoramus ut inde fidelium animarum saluti peramplius consulatur. Quo circa ut ecclesia domus ordinis fratrum minorum Sancti Francisci Discalciatorum nuncupatorum castri Sancti Matthei Hinchilopresco, Mexican. diocesis, simili usque adhuc privilegio minime decorata et in ea altare sanctae Mariae virginis, quod non est maius hoc speciali dono illustretur auctoritate nobis a Domino tradita concedimus, ut quoties ab aliquo sacerdote missa defunctorum ad predictum altare celebrabitur pro anima cuiuscunque fidelis quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit ipsa de thesauro Ecclesiae efficacissimis Iesu Christi Domini nostri meritis ac eiusdem beatae Mariae semper virginis, sanctorum apostolorum, martirum, confessorum, virginum omniumque sanctorum et sanctarum precibus ac intercessionibus suffragantibus indulgentiam plenariam consequatur in remissionem earum poenarum pro quibus in Purgatorio detinetur. Volumus autem quod presentes litere nullo in loco praeterquam apud dictum altare publicentur. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, nonis ianuarii, Pontificatus Nostri Anno tertio.

493

Iam pridem literas

Sec. Brev. 132 fol. 197rv; 133 fol. 268r [1] die 18 februarii 1588

BREVE RESPONSIVUM

Pro episcopis, in Concilio Provinciali in civitate *México* congregatis.

[1] Cum die 8 februarii.

Sixtus V

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Mexican. et episcopis comprovincialibus novae Hispaniae.

Venerabiles fratres salutem etc. Iam pridem literas vestras, Mexici in Concilio Provinciali [2] cum essetis, ad nos tam multo ante scriptas, accepimus quibus quamprimum rescripsimus. Cum autem alterae eiusdem generis ad nos nuper a vobis allatae sint, breve nostrum quo respondimus vos non habuisse facile animadvertimus. Quare illius exemplum alterum ad vos damus ex quo cum responsionem nostram cognoscatis tum perspectam habeatis nostram qua vos eximiae in Christo diligimus fraternam charitatem. Quae autem nobis per charissimi in Christo filii nostri Regis Catholici oratorem aut vestrum specialem procuratorem significanda vel exhibenda censuistis, ea iam tam longo temporis spatio nondum plane accepimus. Cum vero acceperimus, vobis quoad pro huius Sanctae Sedis dignitate fieri poterit, nullo loco deerimus, omnia enim semper et vestra et provinciae vobis commissae causa cum sollicite semper curaturi sumus, tum vero facturi quam libentissime. Nec vero dubitamus quin vos eum optime agendi cursum teneatis ut expectationem, quam de vobis apud nos concitastis egregie sustineatis, vel potius superetis. Nihil enim vobis quemadmodum facitis impensius curandum est, quam ut et in Christi regno propagando et in salute animarum procuranda constet fructus sanctae solicitudinis vestrae. Valete in Domino. Roma apud Sanctum Petrum etc., die 18 februarii 1588, anno tertio.

[2] Tertium Concilium Provinciale Mexicanum anno 1585 celebratum est. *W. Henkel,* Die Konzilien in Lateinamerika. Teil I. Mexiko 1555-1897 (Paderborn 1984) 83-139.

494

Cum propter singularem

Sec. Brev. 134 fol. 25-27; 135 fol. 15rv — die 19 martii 1588

CONCESSIONES PARTICULARES

Pro abbatissa et monialibus monasterii de Regina Coeli Ordinis Conceptionis in civitate *México*, ut die 21 octobris perpetuo festum sanctae Ursulae et sociarum sub duplici officio in matutinis, missa aliisque horis canonicis, servato tamen alias ordine breviarii, celebrare ac commemorationem sancti Hilarionis dumtaxat facere possint.

Sixtus V

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii de Regina Coeli Mexican. ordinis Conceptionis beatae Mariae virginis.

Dilectae in Christo filiae salutem etc. Cum propter singularem, quem erga Sanctam Ursulam et socias suas undecim mille virgines et martyres geritis devotionis affectum, die 21 mensis octobris festum earum in matutinis missa et aliis horis canonicis sub duplici officio celebrare cupiatis, hocque vestrum desiderium pro eo, quod eo die officium Sancti Hilarionis abbatis ex praescripto novi breviarii romani recitari et commemoratio dictarum virginum et martyrum tantum fieri debet, hac in parte adimplere nequeatis absque nostra et Sedis Apostolicae licentia speciali. Nos hanc piam devotionem promovere volentes ac vestris hac in parte supplicationibus inclinati vobis, ut de caetero et perpetuis futuris temporibus die 21 mensis octobris predicti festum praedictarum Ursulae ac sociarum suarum undecim mille virginum et martyrum sub duplici officio in matutinis, missa, aliisque horis canonicis, servato tamen alias ordine dicti breviarii, annuatim

celebrare et commemorationem Sancti Hilarionis abbatis dumtaxat facere absque ullo conscientiae scrupulo aut censurarum vel poenarum ecclesiasticarum incursu libere et licite valeatis, Apostolica auctoritate, tenore presentium de speciali gratia indulgemus. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 19 martii 1588, anno tertio.

495

Reddituri de commisso

Sec. Cam. 69 fol. 429/bis v-430r — die 20 aprilis 1588

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sanctae Fidei seu Sancti Salvatoris nuncupata, in civitate *Lima* pro christifidelibus mauris (africanis) noviter ad fidem conversis utriusque sexus instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis etc. salutem etc. Reddituri de commisso nobis grege dominico etc. ultionem. Cum itaque sicut accepimus in civitate Liman. partium Indiarum una pia utriusque sexus christifidelium morenorum ad fidem noviter conversorum confraternitas Sancte Fidei seu Sancti Salvatoris nuncupata canonice instituta existat ac dilecti filii illius confratres continuo in fide et doctrina christiana instruantur ut igitur ipsa confraternitas ad Dei omnipotentis laudem ac fidei catholice in illis partibus incrementum et animarum salutem magis in dies augeatur ac tam mauri quam alii christifideles ad eandem confraternitatem ingrediendam peramplius invitentur, quo ex hoc dono cėlestis

gratie conspexerint se uberius esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus qui dictam confraternitatem ingredientur die primi illorum ingressus si vere penitentes et confessi Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint ac tam illis quam ad presens et pro tempore existentibus eiusdem confraternitatis confratribus etiam vere penitentibus et confessis ac sacra communione si id commode fieri potuerit refectis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus aut aliud penitentie signum facientibus, preterea tam ipsis confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus qui similiter vere penitentes et confessi et eadem communione refecti ecclesiam in qua ipsa confraternitas instituta existit in festivitate assumptionis beate Marie virginis devote visitaverint et pias inibi ad Deum preces pro extirpatione heresum, hereticorum reductione, infidelium conversione, Sancteque Matris Ecclesie exaltatione et inter principes christianos fovenda pace effuderint, qua festivitate predicta id fecerint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et impartimur. Postremo eisdem confratribus qui processionibus feria quinta seu sexta in Parasceve ac in festivitate Corporis Christi celebrandis saccis induti cum luminaribus intervenerint ac aliquam ecclesiam seu locum pium ad eorum arbitrium visitaverint, necnon religiosis seu clericis qui dictos mauros confratres ea que ipsius fidei sunt edocuerint vel ipsos in eorum infirmitatibus consolati fuerint aut aliquod auxilium prestiterint centum annos de eis iniunctis seu alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad non confratres dictam ecclesiam ut prefertur visitantes ad vigintos annos, quo ad alios vero premissa peragentes perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si ingredientibus dictam confraternitatem aut aliud ex premissis peragentibus vel alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit presentes nostre nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, duodecimo kalendas maii, pontificatus nostri anno tertio.

496

Reddituri de commisso

Sec. Cam. 69 fol. 429v-429/bis v die 20 aprilis 1588

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

In ecclesia Civitatis Regum (*Lima*), sub invocatione sancti Iosephi instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis christifidelibus etc. salutem et apostolicam benedictionem. Reddituri de commisso nobis grege dominico in extremo iudicio rationem summis ut tenemur affectibus singulos christifideles quos a iustitie limitibus hostis humani generis sepe divertit nostro piissimo Redemptori qui non mortem sed penitentiam desiderat peccatorum ab omni labe mundatos restituere eosque sibi acceptabiles et bonorum operum cupimus efficere sectatores ut pergrata et accepta Deo opera illius qui misericordiarum Pater est gratiam et misericordiam valeant facilius reperire et nos missa ratione reddenda divine iustitie possimus evadere ultionem. Cum itaque sicut in ecclesia Civitatis Regum una pia utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione Sancti Iosephi ad Dei omnipotentis laudem et animarum salutem proximique subventionem non tamen pro hominibus unius specialis artis canonice instituta existat, ac dilecti filii illius confratres quam plurima charitatis, pietatis et misericordie opera exercere consueverint, nos cupientes ut predicti ac pro tempore existentes dicte confraternitatis confratres in huiusmodi piorum operum exercitio foveantur ac magis ad ea imposterum exercenda necnon alii christifideles ad eandem confraternitatem ingrediendam peramplius invitentur, dictaque ecclesia

seu in ea situm altare vel capella predicte confraternitatis in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique ad ecclesiam seu altare vel capellam huiusmodi eo libentius devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie conspexerint se uberius esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur die primi illorum ingressus, si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint, necnon tam ipsis quam ad presens existentibus eiusdem confraternitatis confratribus etiam vere penitentibus et confessis ac sacra communione si id commode fieri potuerit refectis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus aut aliquod aliud penitentie signum facientibus, preterea tam ipsis confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis ac sacra communione refectis qui ecclesiam seu altare vel capellam huiusmodi in festivitate eiusdem Sancti Iacobi a primis vesperis usque ad occasum solis dicte festivitatis annis singulis devote visitaverint et pias ibi preces ad Deum pro heresum extirpatione, hereticorum reductione, infidelium conversione, Sancte Matris Ecclesie exaltatione et inter principes christianos fovenda pace effuderint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus et elargimur. Postremo ipsis confratribus quoties divinis officiis in dicta ecclesia seu ad altare vel in capella huiusmodi more confratrum celebrandis aut congregationibus publicis vel secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint vel alio casu prestiterint auxilium, consilium vel favorem aut ipsum Sanctissimum Sacramentum dum ad aliquem infirmum defertur associaverint aut qui hoc facere impediti campane ad id signo dato genuflexi semel orationem dominicam et salutationem angelicam pro eodem infirmo recitaverint aut processionibus ordinariis vel extraordinariis tam confraternitatis predicte quam aliis quibuscumque de licentia ordinarii celebrandis ac sepeliendis mortuis officiose interfuerint vel infirmos consolati fuerint in eorum adversitatibus aut pauperes peregrinos hospitio exceperint ac elemosinis et officiis adiuverint seu pacem cum inimicis composuerint vel quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro animabus confratrum dicte confraternitatis in ecclesia seu capella vel ad altare huiusmodi recitaverint aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint et ignorantes Dei precepta et que ad salutem sunt docuerint aut quodcumque aliud charitatis vel pietatis opus exercuerint toties pro quolibet premissorum piorum operum centum annos de eis iniunctis seu alias

quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quo ad non confratres ecclesiam seu altare vel capellam huiusmodi in dicta festivitate visitantes ad viginti annos, quo ad alios vero premissa peragentes perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod si ingredientibus dictam confraternitatem aut aliud ex premissis peragentibus vel alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice 1588, duodecimo kalendas maii, pontificatus nostri anno tertio.

497

Cum itaque sicut

Sec. Cam 69 fol. 455v-456v — die 24 maii 1588

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

In cappella hospitalis sancti Nicolai civitatis Sancti Dominici, sub invocatione Conceptionis Beatae Mariae Virginis instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis etc. benedictionem etc. Cum itaque sicut accepimus in oratorio seu cappella hospitalis Sancti Nicolai civitatis Sancti Dominici in insula Hispania Indiarum Occidentalium maris Oceani una pia et devota utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione Conceptionis beate Marie virginis canonice non tamen pro hominibus unius specialis artis erecta et instituta existat, cuius dilecti filii confratres in bonis operibus se student exercere, nos cupientes ut dicti confratres in huiusmodi et aliorum piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea necnon alii christifideles promptius ad confraterni-

tatem predictam ingrediendum incitentur, ipsaque confraternitas salutaribus in Domino magis in dies proficiat incrementis ac oratorium seu cappella huiusmodi in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad illud seu illam devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerint se esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui eandem confraternitatem pro tempore imperpetuum ingredientur et in ea recipientur die primi eorum ingressus et receptionis huiusmodi si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint plenariam ac tam ipsis quam omnibus et singulis aliis nunc et pro tempore existentibus eiusdem confraternitatis utriusque sexus confratribus pro tempore ubilibet decedentibus etiam vere penitentibus et confessis ac sacra communione si id commode fieri potuerit refectis in eorum mortis articulo pium nomen Iesu corde, si ore non potuerint, invocantibus etiam plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus et elargimur. Preterea tam ipsis confratribus quam universis et singulis aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui oratorium seu cappellam dicte confraternitatis die festivitatis Conceptionis eiusdem beate Marie virginis a primis vesperis usque ad occasum solis diei festivitatis huiusmodi quolibet anno pro tempore devote visitaverint et ibi pias ad Deum preces pro Sancte Romane Ecclesie ac fidei catholice felici statu et exaltatione illiusque inimicorum depressione ac inter principes christianos servanda pace, concordia et unione, heresumque extirpatione, hereticorum reductione et infidelium conversione effuderint quo die festivitatis huiusmodi id pro tempore fecerint si dictum Sanctissimum Sacramentum sumpserint similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem dicta auctoritate earundem tenore presentium et concedimus et elargimur; illis autem omnibus et singulis confratribus predictis qui pariter vere penitentes et confessi dictum Sanctissimum Sacramentum in visitationibus, annunciationis, nativitatis et assumptionis eiusdem beate Marie virginis festivitatibus ultra festum Paschatis Resurrectionis Dominice seu in aliqua vel aliquibus illarum pro tempore sumpserint qualibet vice viginti annos et totidem quadragenas; illis vero qui missis et aliis divinis officiis in oratorio seu cappella huiusmodi ex consuetudine vel instituto seu intuitu dicte confraternitatis pro tempore celebrandis et recitandis seu congregationibus publicis vel secretis eiusdem confraternitatis ubivis faciendis interfuerint aut etiam pauperes puellas dotave-

rint vel matrimonio collocaverint aut pauperes hospitio susceperint seu pacem cum inimicis propriis aut alienis composuerint vel componi fecerint aut procuraverint, necnon etiam qui corpora defunctorum tam confratrum quam aliorum ad sepulturam associaverint vel quascumque processiones per ipsam confraternitatem pro tempore de licentia ordinarii celebrandas dictumque Sanctissimum Sacramentum quando tam in processionibus quam ad infirmos aut alias ubicumque et quandocumque pro tempore deferetur comitati fuerint seu impediti per alium vel alios associari fecerint aut campane ad id signo dato semel orationem dominicam et salutationem angelicam dixerint quoties premissa vel aliquod premissorum egerint centum dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus quoad confratres oratorium seu cappellam huiusmodi ut prefertur visitantes ad viginti annos a die notificationis earumdem presentium in oratorio seu cappella huiusmodi faciende computandos, in reliquis vero premissis perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod si confratribus aut aliis christifidelibus predictis ratione premissorum vel alias aliqua alia indulgentia imperpetuum vel ad certum nondum elapsum tempus duratura per nos concessa fuerit eodem presentes nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice 1588, nono kalendas iunii, pontificatus nostri anno quarto.

498

Cum itaque sicut

Sec. Cam. 69 fol. 453v-454v — die 24 maii 1588

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione Conceptionis Beatae Virginis Mariae in ecclesia monasterii sancti Francisci civitatis *Lima* instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis etc. salutem etc. feliciter adipisci. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia domus seu monasterii Sancti Francisci civitatis de Lima in regno del Perù Indiarum Occidentalium maris Oceani una pia et devota utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione conceptionis beate virginis Marie canonice non tamen pro hominibus unius specialis artis erecta et instituta existat, cuius dilecti filii confratres in bonis operibus se student exercere, nos cupientes ut dicti confratres in huiusmodi et aliorum piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea necnon alii christifideles promptius ad confraternitatem predictam ingrediendum incitentur, ipsaque confraternitas salutaribus in Domino magis in dies proficiat incrementis, ac dicta ecclesia in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad illam devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerint se esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui eandem confraternitatem pro tempore imperpetuum ingredientur et in ea recipientur die primi eorum ingressus et receptionis huiusmodi si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint plenariam, ac tam ipsis quam omnibus et singulis aliis nunc et pro tempore existentibus eiusdem confraternitatis utriusque sexus confratribus pro tempore ubilibet decedentibus etiam vere penitentibus et confessis ac sacra communione si commode fieri poterit refectis in eorum mortis articulo pium nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus, preterea tam ipsis confratribus quam universis et singulis aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui capellam seu oratorium dicte confraternitatis feria sexta maioris hebdomade a primis vesperis usque ad occasum solis ferie huiusmodi quolibet anno pro tempore devote visitaverint et pias ibi ad Deum preces pro Sancte Romane Ecclesie ac fidei catholice felici statu et exaltatione illiusque inimicorum depressione ac inter christianos principes servanda pace, concordia et unione, heresumque extirpatione, hereticorum reductione et infidelium conversione effuderint, qua die ferie huiusmodi id pro tempore fecerint etiam plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus et elargimur; illis autem omnibus et singulis confratribus predictis qui pariter vere penitentes et confessi dictum Sanctissimum Sacramentum in conceptionis,

annunciationis, nativitatis et assumptionis beate virginis Marie huiusmodi festivitatibus ultra festum Paschatis Resurrectionis Dominice seu in aliqua vel aliquibus illarum pro tempore sumpserint qualibet vice septem annos et totidem quadragenas, illis vero qui missis et aliis divinis officiis in cappella seu oratorio huiusmodi ex consuetudine vel instituto seu intuitu dicte confraternitatis pro tempore celebrandis seu congregationibus publicis vel secretis eiusdem confraternitatis ubivis faciendis interfuerint etiam pauperes puellas dotaverint vel matrimonio collocaverint aut pauperes hospitio susceperint seu pacem cum inimicis propriis aut alienis composuerint seu componi fecerint vel procuraverint, necnon etiam qui corpora defunctorum tam confratrum quam aliorum ad sepulturam associaverint vel quascumque processiones per ipsam confraternitatem pro tempore [...] deferetur comitati fuerint seu impediti per alium seu alios associari fecerint aut campane ad id signo dato semel orationem dominicam et salutationem angelicam dixerint quoties premissa vel aliquod premissorum egerint sexaginta dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad non confratres capellam seu oratorium huiusmodi ut prefertur visitantes ad viginti annos a die notificationis earumdem presentium in dicta ecclesia faciende computandos, in aliquis vero premissis peragendis perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod si confratribus aut aliis christifidelibus predictis ratione premissorum vel alias aliqua alia indulgentia imperpetuum vel ad certum nondum elapsum tempus duratura per nos concessa fuerit eodem presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice 1588, nono kalendas iunii, pontificatus nostri anno quarto.

499

Dum praecelsa meritorum

Sec. Cam. 69 fol. 454v-455v die 24 maii 1588

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

In ecclesia monasterii civitatis *Santiago de Chilequos*, sub invocatione Conceptionis Beatae Mariae instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis etc. salutem etc. benedictionem. Dum precelsa meritorum insignia quibus regina celorum virgo Maria Dei genetrix sedibus prelata sidens quasi stella matutina prerutilat attente considerationis indagine perscrutamur, ac intra mentis nostre archana revolvimus quod ipsa mater gratie et misericordie amica pietatis ac humani generis consolatrix pro salute omnium christifidelium qui delictorum oneribus pregravantur sedula et pergivil exoratrix ad regem quem gemit quemque adoravit ac maternis lactavit uberius intercedit dignum quin potius debitum reputamus ut ecclesias et oratoria necnon altaria in laudem sui nominis dicata spiritualibus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus decoremus ut fideles ipsi ecclesias ac oratoria necnon altaria huiusmodi devote visitantes quod suis meritis in celestibus consequi nequerunt ipsius beatissime virginis matris intercessionibus adiuti feliciter impetrare mereantur. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia domus seu monasterii civitatis de Santiago de Chilequos in regno del Pirù Indiarum Occidentalium maris Oceani una pia et devota utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione Conceptionis beate Marie canonice non tamen pro hominibus unius specialis artis erecta et instituta existat, cuius dilecti filii confratres in bonis operibus se student exercere, nos cupientes ut dicti confratres in huiusmodi et aliorum piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea necnon alii christifideles promptius ad confraternitatem predictam ingrediendum incitentur ipsaque confraternitas salutaribus in Domino magis in dies proficiat incrementis, ac dicta ecclesia in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad eam devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerint se esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui eandem confraternitatem pro tempore imperpetuum ingredientur et in ea recipientur die primi eorum ingressus et receptionis huiusmodi, si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint plenariam ac tam ipsis quam omnibus et singulis aliis nunc et pro tempore existentibus eiusdem confraternitatis confratribus utriusque sexus pro tempore ubilibet decedentibus etiam vere penitentibus et confessis ac sacra communione refectis in eorum mortis articulo pium nomen Iesu corde, si ore non potuerint, invocantibus, preterea tam ipsis confratribus

quam universis et singulis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui capellam seu oratorium dicte confraternitatis in feria sexta maioris hebdomade a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem ferie quolibet anno pro tempore devote visitaverint et ibi pias ad Deum preces pro Sancte Romane Ecclesie ac fidei catholice felici statu et exaltatione illiusque inimicorum depressione ac inter christianos principes conservanda pace, concordia et hunione, heresumque extirpatione, hereticorum reductione et infidelium conversione effuderint, quo die ferie huiusmodi id pro tempore fecerint si tunc idem dictum Sanctissimum Sacramentum sumpserint etiam plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus et elargimur; illis autem omnibus et singulis predictis qui pariter vere penitentibus et confessis dictum Sanctissimum Sacramentum in nativitatis Sancti Ioannis Baptiste, Sanctique Ludovici episcopi et conceptionis ac annunciationis beate Marie huiusmodi festivitatibus ultra festum Paschatis Resurrectionis Dominice seu in aliqua vel aliquibus illarum pro tempore sumpserint qualibet vice viginti annos et totidem quadragenas; illis vero qui missis et aliis divinis officiis in cappella seu oratorio huiusmodi ex consuetudine vel instituto seu intuitu dicte confraternitatis pro tempore celebrandis et recitandis seu congregationibus publicis vel secretis eiusdem confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut etiam pauperes puellas dotaverint vel matrimonio collocaverint aut pauperes hospitio susceperint vel pacem cum inimicis propriis aut alienis composuerint seu componi fecerint vel procuraverint, necnon etiam qui corpora defunctorum tam confratrum quam aliorum ad sepulturam associaverint vel quascumque processiones per ipsam confraternitatem pro tempore de licentia ordinarii celebrandas dictumque Sanctissimum Sacramentum quando tam in processionibus quam ad infirmos ac alias ubicumque et quandocumque pro tempore deferetur comitati fuerint seu impediti per alium seu alios associari fecerint aut campane ad id signo dato semel orationem dominicam ac salutationem angelicam dixerint quoties premissa vel aliquod premissorum egerint centum dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad non confratres capellam seu oratorium huiusmodi ut prefertur visitantes ad viginti annos a die notificationis earumdem presentium in dicta ecclesia faciende computandos, in reliquis vero premissis perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod si confratribus aut aliis christifidelibus predictis ratione premissorum vel alias aliqua alia indulgentia imperpetuum vel ad certum nondum elapsum tempus duratura per nos concessa fuerit eodem presentes littere nul-

lius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice 1588, nono kalendas iunii, pontificatus nostri anno quarto.

500

De salute gregis dominici

Sem. Cam 72 fol. 7rv — die 13 iunii 1588

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione Verae Crucis in ecclesia domus Fratrum Ordinis Sancti Francisci civitatis Quitensis erecta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis etc. salutem etc. De salute gregis dominici cure nostre meritis licet imparibus etc. pervenire mereantur. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia domus fratrum ordinis seu sub regula Sancti Francisci civitatis Quitensis in Indiis maris del Sur et provincie del Perù una pia utriusque sexus christifidelium confraternitas tam antiquorum christianorum quam etiam aliorum illarum partium nationum ad fidem noviter conversorum sub invocatione vere crucis ad Dei omnipotentis laudem et animarum salutem proximique subventionem non tamen pro hominibus unius specialis artis canonice instituta existat et dilecti filii illius confratres quam plurima pietatis et misericordie opera exercere consueverunt. Nos igitur cupientes ut ipsi et pro tempore existentes dicte confraternitatis confratres in huiusmodi piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea imposterum exercenda necnon alii christifideles ad dictam confraternitatem ingrediendam

peramplius invitentur, dictaque ecclesia in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad ecclesiam predictam seu in ea sitam capellam vel altare eiusdem confraternitatis devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerint se esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis christifidelibus qui antiqui christiani videlicet vere penitentes et confessi ac sacra communione refecti, noviter ad fidem conversi vero ex quo de consilio ordinarii seu confessorum ad Sanctissimi Eucharistie Sacramenti refectionem non admittuntur tantum confessi et contriti dictam confraternitatem ingredientur die primo illorum ingressus, necnon tam ipsis quam ad presens existentibus ipsius confraternitatis confratribus etiam vere penitentibus et confessis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde si ore nequiverint invocantibus aut aliquod penitentie signum facientibus indulgentiam plenariam et omnium peccatorum suorum remissionem Apostolica Auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur; et insuper tam ipsis confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus etiam vere penitentibus et confessis et quo ad antiquos christianos sacra communione refectis, qui ecclesiam vel cappellam seu altare huiusmodi in festo exaltationis Sancte Crucis a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi festi singulis annis devote visitaverint et inibi pro extirpatione heresum et hereticorum conversione, Sancteque Matris Ecclesie exaltatione et inter christianos principes facienda pace aliquas ad Deum preces effuderint quo die predicto id fecerint quo ad confratres perpetuo, quo vero ad non confratres ad viginti annos a die prime publicationis presentium in ecclesia confraternitatis huiusmodi inchoandis tantum pro primis decem annis videlicet etiam plenariam indulgentiam et omnium peccatorum suorum remissionem, pro reliquis vero decem annis et non confratribus septem annos et totidem quadragenas, preterea eisdem confratribus qui similiter penitentes et confessi et quo ad eis qui ibidem admittuntur sacra communione refecti ecclesiam vel capellam seu altare huiusmodi in Domini nostri Iesu Christi et Sancti Ioannis Baptiste nativitatum ac annunciationis beate Marie virginis necnon Sanctorum Petri et Pauli apostolorum festivitatibus visitaverint et, ut supra, oraverint, alios septem annos et totidem quadragenas, ipsisque confratribus quoties divinus officiis in eadem ecclesia seu cappella vel oratorio more confratrum celebrandis aut congregationibus publicis vel secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint vel ipsum Sanctissimum Sacramentum dum ad aliquem infirmum defertur associaverint aut qui hoc facere impediti campane ad id signo dato genu flexi semel orationem dominicam et

salutationem angelicam pro eodem infirmo recitaverint aut processionibus ordinariis et extraordinariis tam predicte confraternitatis quam aliis quibuscumque de licentia ordinarii celebrandis ac sepeliendis mortuis officiose interfuerint aut infirmos consolati fuerint in eorum adversitatibus, vel pauperes peregrinos hospitio exceperint ac elemosinis et officiis adiuverint aut pacem cum inimicis composuerint vel quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro animabus dictorum confratrum confraternitatis huiusmodi in ecclesia seu cappella predicta recitaverint aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint et ignorantes Dei precepta et que ad salutem sunt docuerint aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint toties pro quomodolibet premissorum piorum operum centum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quo ad confraternitatis non confratres ecclesiam seu cappellam vel altare huiusmodi, ut prefertur, visitantes ad viginti annos, quo ad alios vero premissa aut aliquod premissorum peragentes perpetuis futuris temporibus, ut prefertur, duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis christifidelibus predictis ratione premissorum vel alias aliqua alia indulgentia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit eodem presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, idibus iunii pontificatus nostri anno quarto.

501

De salute gregis dominici

Sec. Cam. 69 fol. 465r-466r — die 13 iunii 1588

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

In ecclesia domus Fratrum Sancti Francisci civitatis *Quito*, sub invocatione Verae Crucis instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis etc. salutem etc. benedictionem. De salute gregis dominici cure nostre meritis etc. mereantur. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia domus fratrum ordinis seu sub regula Sancti Francisci civitatis Quitensis in Indiis maris del Sur et provincie del Perù una pia utriusque sexus christifidelium tam antiquorum christianorum quam etiam aliorum illarum partium nativorum ad fidem conversorum confraternitas sub invocatione vere crucis ad Dei omnipotentis laudem et animarum salutem proximique subventionem non tamen unius specialis artis canonice instituta existat et dilecti filii illius confratres quam plurima charitatis, pietatis et misericordie opera exercere consueverunt, cupientes igitur ut ipsi et pro tempore existentes dicte confraternitatis confratres in huiusmodi piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea et alia imposterum exercenda necnon alii christifideles ad dictam confraternitatem ingrediendam peramplius invitentur dictaque ecclesia in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad ecclesiam predictam seu in ea sitam cappellam vel altare eiusdem confraternitatis devotionis causa confluant, quo ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerint se esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis christifidelibus qui antiqui christiani videlicet vere penitentes et confessi ac sacra communione refecti, noviter ad fidem conversi vere ex quo de consilio ordinarii seu confessorum ad Sanctissimi Eucharistie Sacramenti refectionem non admittuntur tamen confessi et contriti dictam confraternitatem ingredientur die primi illorum ingressus necnon tam ipsis quam ad presens existentibus ipsius confraternitatis confratribus etiam vere penitentibus et confessis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus aut aliquod aliud penitentie signum facientibus indulgentiam plenariam et omnium peccatorum suorum remissionem auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus et elargimur; et insuper tam ipsis confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus etiam vere penitentibus et confessis etiam quo ad antiquos christianos sacra communione refectis et quo ad eos qui ad sacre communionis refectionem admittentur ea refectis qui ecclesiam vel cappellam seu altare huiusmodi in festo exaltationis Sancte Crucis a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi festi singulis annis devote visitaverint et inibi pro extirpatione heresum et hereticorum conversione, Sancteque Matris Ecclesie exaltatione et inter christianos principes facienda pace aliquas

ad Deum preces effuderint, quo die predicto id fecerint quoad confratres perpetuo quo vero ad non confratres ad viginti annos a die prime publicationis presentium in ecclesia confraternitatis huiusmodi faciende inchoandos tantum pro primis decem annis etiam plenariam indulgentiam et omnium peccatorum suorum remissionem, pro reliquis vero decem annis eisdem non confratribus septem annos et totidem quadragenas, preterea eisdem confratribus qui similiter penitentes et confessi et quoad eos ibidem admittentur sacra communione refecti ecclesiam vel cappellam seu altare huiusmodi in nativitatis Domini nostri Iesu Christi, annunciationis beate Marie virginis, Pentecostes et Sancti Iacobi apostoli festivitatibus visitaverint et ut supra oraverint alios septem annos et totidem quadragenas ipsisque confratribus quoties divinis officiis in eadem ecclesia seu cappella vel oratorio more confratrum celebrandis aut congregationibus publicis vel secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint vel ipsum Sanctissimum Sacramentum dum ad aliquem infirmum defertur associaverint aut qui hoc facere impediti campane ad id signo dato genu flexi semel orationem dominicam et salutationem angelicam pro eodem infirmo recitaverint aut processionibus ordinariis et extraordinariis tam predicte confraternitatis quam aliis quibuscumque de licentia ordinarii celebrandis ac sepeliendis mortuis officiose interfuerint aut infirmos consolati fuerint in eorum adversitatibus vel pauperes peregrinos hospitio exceperint ac elemosinis et officiis adiuverint aut pacem cum inimicis composuerint vel quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro animabus dictorum confratrum dicte confraternitatis in ecclesia seu cappella predicta recitaverint aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint et ignorantes Dei precepta et que ad salutem sunt docuerint aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint toties pro quolibet premissorum piorum operum centum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad christifideles non confratres ut prefertur visitantes ad viginti annos ut prefertur inchoandos tantum, quo ad alios vero premissa aut aliquod premissorum peragentes perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis christifidelibus predictis ratione premissorum vel alias aliqua alia indulgentia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit eodem presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice 1588, idibus iunii, pontificatus nostri anno quarto.

502

Ad cumulum tuae

Sec. Brev. 136 fol. 34r-35r die 20 iunii 1588

CORRIGITUR ERROR

Et mandatur ut episcopus Sanctae Marthae archiepiscopum Sanctae Fidei in suum metropolitanum recognoscere debeat.

Sixtus V

Venerabili fratri archiepiscopo Sanctae Fidei [1].

Venerabilis frater salutem etc. Ad cumulum tuae cedit salutis et famae si personas ecclesiasticas praesertim pontificali dignitate praeditas divinae propiciationis intuitu opportuni praesidii et favoris gratia prosequaris. Dudum siquidem postquam felicis recordationis Gregorius Papa XIII praedecessor noster oppidum Sanctae Marthae in partibus Indiarum Occidentalium consistens in civitatem, illiusque ecclesiam in cathedralem per quasdam suas erexerat ac pro tempore existenti archiepiscopo Sanctae Fidei metropolitico iure subiecerat, dictae ecclesiae Sanctae Marthae quae de iure patronatus charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici ex privilegio Apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dignoscitur tunc certo modo pastoris solatio destitutae de persona dilecti filii Sebastiani [2] electi Sanctae Marthae sibi et fratribus suis Sanctae Ro-

[1] Archiepiscopus Ecclesiae Sanctae Fidei (*Santa Fe de Bogotá*) erat Ludovicus Zapata, OFM (1570-1590).

[2] Episcopus Ecclesiae Sanctae Marthae erat Sebastianus de Ocando, OFM (1579-1619).

manae Ecclesiae cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorumdem consilio Apostolica auctoritate providit, ipsumque illi in episcopum praefecit et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesiae sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in singulis literis praedictis plenius continetur. Cumque sicut accepimus in dictis posterioribus eiusdem praedecessoris literis per errorem de archiepiscopo Civitatis Regum mentio facta illique tanquam dictae ecclesiae Sanctae Marthae metropolitano literae directae fuerint, ac propterea dictus Sebastianus electus te tanquam suum metropolitanum recognoscere ac ad tuam Synodum accedere posse dubitet, nos igitur in praemissis ac ut idem Sebastianus electus in commissa sibi dictae ecclesiae curae facilius proficere valeat opportune providere volentes eidem Sebastiano electo per presentes committimus et mandamus, ut non obstantibus dictis pastoralibus praedecessoris literis eidem archiepiscopo Civitatis Regum directis te in suum metropolitanum recognoscere debeat et teneatur, ac si in eisdem literis de te non autem de predicto archiepiscopo Civitatis Regum mentio facta, ipsaeque literae tibi et non illi directae fuissent. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die 20 iunii 1588, anno quarto.

503

De salute gregis dominici

Sec. Cam. 71 fol. 289r-290r — die 14 iulii 1588

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione animarum purgatorii ad Dei omnipotentis laudem, animarum salutem et proximi subventionem in ecclesia civitatis *Cuzco* instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis etc. salutem etc. De salute gregis dominici cure nostre meritis etc. pervenire mereantur. Cum itaque sicut accepimus in una ex cappellis ecclesie Cuzcanensis in Indiis maris Oceani provincia del Perù una pia utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione animarum Purgatorii ad Dei omnipotentis laudem, animarum salutem et proximi subventionem non tamen pro hominibus unius specialis artis canonice instituta existat, cuius dilecti filii confratres quam plurima charitatis, pietatis et misericordie opera exercere consueverint, nos igitur cupientes ut dicti et pro tempore existentes ipsius confraternitatis confratres in huiusmodi piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea imposterum exercenda necnon alii christifideles ad dictam confraternitatem ingrediendam peramplius invitentur dictaque cappella in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad dictam cappellam confluant quo exinde dono celestis gratie conspexerint se uberius esse refectos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur die primi illorum ingressus si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint necnon tam ipsis quam ad presens et pro tempore existentibus ipsius confraternitatis confratribus etiam vere penitentibus et confessis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus aliquod aliud penitentie signum facientibus plenariam, preterea tam ipsis confratribus quam omnibus et singulis aliis utriusque sexus christifidelibus et vere penitentibus et confessis qui dictam cappellam in nativitatis Domini nostri Iesu Christi festivitate a primis vesperis usque ad occasum solis diei festivitatis huiusmodi devote visitaverint ac inibi pro pace inter principes christianos conservanda et Sancte Matris Ecclesie exaltatione, heresumque extirpatione pias ad Deum preces fuderint qua festivitate huiusmodi id fecerint videlicet primo, decimo et vigesimo annis post primam inibi presentatam publicationem etiam plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium misericorditer in Domino concedimus et elargimur; reliquis vero intercurrentibus annis septem annos et totidem quadragenas, postremo ipsis confratribus quoties divinis officiis in eadem cappella vel oratorio dicte confraternitatis more confratrum celebrandis aut congregationibus publicis vel secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint vel corpora confra-

trum defunctorum ad sepulturam vel ipsum Sanctissimum Eucharistie Sacramentum dum ad aliquem infirmum defertur associaverint aut qui hoc facere impediti campane ad id signo dato genu flexi semel orationem dominicam et salutationem angelicam pro eodem infirmo recitaverint aut processionibus ordinariis et extraordinariis tam predicte confraternitatis quam aliis de licentia ordinarii celebrandis ac sepeliendis mortuis officiose interfuerint aut infirmos etiam in hospitali existentes in eorum adversitatibus consolati fuerint vel pauperes peregrinos hospitio exceperint aut elemosinis et officiis adiuverint aut pacem cum inimicis composuerint vel quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro animabus confratrum dicte confraternitatis defunctorum in dicta cappella recitaverint aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint et ignorantes Dei precepta et que ad salutem sunt docuerint toties pro quolibet premissorum piorum operum ducentos dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad christifideles non confratres ut supra visitantes ad viginti annos a die prime publicationis presentium ut prefertur computandos, qui vero ad confratres predictos singula premissa peragentes perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis christifidelibus predictis pro premissis peragendis vel alias aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit eodem presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominice 1588, pridie idus iulii, pontificatus nostri anno quarto.

504

Quae regularium

Sec. Brev. 136 fol. 193-194 — die 23 iulii 1588
Hernáez I 569

DE VISITATORIBUS PROVINCIAE RELIGIOSAE

Ad instantiam sodalium aliquorum fratrum Ordinis Praedicatorum provinciae Sancti Ioannis Baptistae in *Perú*, pro illorum particulari interesse, Vi-

sitatores missi sunt, quo lites et continuae dissensiones ortae sunt. Summus Pontifex supplicationibus Procuratoris generalis Ordinis inclinans ordinat quod in futuro non liceat Visitatores ad dictam provinciam mittere aut alias provisiones facere nisi a maiori parte sodalium provinciae petitio facta et a provinciali confirmata sit.

Sixtus V

Ad perpetuam rei memoriam. Quae regularium personarum quietem perturbare consueverunt decet nos pro nostri pastoralis officii debito e medio submovere. Cum itaque compertum sit quod mittere visitatores, vicarios, vel facere alias similes provisiones ad provinciam Sancti Ioannis Baptistae del Perù, ordinis fratrum Praedicatorum, ad instantiam particularium professorum dicti ordinis pro eorum particulari interesse est nutrire lites et continuas dissentiones inter ipsos, nos huiusmodi incommodis obviare cupientes, ac supplicationibus dilecti filii procuratoris generalis dicti ordinis hac in parte inclinati de consilio dilectorum filiorum nostrorum S.R.E. cardinalium super negotiis regularium deputatorum, harum serie statuimus et ordinamus, quod de caetero non liceat alicui superiori dicti ordinis mittere ad dictam provinciam visitatores, vicarios, vel facere alias similes provisiones ad instantiam alicuius dicti ordinis professoris, nisi ostendat petitionem suam confirmatam a provinciali et diffinitoribus Capituli, vel maiori parte vocalium dictae provinciae vel ad minus quod causa petitionis sit talis, quod iuridice et secundum constitutiones dicti ordinis mereatur exaudiri, alias omnis provisio aliter facta sit eo ipso nulla et irrita et quicumque ultra has presentes litteras procurabit vel praesentavit similes provisiones, omni gradu et officio perpetuo privatus existat. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis ordini et provinciae et fratribus predictis in contrarium concessis. Quibus omnibus etc. caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod presentium transumptis etiam impressis et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo dicti procuratoris generalis munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae presentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die 23 iulii 1588, anno quarto.

505

De salute gregis

Sec. Cam. 69 fol. 111r-112r die 13 augusti 1588

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione Sancti Spiritus in ecclesia hospitalis Civitatis Regum (*Lima*) quod fundaverat, a Michaele de la Costa, incola eiusdem civitatis instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis etc. salutem etc. De salute gregis etc. dignarentur. Cum itaque sicut accepimus alias dilectus filius Michael de la Costa incola Civitatis Regum in regno del Perù Indiarum Occidentalium cupiens infirmis et aliis pauperibus personis necessaria ministrare et opportune subvenire unum hospitale in dicta civitate sub invocatione Sancti Spiritus de suo fundaverit ac felici eius gubernio et administratione unam utriusque sexus christifidelium confraternitatem sub dicta invocatione in illius ecclesia seu capella canonice institui curaverit, nos cupientes ut hospitale ac confraternitas huiusmodi magis indies suscipiant incrementum et dilecti filii ipsius confraternitatis confratres aliique christifideles ad subventionem pauperibus dicti hospitalis ac ecclesiam seu capellam predictam visitandum aliaque pietatis et charitatis opera exercenda peramplius invitentur quo exinde uberiora celestis gratie dono se consecuturos esse cognoverint de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur die primi eorum ingressus huiusmodi si Sanctissimum Eucharistie

Sacramentum sumpserint ex nunc et pro tempore existentibus dicte confraternitatis confratribus necnon infirmis in dicto hospitali decedentibus etiam vere penitentibus et confessis ac eodem Sanctissimo Sacramento si id commode fieri potuerit refectis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde si ore nequiverint invocantibus aut aliquod aliud penitentie signum facientibus necnon tam ipsis confratribus quam aliis christifidelibus utriusque sexus similiter vere penitentibus et confessis ac sacra communione refectis qui ecclesiam seu capellam predictas in festivitate Pentecostes a primis vesperis usque ad occasum solis diei festivitatis huiusmodi annis singulis devote visitaverint, ibique pro Sancte Matris Ecclesie exaltatione, infidelium conversione ac principum christianorum unione pias ad Deum preces fuderint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur. Preterea eisdem confratribus qui pariter vere penitentes et confessi sumpto eodem Sanctissimo Sacramento dictam ecclesiam seu capellam in Conceptionis gloriose virginis Marie necnon beatorum Petri et Pauli apostolorum ac Sancti Michaelis festivitatibus visitaverint et oraverint ut supra septem annos et totidem quadragenas; postremo tam ipsis confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus quoties infirmos predicti hospitalis visitaverint aut consolati fuerint vel eis inservierint, eisque confratribus quoties divinis officiis in dicta ecclesia seu capella celebrandis aut congregationibus publicis vel secretis dicte confraternitatis pro quocumque pio opere exercendo interfuerint seu ipsum Sanctissimum Sacramentum dum ad aliquem tam dicti hospitalis quam alii infirmi defertur associaverint aut qui hoc facere impediti campane ad id signo dato semel orationem dominicam et salutationem angelicam pro ipso infirmo recitaverint vel processionibus ordinariis et extraordinariis de licentia ordinarii celebrandis ac sepeliendis mortuis intervenerint seu quinquies orationem et toties salutationem predictas pro animabus confratrum dicte confraternitatis defunctorum recitaverint aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint vel ignorantes precepta et alia que ad fidem sunt docuerint seu quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint toties pro quolibet piorum operum huiusmodi ducentos dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad christifideles non confratres dicte confraternitatis ecclesiam seu capellam huiusmodi ut prefertur visitantes ad viginti annos proximos a die prime publicationis earumdem presentium in eadem ecclesia seu capella faciende inchoandos, quo vero ad alia singula premissa peragenda perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus aut aliis infirmis ac aliis christifideli-

bus predictis ratione premissorum vel alias aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit eodem presentes nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Marcum, Anno etc. 1588, idibus augusti, pontificatus nostri anno quarto.

506

Illius qui pro dominici gregis

Sec. Cam. 69 fol. 89rv — die 7 octobris 1588

INDULGENTIAE PRO MINISTRIS ET INSERVIENTIBUS

In hospitali regio Civitatis Regum (*Lima*) sub invocatione sancti Andreae, consuetis condicionibus, ut eo libentius servitium et ministerium erga pauperes infirmos impendant; atque pro omnibus christifidelibus qui in die festo sancti Andreae ecclesiam hospitalis devote visitant et inibi preces pro pace, Ecclesiae exaltatione et haeresum extirpatione fundunt.

Sixtus V

Universis christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem. Illius qui pro dominici gregis salvatione in ara crucis immolari non abnuit vices quamvis immeriti gerentes in terris curis urgemur assiduis et continua meditatione pulsamur circa quecumque hospitalia et pia loca in quibus hospitalitatis, charitatis et pietatis opera exercentur omni studio intendere quo illa ad maiorem hospitalitatis eiusdem observantiam reducantur et ut ad premissa christifidelium vota facilius concurrant fideles ipsos quibusdam spiritualibus et allectivis muneribus prosequimur ut exinde reddantur divine gratie aptiores et charitatis et hospitalitatis devotio in dies peramplius augeatur in eis. Cum itaque sicut accepimus in hospitali regio Hispa-

norum sub invocatione Sancti Andreae Civitatis Regum in regno del Perù Indie Occidentalis centum et ultra infirmorum lecti ordinarie elemosinis christifidelium eidem hospitali pro tempore erogatis sustententur ac omnes infirmi quocumque infirmitatis genere laborantes ad illud confluentes magna cum charitate curentur et illis tam ad victum quam ad medelam necessaria ex elemosinis eisdem ministrentur aliaque pietatis et charitatis opera ad Dei laudem exerceri soleant, ut itaque dilecti filii administrator ac ministri et inservientes dicti hospitalis eo libentius servitium et ministerium erga pauperes prefatos impendant quo ex hoc dono celestis gratie conspexerint se uberius esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis administratoribus et ministris ac inservientibus hospitalis prefati nunc et pro tempore existentibus vere penitentibus et confessis quoad refectos videlicet die per eos post notitiam habitam presentium ad id communiter et generaliter semel tantum eligenda quo vero ad alios exnunc et deinceps ad obsequium vel servitium ipsius hospitalis pro tempore recipiendos die illorum et cuiuslibet ipsorum receptionis huiusmodi si dictis diebus respective Sanctissimum Sacramentum Eucharistie sumpserint ac omnibus predictis et eorum singulis in mortis articulo vere penitentibus et confessis et eodem Sanctissimo Sacramento si id commode fieri potuerit refectis ore aut saltem corde nomen Iesu invocantibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate earumdem tenore presentium concedimus; necnon eisdem administratoribus et ministris ac inservientibus nunc et pro tempore dicti hospitalis existentibus et quibusvis aliis utriusque sexus christifidelibus etiam vere penitentibus et confessis qui ecclesiam dicti hospitalis in festo eiusdem Sancti Andree a primis vesperis usque ad occasum solis diei eiusdem festi annis singulis devote visitaverint ac inibi pro pace inter principes christianos conservanda et Sancte Matris Ecclesie exaltatione et heresum extirpatione pias ad Deum preces fuderint, quo die predicto id fecerint si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint septem annos et totidem quadragenas, insuper ipsis administratoribus et ministris ac inservientibus qui defunctorum corpora in eodem hospitali dum sepeliuntur associaverint ac etiam ut sacramentales confessiones faciant infirmos et pauperes dicti hospitalis incitaverint suasque conscientias examinaverint ac pro felici statu Romani Pontificis et aliorum principum christianorum, heresumque extirpatione oraverint et quevis alia pia opera exercuerint quadraginta dies de eis iniunctis seu alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad administratores, ministros et inservientes perpetuis futuris tempori-

bus, quoad alios vero dictam ecclesiam ut prefertur visitantes ad viginti annos proximos a die prime publicationis earumdem presentium computandos valituris. Volumus autem quod si administratoribus, ministris, inservientibus et aliis predictis premissa vel aliquod eorum peragentibus vel alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit eodem presentes nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, nonis octobris, pontificatus nostri anno quarto.

507

Exponi nobis nuper

Sec. Brev. 138 fol. 81rv — die 15 octobris 1588

LICENTIA TRANSEUNDI AD MONASTERIUM IN HISPANIA

Pro tribus filiabus Ludovici de Velasco, qui ex Nova Hispania in Hispaniam revertitur, relictis tamen dotibus cum quibus admissae fuerunt in monasterium monialium.

Sixtus V

Dilecto filio Ludovico de Velasco.

Dilecte fili salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti quod dum tu (qui quondam Ludovici de Velasco viceregis novae Hispaniae apud Indos Occidentales natus existis) dum in illis partibus commoraveris tres nate tue monasterium Conceptionis nuncupatum Regine coeli ingresse et in eo ordinem dicti monasterii expresse professe fuerunt, cum autem nuper ex eisdem partibus ad partes Hispaniarum accesse-

ris et serviciis charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis catholici ad presens insistas ac pro tuas et natarum tuarum predictarum spirituali consolatione desideres illas ad aliquod eiusdem ordinis monasterium monialium in regnis Hispaniarum existens transire, nos tuis et earum piis votis in hac parte annuere cupientes, tuisque supplicationibus inclinati eisdem tribus filiabus tuis ut de dicto monasterio Conceptionis relictis tamen inibi earum dotibus cum quibus admisse in eo fuerant egredi et sub tuae vel alicuius earum fratris seu patrui, necnon aliarum honestarum mulierum comitatu custodia et cura ad aliud eiusdem ordinis monasterium monialium in dictis regnis Hispaniarum existens arbitrio tuo eligendum, ubi benevolas invenerint receptrices transire et inibi quoad vixeris sub suavi religionis iugo Altissimo famulari libere et licite valeant, Apostolica auctoritate, tenore presentium licentiam et facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus felicis recordationis Pii Papae quinti praedecessoris nostri per quam cavetur expresse nulli monialium licere egredi de suis monasteriis nisi in certis tunc expressis casibus et aliis quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon monasterii Conceptionis et illius ordinis huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die 15 octobris 1588, anno quarto.

508

Exponi nobis nuper

Sec. Brev. 138 fol. 121rv — die 15 octobris 1588

FACULTAS TRANSFERENDI OSSA

Francisci de Velasco, patris Ludovici de Velasco proregis Novae Hispaniae, ex sepulcro sibi constructo ad aliud sepulcrum honorificum, de Ordinarii loci licentia.

Sixtus V

Dilecto filio Ludovico de Velasco.

Dilecte fili salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti quod quondam Franciscus de Velasco miles militie Sancti Iacobi de Spata et frater quondam Ludovici de Velasco viceregis nove Hispanie apud Indos Occidentales in civitate Mexican. quondam Beatricem de Andrada in uxorem duxit, ipsique ambo dum viverent quoddam sibi sepulchrum in ecclesia domus ordinis fratrum minorum de observantia nuncupata construi et in eo nonnulla notabilis valoris edificia suis expensis fieri curarunt et forsan etiam dotarunt, in quibus etiam insignia et arma dicti Francisci precipue in quodam linteo seu tela in pariete versus viam publicam posita fuerunt, postmodum vero dicto Francisco vita functo et inibi sepulto ipsa Beatrix in suo ultimo quod condidit testamento nescitur quo spiritu dicta insignia et arma ipsius Francisci non sine magna illius consanguineorum displicentia ex dicto linteo tolli et abradi voluit. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat tam plurimum desideres dicti Francisci ossa ad aliud honorificum sepulchrum, quod dictus vicerex in dicta civitate habet, transferri facere, nos tuis hac in parte supplicationibus inclinati tibi qui, ut asseris, viceregis natus et Francisci prefatorum nepos et heres existis ut de ordinarii licentia et consensu cadaver et ossa dicti Francisci ex dicto sepulchro extrahere, illudque et illa ad dicti viceregis sepulchrum, ubi perpetuo existant, transferre libere et licite valeas facultatem per presentes concedimus. Non obstante voluntate dicti Francisci quam nos quo ad hec harum serie commutamus ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die XV octobris 1588, anno quarto.

509

Omnium saluti paterna charitate

Sec. Cam. 70 fol. 407rv — die 17 novembris 1588

ALTARE PRIVILEGIATUM

Sixtus V

Ad perpetuam rei memoriam. Omnium saluti paterna charitate intenti inter tam multa pietatis officia que nos pro munere nostro convenit exercere sacra interdum loca speciali privilegio insignimus ut inde fidelium animarum saluti amplius consulatur. Quocirca ut ecclesia cathedralis civitatis Sancte Fidei in novo regno Granatensi et partibus Indiarum que simili usque adhuc privilegio minime decorata existit et in ea altare Sancti Hilarionis quod non est maius in capella dilecti filii Francisci Velasquez secretarii regalis audientie civitatis predicte situm hoc speciali dono illustretur auctoritate nobis a Domino tradita concedimus ut quoties ab aliquo sacerdote missa defunctorum ad predictum altare celebrabitur pro anima cuiuscumque fidelis que Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit ipsa de thesauro ecclesie efficacissimis Domini nostri Iesu Christi meritis et beatissime semper virginis Marie, beatorum apostolorum, martirum, confessorum, virginum omniumque sanctorum et sanctarum precibus et intercessionibus suffragantibus indulgentiam consequatur in remissionem earum penarum pro quibus in purgatorio detinetur. Volumus autem quod etc. presentes nullo in loco preterquam in dicta capella publicentur. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, quintodecimo kalendas decembris, pontificatus nostri anno quarto.

510

Omnipotentis et aeterni Dei

Sec. Cam. 70 fol. 404rv die 5 decembris 1588

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione Sancti Salvatoris in ecclesia eiusdem Sancti Salvatoris oppidi *Olinda* dioecesis Sancti Salvatoris instituta consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem etc. Omnipotentis et eterni Dei qui per immaculati corporis sui volontarium in salutifere crucis ara sacrificium impium humane nature lapsum expiare dignatus est etc. aptiores. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia eremitorio forsan nuncupata Sancti Salvatoris oppidi de Olinda Sancti Salvatoris diocesis una pia et devota utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione eiusdem Sancti Salvatoris canonice non tamen pro hominibus unius specialis artis instituta existat et dilecti filii illius confratres in bonis operibus se studeant exercere, nos cupientes ut dicti confratres in huiusmodi et aliorum piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea [imposterum exercenda] necnon alii christifideles promptius ad confraternitatem predictam ingrediendam incitentur ipsaque confraternitas salutaribus in Domino magis indies proficiat incrementis ac dicta ecclesia in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad eandem ecclesiam devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerint se esse refectos, de eiusdem omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui dictam confraternitatem pro tempore imperpetuum ingredientur et in ea recipientur in die primi eorum ingressus et receptionis huiusmodi si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint ac tam ipsis quam omnibus et singulis aliis nunc et pro tempore existentibus eiusdem confraternitatis utriusque sexus confratribus pro tempore ubilibet decedentibus etiam vere penitentibus et confessis ac sacra communione si id commode fieri potuerit refectis in eorum mortis articulo pium nomen Iesu corde si ore non potuerint invocantibus plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur. Preterea tam ipsis confratribus quam universis et singulis aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui dictam ecclesiam in festivitate ipsius Sancti Salvatoris a primis vesperis usque ad occasum solis diei eiusdem festivitatis quolibet anno devote visitaverint et ibi ad Deum preces pro Sancte Romane Ecclesie et fidei catholice exaltatione, illiusque inimicorum depressione ac inter christianos principes servanda pace, concordia et unione, heresumque extirpatione, hereticorum reductione et infidelium conversione effuderint qua festivitate predicta id fecerint si Sanctissimum Sacramentum sumpserint septem annos et totidem quadragenas; necnon omni-

bus et singulis utriusque sexus confratribus predictis qui pariter vere penitentes et confessi idem Sanctissimum Sacramentum in nativitatis et ascentionis Domini nostri Iesu Christi ac assumptionis beate Marie virginis et dedicationis Basilice eiusdem Sancti Salvatoris festivitatibus seu earum aliqua vel aliquibus sumpserint qualibet vice etiam septem annos et totidem quadragenas, illis vero qui missis et aliis divinis officiis in dicta ecclesia ex consuetudine vel instituto seu intuitu ipsius confraternitatis pro tempore celebrandis et recitandis aut congregationibus publicis vel secretis eiusdem confraternitatis ubivis faciendis interfuerint aut pauperes puellas dotaverint seu matrimonio collocaverint vel corpora defunctorum tam confratrum quam aliorum ad sepulturam associaverint aut pauperes hospitio susceperint vel pacem cum inimicis propriis vel alienis composuerint seu componi fecerint vel procuraverint aut quascumque processiones per ipsam confraternitatem pro tempore de licentia ordinarii celebrandas dictumque Sanctissimum Sacramentum quando tam in processionibus quam ad infirmos ac alias ubicumque et quandocumque pro tempore defertur comitati fuerint seu impediti per alium vel alios associari fecerint aut campane ad id signo dato semel orationem dominicam et salutationem angelicam dixerint vel quinquies orationem et toties salutationem predictas pro animabus defunctorum dicte confraternitatis confratrum recitaverint quoties premissa vel eorum aliquod egerint sexaginta dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad christifideles non confratres dicte confraternitatis ipsam ecclesiam ut prefertur visitantes ad decennium tantum, quo vero ad alios singula premissa peragentes perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis etc. momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, nonis decembris, pontificatus nostri anno quarto.

511

Pro parte dilectarum

Sec. Brev. 138 fol. 395r-396r — die 21 decembris 1588

LICENTIA TRANSEUNDI IN ALIUD MONASTERIUM

Eiusdem Ordinis in Hispania, idque ob discessum suorum consanguineorum in partibus Indiarum et quia non bona detinentur valetudine.

Sixtus V

Venerabili fratri archiepiscopo Civitatis Regum in Indiis Occidentalibus seu dilecto filio eius officiali.

Venerabilis frater seu dilecte fili salutem etc. Pro parte dilectarum in Christo filiarum Dianore Velasquez ex oppido de Medellin Placentin. diocesis provincie Compostellan. oriunde et Marie de Jesus nuper fuit nobis expositum quod cum alias ipse divino spiritu afflante mundi huius blanditiis postpositis regularem habitum monialium Sancte Clare aut alterius Sancti Francisci ordinis in monasterio Conceptionis Civitatis Regum in Indiis Occidentalibus, ubi tunc cum earum parentibus, cognatis et consanguineis degebant, susceperint atque ibi professionem emiserint regularem pro eo quod dicte Marie frater cum sua uxore, que est eiusdem Dianore soror, et filiis ac filiabus suis ac eiusdem Dianore matre et alia sorore, universaque familia ex illis partibus Indiarum ad partes Hispaniarum iter facere intendit, cupiunt ex dicto monasterio, ubi etiam non cum bona valetudine morantur, ad aliud eiusdem ordinis monasterium in dicto oppido de Medellin sub invocatione eiusdem Conceptionis beate Marie aut civitate Placentin. dicte provincie Compostellane sub invocatione Sancte Clare, ubi benevolas invenerint receptrices sese transferre, cum presertim propter dictorum consanguineorum et affinium suorum discessum in dicto monasterio Civitatis Regum adeo longe eorum auxilio et consolatione private remanerent, quare nobis humiliter supplicari fecerunt ut in premissis de opportuno remedio providere de benignitate Apostolica dignaremur, nos huiusmodi earum desiderio, quantum cum Deo possumus, annuere volentes et earum votis compatientes ac certam de premissis notitiam non habentes eisdem tamen supplicationibus inclinati de consilio et sententia dilectorum filiorum Sancte Romane Ecclesie cardinalium super negotiis regularium personarum deputatorum fraternitati tue, frater archiepiscope, seu discretioni tue, fili officialis, per presentes committimus et mandamus, quatenus vocatis superioribus dicti ordinis seu monasterii veris existentibus supradictis et narratis super quo tam vestram, quam dictorum superiorum conscientiam oneramus cum Dianora et Maria predictis ut ex dicto monasterio Civitatis Regum ad aliud ex predictis eiusdem ordinis monasteriis, ubi tamen strictior vigeat observantia et in quo benevolas

invenerint receptrices, privincialis seu superiorum monasterii oppidi seu civitatis Placentin. huiusmodi accedente consensu, absque ullo conscientie scrupulo vel censurarum ecclesiasticarum incursu se libere et licite transferre possint et valeant, earumdem fratre, sororibus, matre ac cognatis predictis seu si alicuius ex eis mors intercesserit aut aliqua alia causa non venerint honesto ac decenti reliquarum personarum ex predictis comitatu associate, auctoritate nostra dispenses, eisque desuper licentiam et facultatem opportunam eadem auctoritate concedas. Non obstantibus quibusvis prohibitionibus ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac generalis Concilii necnon ordinis et monasteriorum predictorum iuramento, aut quavis alia firmitate et confirmatione Apostolica roboratis, statutis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod dicte Dianora et Maria ad primodictum monasterium amplius reverti nec ab eodem alimentalem elemosinam, quam dotem vocant, recuperare aut petere nullo unquam tempore possint. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die XXI decembris 1588, anno quarto.

512

De salute gregis dominici

Sec. Cam. 70 fol. 402rv — die 22 decembris 1588

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione sancti Sebastiani ad altare eiusdem sancti Sebastiani in ecclesia civitatis *Cuzco* instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis etc. salutem etc. De salute gregis dominici etc. pervenire mereantur. Cum itaque sicut accepimus in perpetua cappellania ad altare Sancti Sebastiani situm in ecclesia Cuscan. in partibus Indiarum una pia et devota utriusque sexus christifidelium confraternitas

sub invocatione eiusdem Sancti Sebastiani ordinaria auctoritate non tamen pro hominibus unius specialis artis instituta existat, nos qui hodie confraternitatis huiusmodi erectionem et institutionem per alias nostras litteras perpetuo confirmavimus et approbavimus prout in illis plenius continetur cupientes ut dictum altare in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus iugiter veneretur dictique christifideles eo libentius eandem confraternitatem ingredientur et ad altare confluant quo exinde dono celestis gratie cognoverint se uberius esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui eandem confraternitatem imperpetuum ingredientur et in ea recipientur die primi eorum ingressus et receptionis huiusmodi si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum quo ad eos qui ad illud ibi admittuntur sumpserint ac tam ipsis quam omnibus et singulis aliis nunc et pro tempore existentibus eiusdem confraternitatis utriusque sexus confratribus pro tempore ubilibet decedentibus etiam vere penitentibus et confessis ac sacra communione quo ad eos qui ut prefertur ibi ad eam admittuntur refectis in eorum mortis articulo pium nomen Iesu corde, si ore non potuerint, invocantibus plenariam, preterea tam eisdem confratribus quam universis et singulis aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis ac sacra communione refectis qui capellaniam seu altare huiusmodi in festivitate Sanctorum Fabiani et Sebastiani a primis vesperis usque ad occasum solis diei eiusdem festivitatis quolibet anno pro tempore devote visitaverint inibi ad Deum preces pro Sancte Romane Ecclesie felici statu ac fidei catholice exaltatione, illiusque inimicorum depressione ac inter principes christianos servanda pace, concordia et unione, heresumque extirpatione, hereticorum reductione ac infidelium conversione effuderint quacumque festivitate predicta qua id pro tempore fecerint etiam plenariam omnium et singularum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus et elargimur et insuper eisdem confratribus qui pariter vere penitentes et confessi ut prefertur Eucharistie Sacramentum in annunciationis et assumptionis ac nativitatis necnon conceptionis beate Marie virginis festivitatibus ultra festum Paschatis Resurrectionis Dominice seu in aliqua vel aliquibus earum pro tempore sumpserint qualibet vice septem annos et totidem quadragenas; illis vero qui missis et aliis divinis officiis in cappellania huiusmodi ex consuetudine vel instituto seu dicte confraternitatis intuitu ubivis celebrandis interfuerint aut etiam pauperes puellas dotaverint aut corpora tam confratrum quam aliorum christifidelium defunctorum ad ecclesiasticam sepulturam associave-

rint seu quascumque processiones per ipsam confraternitatem pro tempore de licentia ordinarii celebrandas dictum Sanctissimum Sacramentum quando tam in processionibus quam ad infirmos ac alias ubicumque et quandocumque deferetur comitati fuerint ac campane ad id signo dato genuflexi semel orationem dominicam et toties salutationem angelicam dixerint aut etiam quinquies eandem orationem et toties salutationem predictam pro animabus confratrum dicte confraternitatis defunctorum recitaverint quoties premissa vel aliquod premissorum egerint centum dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad christifideles non confratres cappellaniam seu altare huiusmodi ut prefertur visitantes ad viginti annos tantum a data publicatione presentium computandos, in reliquis vero premissis perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice 1588, undecimo kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno quarto.

513

Exponi nobis nuper

Sec. Brev. 140 fol. 265r-266r; 141 fol. 122rv — die 15 aprilis 1589

ELECTIO LIBERA SUPERIORUM ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM

Et irritae declarantur litterae Superioris generalis eiusdem Ordinis qui electoribus capituli provincialis provinciae Sancti Ioannis Baptistae in *Perú* facultatem eligendi provincialem tollere ausus est.

Sixtus V

Ad perpetuam rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus della Serna ordinis fratrum Predicatorum provinciae

Sancti Ioannis Baptistae del Perù Indiarum Occidentalium procurator generalis quod licet iuxta formam decretorum Concilii Tridentini electiones superiorum cum libertate fieri debeant, nihilominus dilectus filius generalis dicti ordinis misit quasdam literas ad dictam provinciam ad effectum ut electio futuri provincialis fiat signanter in favorem unius religiosi a qua excludentur ceteri et tollitur electoribus Capituli provincialis dictae provinciae facultas eligendi personam ad id idoneam et benemeritam in maximum dictae provinciae detrimentum et notorium gravamen. Nos itaque huiusmodi incommodis pro debito pastoralis officii occurrere cupientes referendum commisimus, decernimus in supradicta provincia Sancti Ioannis Baptistae del Perù in electionibus priorum tam conventualium quam provincialium et aliorum prelatorum et superiorum dicti ordinis, decreta Concilii Tridentini inviolabiliter observari deberi; ac propterea quecunque secus facta a quovis superiore etiam generali seu vicario visitatore aut dicti ordinis vicario in favorem provincialis nominati vel nominandi vel in posterum facienda sint irrita et inania. Et qui ad hunc effectum contra tenorem decretorum eiusdem Concilii se in provincialem creari permiserit tanquam non legitime electum declaramus ac electiones tam provincialis quam aliorum prelatorum pro tempore faciendas liberas esse debere iuxta dicti Concilii decreta volumus et statuimus. Non obstantibus dictis literis ac aliis quibuscumque in contrarium faciendis. Volumus autem quod presentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem presentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XV aprilis 1589, anno quarto.

514

Exponi nobis nuper

Sec. Brev. 140 fol. 268rv; 141 fol. 124rv — die 15 aprilis 1589

PROCURATORI GENERALI VOX IN CAPITULO GENERALI CONCEDITUR

Sixtus V

Dilecto filio Petro della Serna ordinis fratrum Predicatorum provincie Sancti Ioannis Baptiste del Perù Indiarum Occidentalium professori.

Dilecte fili salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti quod Capitulum provinciale ordinis fratrum Predicatorum provincie Sancti Ioannis Baptiste del Perù Indiarum Occidentalium preteritum elegit in provincialem dicte provincie dilectum filium Dominicum de Valderama dando illi in socium Gasparem della Fuente, dicti ordinis professores, qui cum esset prior cuiusdam domus ipsius ordinis et ne illam relinqueret sine prelato non potuit venire ad has partes. Quamobrem dictus Dominicus provincialis nominavit te in suum socium concedendo tibi mandatum procurationis generalis prout constare asseris dilectis filiis nostris Sancte Romane Ecclesie cardinalibus super consultatione et causis episcoporum et regularium et visitatione Apostolica per nos deputatis ex scripturis pro parte tua eis exhibitis. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat Capitulum generale dicti ordinis ad presens convocatum existat nec sit locus ut dictus provincialis et illius socius possint venire ad dandum vota in dicto Capitulo generali, tuque in socium et electorem dicti provincialis nominatus existas, nos attentis narratis et quatenus dicte preces veritate nitantur te specialibus favoribus et gratiis prosequi cupientes tuis hac in parte supplicationibus inclinati ac de consilio dictorum cardinalium tibi attentis narratis ut vocem in proximo generali Capitulo huiusmodi habeas Apostolica auctoritate, tenore presentium concedimus. Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis nec non ordinis et provincie huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die XV aprilis 1589, anno quarto.

515

Inter cetera cordis

Sec. Brev. 142 fol. 31r-32r; 143 fol. 49rv — die 13 maii 1589

LICENTIA TRANSEUNDI EX MONASTERIO MONIALIUM AD ALIUD

Pro Catharina de Padilla moniali monasterii Conceptionis Ordinis Sancti Francisci de Observantia in civitate *Lima,* cuius mater monasterium sub invocatione Beatae Mariae Virginis de Rosario Ordinis Sancti Dominici in eadem civitate fundavit.

Sixtus V

Ad futuram rei memoriam. Inter cetera cordis nostri desiderabilia illud sinceris affectibus amplectimur ut monasteria et alia pia loca a christifidelibus instituantur in quibus eternae beatitudinis amatrices in humilitatis spiritu et pacis amenitate Altissimo famulatum reddere valeant. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Petrus de la Serna, procurator provincie Sancti Ioannis Baptiste del Perù Indiarum Occidentalium, ordinis fratrum Predicatorum, quod dilecta in Christo filia Maria de Celis mulier civitatis Regum dictarum partium pia devotione ducta et ob singularem quem erga deiparam virginem Mariam gerit devotionis affectum unum monasterium monialium sub cura dictorum fratrum viventium, sub invocatione eiusdem beatae Mariae de Rosario ordinis Sancti Dominici, istic construi et edificari facere et ad illud, post quam constructum et edificatum fuerit, dilecta in Christo filia Catharina de Padilla nata sua ex monasterio Conceptionis, ordinis Sancti Francisci de observantia, civitatis Regum huiusmodi loci ordinario subiecto, in quo professa est pro salubri dicti

monasterii construendi directione transire desiderat, nos pium dictae Mariae propositum plurimum in Domino commendantes supplicationibus dicti Petri procuratoris hac in parte inclinati nec non de consilio venerabilium fratrum nostrorum Sancte Romane Ecclesie cardinalium super consultatione et causis episcoporum et regularium ex institutione Apostolica deputatorum, quibus negocium huiusmodi examinandum et nobis referendum commisimus, Marie dictum monasterium sub invocatione beatae Mariae del Rosario, ordinis Sancti Dominici, pro monialibus quae inibi secundum instantiam et ordinem fratrum Predicatorum vitam moresque suos componant et sub cura eorum existant in dicta civitate Regum cum ecclesia campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis et aliis officinis necessariis sine alicuius preiudicio construi et edificari faciendi et ad illud, postquam constructum et edificatum fuerit, Catharinae predictae, ipsius Mariae natae, tantum ex suo monasterio Conceptionis regula professione et habitu prefato transeundi et regulam et habitum fratrum Predicatorum profitendi et suscipiendi licentiam et facultatem Apostolica auctoritate, tenore presentium concedimus, inibentes venerabili fratri archiepiscopo civitatis Regum et quibusvis aliis personis cuiuscunque gradus, preeminentiae, conditionis et status, officio fulgentibus ne Mariam in edificatione monasterii et Catherinam monialem huiusmodi desuper quoquo modo impedire, perturbare aut molestare audeant seu presumant; ac mandantes dilecto filio priori ordinis Sancti Augustini domus dicte civitatis Regum quatenus eisdem Marie et Catherine prefatis moniali efficacis defensionis presidio assistens faciat Auctoritate nostra premissa omnia observari, nec permittat eas per archiepiscopum seu quoscunque alios prefatos desuper quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet et rebelles et premissis non parentes per sententias, censuras et penas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus felicis recordationis Papae Pii V predecessoris nostri qua cavetur expresse ne moniales extra claustra suorum monasteriorum egrediantur nisi in certis hinc expressis casibus et aliis Apostolicis constitutionibus ac monasterii Conceptionis huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis Apostolicis eidem monasterio Conceptionis illiusque superioribus et personis sub quibuscunque tenoribus ac formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, aprobatis et innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores presentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris,

[h]ac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, volentes quod presentium transumpto a notario facto et cuiusvis persone in dignitate ecclesiastica constitute sigillo signato tanta et eadem adibeatur fides quanta presentibus adiberetur exhibitis vel ostensis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die XIII maii 1589, anno quinto.

516

Reddituri de commisso

Sec. Cam. 71 fol. 64rv — die 1 iunii 1589

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione Beatae Mariae «de la ‹O› » in ecclesia eiusdem Beatae Mariae «de la Aiuda» in civitate Sancti Salvatoris in *Bahia* instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis etc. salutem etc. Reddituri de commisso nobis grege dominico in extremo iudicio etc. evadere ultionem. Cupientes igitur ut ecclesia beate Marie de la Aiuda nuncupate Sancti Salvatoris in Baia partium Indiarum de Brasil in qua sicut accepimus una pia et devota christifidelium confraternitas sub invocatione eiusdem beate Marie de la O etiam nuncupate non tamen pro hominibus alicuius specialis artis canonice instituta est, cuius dilecti filii administratores et confratres et christifideles eo libentius ad ecclesiam eandem devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie conspexerint se uberius esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis

utriusque sexus christifidelibus predictis vere penitentibus et confessis, qui eandem confraternitatem de cetero ingredientur in die primi eorundem ingressus huiusmodi si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint, ac tam ipsis quam iam ingressis confratribus predictis pro tempore decedentibus similiter vere penitentibus et confessis ac si id commode fieri potuerit sacra communione refectis in eorum mortis articulo constitutis pium nomen Iesu corde, si ore non potuerint, invocantibus plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus et elargimur; necnon tam ipsis confratribus quam universis et singulis aliis dicti sexus christifidelibus predictis similiter vere penitentibus et confessis qui dictam ecclesiam in festivitate eiusdem beate Marie de la O a primis vesperis usque ad occasum solis diei festivitatis huiusmodi devote visitaverint et inibi ad Deum preces pro Sancte Romane Ecclesie exaltatione effuderint quo die festivitatis huiusmodi id fecerint si predictum Sacramentum sumpserint septem annos et totidem quadragenas, insuper omnibus eiusdem sexus confratribus predictis qui pariter vere penitentes et confessi Sacramentum predictum in eiusdem beate Marie purificationis, visitationis, assumptionis, nativitatisque festivitatibus seu in aliqua vel aliquibus illarum annuatim etiam sumpserint pro qualibet vice alios septem annos et totidem quadragenas; illis vero confratribus qui dictam ecclesiam in aliis diebus devote visitaverint ibique oraverint seu corpora defunctorum tam confratrum quam non confratrum ad sepulturam ecclesiasticam associaverint, vel quascumque processiones per quoscumque de licentia ordinarii faciendas seu dictum Sacramentum quando tam in processionibus quam ad infirmos vel alias ubicumque et quocumque defertur comitati fuerint aut infirmos tam confratres quam non confratres vel in carceribus coniectos visitaverint aut aliquod alium pium et charitatis opus fecerint pro qualibet vice sexaginta dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus quoad relaxationem septem annorum et totidem quadragenarum pro christifidelibus non confratres ad viginti annos a die prime publicationis presentium earumdem illic faciende inchoandos tantum, pro confratribus predictis ac quo ad reliqua premissa perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis christifidelibus predictis ratione premissorum vel alias aliqua alia indulgentia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit presentes ipse nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice 1589, kalendis iunii pontificatus nostri anno quinto.

517

Omnium saluti paterna charitate

Sec. Brev. 142 fol. 127v; 143 fol. 165rv — die 6 iunii 1589

ALTARE PRIVILEGIATUM

Sixtus V

Ad perpetuam rei memoriam. Omnium saluti paterna charitate intenti animabus christifidelium in Purgatorio existentibus, que per charitatem Deo unite ab hac luce decesserunt et piorum suffragiis iuvari merentur opportuna de thesauris ecclesie subsidia subministrare studemus. De divina igitur misericordia confisi tenore presentium concedimus ut quoties quicunque sacerdos sive secularis sive regularis missam in altari capelle domus ordinis fratrum Predicatorum civitatis Cuscan. partium Indiarum, que sicut dilectus filius Petrus de la Serna professor dicti ordinis provincie Sancti Ioannis Baptiste del Perú nobis nuper exponi fecit tempore quo Indiani Perú non cognoscebant et in veteri superstitione ac errorum feditate perstabant, soli desiderata erat et in qua postea summa Dei bonitate misse celebrate fuerunt et celebrantur per liberatione unius animae in Purgatorio existentis celebraverit ipsa anima per huiusmodi celebrationem easdem indulgentias et peccatorum remissiones per modum suffragiis consequatur et ad ipsius liberationem pro qua celebrabitur dicta missa operetur, quas consequeretur et operaretur si dictus sacerdos hac de causa missam ad altare situm in ecclesia Sancti Gregorii de Urbe ad id deputatum celebraret. Non obstantibus nostris de non concedendis indulgentiis ad instar ac aliis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem etc., die 6 iunii 1589, anno quinto.

518

Dudum felicis recordationis

Sec. Brev. 142 fol. 151r-152v; 143 fol. 203r-204r die 10 iunii 1589

PRO MONIALIBUS CONVERTITIS

Contra confratres confraternitatis sub invocatione sanctae Luciae, in ecclesia domus convertitarum recollectarum fundatae, qui sese ultra facultatem sibi per litteras Pii V attributam in gubernio temporali domus immiscunt.

Sixtus V

Venerabili fratri archiepiscopo Mexican. [1]

Venerabilis frater salutem etc. Dudum felicis recordationis Pio Pape V predecessori nostro pro parte dilecti filii Didaci de Sancto Romano laici Mexican. civitatis vel diocesis in Indiis Occidentalibus exposito in ipsa civitate erectam fuisse seu erigi sperari unam domum convertitarum recollectarum nuncupatarum, ordinis fratrum minorum de observantia, nuncupatam sub regula Sancte Clare ut ad eam, postquam erecta esset, multe inhoneste seu impudice vite mulieres in dicta civitate relictis carnis illecebris ad Deum et penitentiam reverse se recipere et sub regularibus sancti ordinis institutis virtutum Domino famulando, quoad viverent ibi commorari possent, ac plurimum conveniens et necessarium esse ut in eadem civitate alique reperirentur devote persone que particularem operam darent conversioni et gubernio ac administrationi dictarum mulierum; seque in administratione temporali dictarum convertitarum occuparent et dictum Didacum particulari devotionis fervore accensum desiderare quod in ecclesia dicte domus, si et postquam fundata esset, una christifidelium laicorum confraternitas sub invocatione Sancte Lucie de novo institueretur ut illius pro tempore existentes confratres particularem et expressam de

[1] Archiepiscopus Ecclesiae Mexicanensis erat Petrus Moya de Contreras.

premissis curam haberent reservata tamen et perpetuo concessa predictarum convertitarum in spiritualibus cura loci ordinario; idem predecessor dicti Didaci supplicationibus ea in parte inclinatus extunc prout postquam erecta esset confraternitatem huiusmodi, sub dicta invocatione, de novo instituit et fundavit, curamque et administrationem monialium conventus dicte domus in temporalibus confratribus dicte confraternitatis tunc et pro tempore existentibus, in spiritualibus vero loci ordinario, specialiter et expresse perpetuo concessit prout in literis dicti predecessoris desuper confectis plenius continetur. Cum autem sicut exponi nobis nuper fecerunt dilecte in Christo filie abbatissa et conventus dicte domus seu monasterii licet confratres ipsius confraternitatis vigore litterarum predictarum domum et conventum monialium huiusmodi extunc usque imposterum gubernaverint, prout etiam ad presens gubernant, nihilominus ipsi confratres in gubernio temporali huiusmodi se immiscendo ultra facultatem sibi per dictas litteras attributam alia sepe facere satagunt in non modicum animarum abbatisse et monialium predictarum inquietudinem et dicte domus seu monasterii iacturam cupiantque ipse abbatissa et conventus predictis confratribus nunc et pro tempore existentibus in gubernio temporali predicto aliquam per nos prescribi formam, quam de cetero transgredi nequeant. Nos dictarum litterarum tenores perinde ac si de verbo ad verbum insererentur presentibus pro expressis habentes supplicationibus abbatisse et conventus huiusmodi hac in parte inclinati, fraternitati tue per presentes committimus et mandamus, quatinus auctoritate nostra precipias sub excommunicationis pena ipso facto per contravenientes incurrenda eisdem confratribus, nunc et pro tempore existentibus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in eodem temporali gubernio ultra facultatum suarum fimbrias nullatenus se extendant, sed easdem abbatissam, moniales et conventum rite et recte, ut decet, regant et gubernerint, ita ut se in hiis quem spiritualibus ad te iuxta dictarum literarum tenorem spectant, nullatenus intromittere audeant seu presumat. Quodque statuas et ordines ut in futurum ipsi confratres vel ab eis ad temporale dicte domus gubernium pro tempore deputati intra claustrum domus seu monasterii huiusmodi etiam visitationis aut quavis alia de causa intrare, seu aliquam illius monialem etiam cuiuscunque excessus seu delicti, etiam enormissimi pretextu in carcerem coniicere, punire aut ab eadem domo expellere, aut in aliqua ex electionibus abbatisse seu aliorum officiorum dicte domus per illius moniales in ea exercendorum pro tempore faciendis vel in deputationibus seu remotionibus predicatorum verbi Dei, confessorum, capellanorum aut aliorum ministrorum ecclesiasticorum in divinis pro tempore ibi deservire debentium sese quomodoli-

bet intromittere; aut in futurum aliquam mulierem publicam peccatricem ad presentiam pro tempore conversam vel aliquam aliam cuiuscumque qualitatis et conditionis sit ad habitum regularem in dicta domo nisi de expressa tua legitima recipere seu admittere vel in ea retinere nullatenus audeant, de perpetuis autem vel aliis redditibus annuis, bonis et rebus dicte domus, ac etiam ordinariis vel extraordinariis elemosinis a christifidelibus domui abbatisse, monialibus et conventui huiusmodi in genere vel in specie quomodolibet erogatis et pro tempore erogandis et ad ipsam domum spectantibus a confratribus vel ab eis deputatis predictis receptis seu alias quoquomodo administratis et eorum singulis fidele computum et rationem tibi vel a te deputato annuatim, absque aliqua mora dilatione seu contradictione, omnino reddere teneantur, illosque ad premissorum omnium et singulorum perpetuam et inviolabilem observantiam per sententias, censuras et penas ecclesiasticas et pecuniarias, aliasque iuris et facti remedia opportuna quantumcunque tibi convenire videbitur, etiam omni et quacunque appellatione postposita cogere et compellere valeas, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque indultis et literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus eorum tenore presentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem etc., die X iunii 1589, anno quinto.

519

Nuper supplicationibus

Sec. Brev. 142 fol. 179r-180r; 143 fol. 268rv — die 24 iunii 1589

FACULTAS TRANSFERENDI MONIALES

Ex monasterio Conceptionis Ordinis Sancti Francisci de Observantia in novum monasterium sub invocatione Beatae Mariae Virginis de Rosario Ordinis Sancti Dominici, pro salubri huius monasterii directione.

Sixtus V

Dilecto filio Petro de la Serna procuratori provincie S. Ioannis Baptistae del Perú Indiarum Occidentalium ordinis fratrum predicatorum.

Dilecte fili salutem etc. Nuper supplicationibus tuis ea in parte inclinati dilecte in Christo filie Marie de Celis mulieri civitatis Regum monasterium monialium sub invocatione beate Marie del Rosario, ordinis Sancti Dominici, que inibi secundum instituta et ordinem fratrum predicatorum vitam moresque suos componerent et sub cura eorum existerent in civitate Regum construi et edificari faciendi et ad illud, postquam constructum et edificatum foret, dilecte in Christo filie Catherine de Padilla, natae dicte Marie, ex monasterio Conceptionis ordinis Sancti Francisci de observantia civitatis Regum loci ordinario subiecto in quo professa erat transeundi licentiam per alias nostras in forma brevis confectas literas concessimus, prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem sicut nobis exponi fecisti pro salubri huius monasterii beate Marie del Rosario directione, opera et industria aliquot monialium dicti monasterii Conceptionis necessaria existat, nos tibi postquam dictum monasterium beate Marie del Rosario constructum et debita clausura munitum fuerit, duas moniales professas (dummodo nulla illarum sit soror dicte Catherine de Padilla) ad arbitrium venerabilis fratris archiepiscopi dicti loci pro tempore existentis eligendas ex dicto monasterio Conceptionis educendi et in monasterium beate Marie del Rosario huiusmodi introducendi licentiam et facultatem per presentes concedimus, ita quod dicte tres moniales sic introducte, mutato habitu suo, habitum ipsius monasterii beate Marie del Rosario assumant, illiusque regularibus institutis se omnino confirment; ac quarum una priorisse alia subpriorisse et reliqua magistre novitiarum officia exerceant et si forse tempore evolutionis dictarum monialium prefata Catherina de Padilla iam vita functa esset, ut in eius locum aliam eiusdem Catherinae sororem si extabit ex eodem monasterio Conceptionis educare possis, quae in prefato monasterio beatae Mariae del Rosario, ut prefertur, profiteri et in dictae Catherinae locum succedere debeat, pariter concedimus et indulgemus, mandantes dilecto filio priori domus civitatis Regum Sancti Augustini quatinus tibi et monialibus predictis efficacis defensionis presidio assistens faciant auctoritate nostra premissa omnia observari, nec permittat vos desuper quoquomodo molestari. Contradictores quoslibet et rebelles et premissis non parentes pertinentias, censuras et penas ec-

clesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae octavi predecessoris nostri qua cavetur expresse ne moniales extra claustra suorum monasteriorum egrediantur nisi in certis tunc expressis casibus ac aliis Apostolicis constitutionibus necnon monasterii Conceptionis huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus necnon omnibus illis que in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod earum transumptis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius persone in dignitate ecclesiastica constitute munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, que ipsis presentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Maria Maiorem, die 24 iunii 1589 anno quinto.

520

Cum sicut dilectus

Sec. Brev. 142 fol. 180v-181r; 143 fol. 271rv — die 24 iunii 1589

PROHIBETUR FRATRIBUS ORDINIS PRAEDICATORUM NE IN PERÚ REDEANT

Ne postquam in Hispaniam reversi sunt, mutato consilio, in *Perú* redire audeant, lucri aviditate aut liberioris vitae studio.

Sixtus V

Ad perpetuam rei memoriam. Cum sicut dilectus filius Petrus de la Serna procurator generalis provintie Sancti Ioannis del Perú, ordinis fratrum Praedicatorum, nobis nuper exponi fecit nonnulli ex dicta

provintia dicti ordinis professores discedentes ad provintias huius ordinis regnorum Hispaniarum se conferunt et postea mutato consilio aut lucri aviditate aut liberioris vite studio ad provintiam del Perú huiusmodi redire contendant, non sine gravi animarum suarum iactura et plurimorum fidelium scandalo. Quare humiliter idem nobis supplicari fecit quatinus in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui saluti animarum consulere et scandalis, quantum cum Deo possumus, obviare cupimus huiusmodi supplicationibus inclinati omnibus et singulis fratribus eiusdem ordinis in provincia del Perú nunc et pro tempore existentis in virtute sanctae obedientiae mandamus tenore presentium etc. Nullus dicti ordinis professor, qui ex illa provintia del Perú discedens ad provintias Hispaniarum appulent ad eandem provintiam del Perú redire ullo modo presumat nisi habitum dicti ordinis in eadem provincia del Perú susceperit, qui autem hoc attentare presumpserit arbitrio prioris domus Sancti Dominici de S. Lucas, Hispalen. diocesis, vel alterius domus eiusdem ordinis in qua illum degere pro tempore contigerit graviter puniatur. Decernentes quelibet assignationes ei datas nullas et invalidas nulliusque roboris vel momenti fore et esse. Necnon sub excommunicationis sententia eo ipso per contrafacientes incurrenda praecipimus ne magistri navigiorum dicti ordinis eosdem ad dictam provintiam del Perú conducant aut conduci debeant. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac provintiarum et ordinis huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod presentium literarum transumptis manu notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius persone in dignitate ecclesiastica constitute munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra ac si presentes exhibite vel ostense forent. Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem etc., die 24 iunii 1589, anno quinto.

521

Humani et divini iuris

Sec. Brev. 144 fol. 173v-175r; 145 fol. 290rv, 293r; 146 fol. 290-293 — die 23 augusti 1589

PERCEPTIO FRUCTUS SCHOLASTRIAE

Pro Francisco de Beteta scholastico Ecclesiae *Tlaxcala.* Summus Pontifex concedit eidem, ut omnes fructus scholastriae quam obtinet tam a die quo cepit a praedicta Ecclesia abesse decursos et per eum non exactos quam deinceps usque ad diem sui reditus et personalis in eadem Ecclesia per eum faciendae residentiae decurrendos, quamdiu tamen per eum non steterit quominus redierit et resederit, per se vel procuratorem percipere possit, perinde ac si personaliter ibidem resedisset.

Sixtus V

Dilecto filio Francisco de Beteta scholastico ecclesiae Tlaxcallen.

Dilecte fili salutem etc. Humani et divini iuris rationi admonemur ut homines ad publicam cuiusque loci munera obeunda excitemus, eosque qui communis utilitatis et salutis causa absunt quasi presentes sint et in loco resideant aequo iure habeamus. Cum itaque tu, qui sicut nuper nobis exponi fecisti scolastriam ecclesiae Tlaxcallen. in Oceani maris Indiis, quae tamen post pontificalem maior non est dignitatem obtines, ad Provincialis Concilii a venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Mexican. et Tlaxcallen., ac ab aliis, qui ibi interfuerunt eius provinciae episcopis in civitate Mexican., quae ibi metropolis est celebrati, revisionem a nobis et Sede Apostolica obtinendam ad urbem longissimis et difficillimis itineribus et terra marique susceptis periculis destinatus accesseris, in eaque nunc pro communi dictae ecclesiae commodo summa tua cum laude veneris et vitae discriminibus personaliter accessisti reperiaris, nos ne dum publicam

causam agis incommodum aliquod, vel damnum circa perceptionem fructuum et emolumentorum praedictae scholastriae cum alioquin merito presens in dicta ecclesia censeri debeas, in hac tua absentia patiaris providere, teque specialis gratiae favore prosequi volentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi ut omnia et singula predictae scholastriae et ei forsan annexorum quorumcumque fructus, redditus et proventus ac iura, obventiones, distributiones quotidianas, etiam solis presentibus et omnibus horis diurnis pariter et nocturnis in predicta ecclesia interessentibus dari et per eos lucrari solitas nec non manualia anniversaria, caeteraque emolumenta quocumque nomine nuncupata et in quibuscumque rebus consistentia ac undecumque provenientia tam a die quo cepisti a predicta ecclesia abesse decursa et per te non exacta nec percepta, quam deinceps usque ad diem reditus tui et personalis in eadem ecclesia a te faciendae residentiae, quamdiu tamen per te non steterit quominus redieris et resederis decurrenda cum eadem prorsus integritate, modoque et forma quibus illa omnia si continuo ibi omnibus horis et officiis ac ministeriis ecclesiasticis tam diurnis quam nocturnis presens interfuisses ac interesses, percepisses, levasses, habuisses et recuperasses et lucratus fuisses nec non percipere, levare, habere, recuperare et lucrari potuisses et debuisses sine ulla prorsus differentia seu diminutione vel defalcatione aut retentione percipere, exigere, levare, recuperare, lucrari ac consequi et habere per te vel alium ad id a te legitime constitutum procuratorem libere et licite valeas, perinde ac si eisdem horis officiis ac ministeriis continuo presens fuisses et esses, ita quod nequeas desuper a venerabile fratre episcopo Tlaxcallen. ac dilectis filiis decano nunc et pro tempore existentibus et capitulo dictae ecclesiae Tlaxcallen. aut quocumque alio super premissis quomodolibet molestari, perturbari vel impediri, auctoritate Apostolica, tenore presentium de specialis dono gratiae concedimus et indulgemus. Mandantes propterea ac in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poenis praecipientes episcopo ac decano et capitulo Tlaxcallen. predictis, ac denique iis omnibus ad quos quomodolibet spectat et pro tempore spectabit quatinus tibi vel procuratori praedicto de omnibus et quibuscumque fructibus, redditibus, proventibus ac distributionibus manualibus, aliisque iuribus et emolumentis predictis ac alias ad dictam scholastriam et illi forsan annexos quomodolibet spectant et pertinent ac quae si presens, ut praefertur, fuisses et esses percepisses et lucrari potuisses ac posses realiter et cum effectu ac integre et sine aliqua diminutione vel retentione omni excusatione et exceptione penitus cessantibus et remotis respondeant, faciantque et procurent ab aliis simili modo responderi. Non obstantibus constitutionibus et ordinationi-

bus Apostolicis ac predictae ecclesiae etiam iuramento, confirmatione Apostolica aut quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis Apostolicis etiam episcopo, decano et capitulo, aliisque personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio habenda foret, illorum omnium tenores presentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae in Monte Quirinali etc., die 23 augusti 1589, anno quinto.

522

Cum sicut accepimus

Arm. XLII 47 fol. 333rv — die 13 septembris 1589

DE AUCTORITATE ET VENERATIONE RELIQUIARUM

Permissu Summi Pontificis et de licentia superiorum monasterii Cisterciensis Trium Fontium Romae Christophorus de Vadillo nonnullas reliquias sancti Zenonis eiusque sociorum recepit, quas in partes Indiarum deferre intendit. Summus Pontifex decernit, ut auctoritas reliquiarum fide digno testimonio roborata sit, ut veneratione christifidelium excipi possint. In itinere nemini venerandae aut deosculandae proponi debent, in ecclesiis honorifice collocandae sunt. Indulgentiae christifidelibus qui reliquias venerant conceduntur, si sacramenta recipiunt, pro pace, haeresum extirpatione, propagatione fidei et Ecclesiae exaltatione orant.

Sixtus V

Universis etc. Cum sicut accepimus dilectus filius Christophorus de Vadillo archidiaconus Ecclesiae Mechoacan. in partibus Indiarum

devotionis fervore accensus permissu nostro nonnullas Sancti Zenonis et eius sociorum reliquias a monasterio Sancti Vincentii alias trium fontium Cisterciensis ordinis extra Urbis muros de presidentium dicti monasterii licentia receperit, illasque ad partes Indiarum predictas deferre intendat [1], nos cupientes, ut dictae reliquiae ea qua decet veneratione et honore a christifidelibus excipiantur et in ecclesiis earum partium decenter et honorifice collocentur pieque ac religiose custodiantur, harum serie decernimus, ut dictus Christophorus non nisi eas reliquias, quas fide digno testimonio a dicto monasterio vere extractas et sibi traditas fuisse constabit, deferre, nec in itineris sui progressu

[1] Petito oratoris: Beatissime pater. Cum devotus S.V. orator Christophorus de Vadillo archidiaconus Ecclesie Mechoacanensis in partibus Indiarum maris Oceani devotionis fervore accensus nonnullas Sancti Zenonis et eis sociorum reliquias a monasterio Sancti Vincentii alias trium fontium, Cisterciensis ordinis, extra Urbis muros de S.V. et in eodem monasterio presidentium licentia ad effectum illas ad easdem Indiarum partes in quibus nulla Sanctorum a sancta Romana Ecclesia canonizatorum et in eorum catholicis relaxatorum corpora requiescere inveniuntur deferendi et in Ecclesiis sibi benevisis collocandi extrahi fecerit easque quam primum per se ipsum ad easdem partes Deo dante deferre proposuerit et propterea ad augendum christifidelium religionis et animarum salutem ac ut ipse reliquie maiori cum pompa et solemnitate, ac populi devotione et frequentia in Ecclesiis dicto ordini benevisis collocari primum ipseque Ecclesie congruis frequententur honoribus et a christifidelibus vigere venerentur ipsique christifideles eo libentius devotionis causa ad processiones solemnes in earundem reliquiarum collocatione peragendas interveniant et accedant; necnon ad ipsas Ecclesias confluant que ex hoc dono celestis gratie conspergerint se uberius fore refectos. Supplicat igitur humiliter S.V. dictus orator quatinus animarum christifidelium saluti opportune consuleri easdemque Ecclesias in quibus ipsas reliquias collocari contigerit specialibus privilegiis decernentes omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis ac sacra comunione refectis qui alicui ex eisdem solemnibus processionibus in dictarum reliquiarum collocacione huiusmodi ut premittitur faciendis celebrandis intervenerint aut aliquam ex Ecclesiis in quibus easdem reliquias, ut premittitur, collocari contigerit in festo eiusdem Sancti Zenonis et sociorum martirum quod nona die mensis iulii annuatim celebrari solet annis singulis a primis vesperis usque ad occasum solis diei eius festi devote visitaverint ac inibi pro pace inter principes christianos conservanda et Sancte matris [Ecclesie] exaltatione heresumque extirpatione et gentilium illarumque partium ad christifidelium conversione pias ad Deum preces fuderint quo die predicto id fecerint ad decennium proximum primo anno videlicet et pro die singularum processionum plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in forma ecclesiae consueta concedere et elargiri novennio autem subsequenti septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxare dignemini de gratia speciali. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis. Datum Romae in Monte Quirinali idus septembis, anno quinto (Arm. XLII 47 fol. 332r).

cuiquam venerandas aut deosculandas proponere seu alias ostentare audeat, sed ipsas diligenter et secreto asservare, ac in ecclesiis praedictis cum primum ad illas pervenerit honorifice collocari curet, alioquin excommunicationis latae sententiae poenam a qua nisi a Romano Pontifice pro tempore existente praeterquam in mortis articulo constitutus absolvi nequeat. Ut autem ipsae reliquiae maiori cum reverentia ac solemnitate, populique devotione et frequentia in ecclesiis dictarum partium ipsi Christoforo benevisis poni valeant, ipsaeque postea ecclesiae a christifidelibus libentius visitentur, quo ex hoc coelestis gratiae donis uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui processionibus solemni ritu in reliquiarum huiusmodi collocatione habendis aut alicui ex illis devote interfuerint et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et gentilium illarum partium ad fidem catholicam conversione sanctaeque matris ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam, iis etiam qui aliquam extra dictis ecclesiis in quibus eaedem reliquiae collocabuntur contriti, confessique ac sanctissimo Eucharistiae pabulo recreati, die festo Sancti Zenonis et sociorum martirum qui nona iulii celebratur annis singulis ad decennium a publicatione presentium computandum a primis vesperis usque ad occasum solis devote visitaverint et ibi ut supra oraverint, plenariam pariter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem pro primo anno misericorditer in Domino concedimus et elargimur, pro reliquis vero novem annis septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Volumus autem ut si alias christifidelibus aliquas ex predictis ecclesiis visitantibus aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum elapsum per nos concessa sit, presentes nostrae illi nullatenus suffragentur. Datum Romae in Monte Quirinali etc. die 13 septembris 1589, anno V°.

523

Alias per nostras

Sec. Brev. 147 fol. 116; 148 fol. 64r die 20 septembris 1589

LICENTIA TRANSFERENDI OSSA PATRUI AD ALIUD SEPULCRUM

Dilecto filio Ludovico de Velasco Novae Hispaniae Proregi designato.

Dilecte fili salutem etc. Alias per nostras in forma brevis literas tibi concessimus ut ossa quondam Francisci de Velasco, fratris militis militiae S. Iacobi de Spata, patrui tui, quae in ecclesia monasterii fratrum minorum Sancti Francisci de observantia Mexican. sepulta esse asserebas ex supradicta ecclesia exhumari et ad sepulchrum in quo quondam Ludovicus de Velasco, genitor tuus, olim eiusdem provincie Prorex, in dicta civitate Mexican. sepultus est transferre valeres, prout in eisdem literis continetur. Quia vero, sicut exponi nobis fecisti tu aliud tuum sepulchrum in eadem civitate habes, cuperesque eadem ossa ad hoc sepulchrum, si tibi melius et commodius visum fuerit, transferre, nos supplicationibus tuis hac in parte inclinati tibi, ut eadem ossa ad quod malueris e dictis duobus sepulchris transferre licite possis, auctoritate presentium liberam facimus potestatem. Non obstantibus omnibus quae in dictis literis voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae in Monte Quirinali etc., die XX septembris 1589, anno quinto [1].

---

[1] Litterae supplices: ibid. 147 fol. 117r.

524

Cum nomine venerabilium

Sec. Brev. 149 fol. 25rv die 7 octobris 1589

LICENTIA EXTRAHENDI ET TRANSPORTANDI IN PARTES INDIARUM RELIQUIAS SANCTORUM

Pro Francisco de Beteta qui Romam venit ad confirmationem Synodi Provincialis petendam.

Sixtus V

Dilecto filio Francisco de Beteta scholastico ecclesiae Tlaxcallen. in partibus Indiarum maris Occeani.

Dilecte fili salutem etc. Cum nomine venerabilium fratrum archiepiscopi Mexican. et episcoporum comprovincialium Novae Hispaniae, qui ad Synodum provincialem, iuxta formam Concilii Tridentini convenerunt, ad nos et Sedem Apostolicam missus sis pro huius Synodi confirmatione et res iam per nos et venerabiles fratres nostros cardinales interpretationi Concilii predicti deputatos multo labore et continuata plurium mensium diligentia eo deducta sit, ut propediem absolvenda videatur; et idcirco cum tuus ad partes reditus immineat, ut ex sanctae huius urbis abundantia ad singulas Novae Hispaniae cathedrales ecclesias, quae numero novem sunt, ea, quae est in Philippinis insulis computatam, aliquam a nobis deferas benedictionem nos te et dictas ecclesias specialibus favoribus et gratiis prosequi, ac supplicationibus pro parte tua nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi ut quascunque Sanctorum et Sanctarum reliquias sacras, etiam notabiles seu muratas, aut alias quovismodo inclusas, damno tamen omni in illis extrahendis primum refecto, ex Alma Urbe ac in illa et prope eam sitis monasteriis, prioratibus, praeposituris, ecclesiis, oratoriis seu capellis infrascriptis vez. ex Sacrosancta Basilica Lateranen., ex Cripta Vaticana prope sepulchrum apostolorum, ex

scala coeli, ex tribus fontibus, ex cathecumbis sancti Sebastiani, ex cemeterio sancti Laurentii extra muros eiusdem Urbis, ex corporibus sanctorum Ginesii et Eleutherii sitis in ecclesia sancti Ioannis de la Pigna, ex ecclesia sanctae Agathae, ex sanctis nunc inventis in ecclesia sancti Adriani, ex corporibus ante aliquot annis inventis in ecclesia sanctorum Cosmae et Damiani, ex ecclesia sanctae Agnetis extra muros, ac ex ecclesia sancti Nicolai in carcere, nec non sancti Bartholomei in insula, de licentia tamen tam dilecti filii nostri vicarii Urbis, quam aliorum inibi praesidentium et quatinus ipsi dictas reliquias (quae tamen non sint ex principalioribus et insignioribus reliquiis locorum unde extrahentur) libenter ac sponte concedere voluerint extrahere, illasque extractas diligenter asservare et ad dictas partes Indiarum, ut in supradictis cathedralibus ecclesiis honorifice collocentur, transportare seu transportari facere libere et licite valeas, Apostolica auctoritate, tenore presentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae in Monte Quirinali sub Annulo Piscatoris, die VII octobris 1589, Pontificatus Nostri Anno quinto.

525

Romanum Pontificem

Sec. Brev. 147 fol. 275r-276r; 148 fol. 150v-151v die 28 octobris 1589

DECRETUM APPROBATIONIS

Sixtus V

Ad futuram rei memoriam. Romanum Pontificem quem Dominus noster Iesus Christus universis Ecclesiis praeesse voluit, illarum praesertim quae in remotis terrarum orbis partibus et sepositis gen-

tium verum Dei cultum ignorantium oris noviter erectae fuerunt, decet curam assiduam gerere ut ea, quae a praelatis iuxta sacrorum canonum statuta prudenter constituta fuerunt, ab omnibus inviolabiliter observentur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte venerabilium fratrum archiepiscopi Mexican. et aliorum episcoporum illius suffraganeorum et comprovincialium petitio continebat, quod cum ipsi pro salubri directione suarum ecclesiarum, divinique cultus augmento et populorum sibi commissorum salute sanctorum Patrum et Concilii Tridentini decretis inhaerentes Synodo provinciali indicta nonnulla statuta et ordinationes edidissent et ne super illorum recognitione in posterum a quoquam curiose quaeri, aut quovis modo dubitari possit, illa ad nos sanctamque Sedem Apostolicam per dilectum filium Franciscum de Beteta, scholasticum ecclesiae Tlaxcallen. virum nobilitate, doctrina et prudentia praestantem loco unius ex comprovincialibus episcopis, qui ad eam eligendus merito fuisset, ad nos nominatim destinatum re ipsa transmiserunt; cumque archiepiscopus et episcopi praefati nobis humiliter supplicari fecissent, quatenus illa recognoscere et in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur, nos curam et solicitudinem archiepiscopi et episcoporum praedictorum circa gregem Dominicum sibi commissum, eiusdemque Francisci fidem et diligentiam plurimum in Domino commendantes, iustisque ipsorum desideriis satisfacere volentes, huiusmodi ordinationes et statuta venerabilibus fratribus nostris S.R.E. cardinalibus super interpretatione decretorum Concilii Tridentini deputatis nomine et auctoritate nostris examinanda et recognoscenda tradidimus, qui diligenti perquisitione et longo examine in praemissis arbitrio illa iuxta formam praesentibus introclusam eisdem nomine et auctoritate recognoverunt. Ut igitur ordinationes et statuta huiusmodi auctoritate nostra, ut praefertur, examinata et recognita ab his ad quos spectat, ut decet, observentur, archiepiscopo et episcopis praedictis et eorum cuilibet per presentes committimus et mandamus, ut statuta et ordinationes praedictas in ecclesiis suis solemniter publicantes illa ab omnibus et singulis ad quos pertinet, etiam cuiusvis ordinis regularibus et exemptis, necnon ab ecclesiis in partibus illis in posterum erigendis donec Synodum provincialem similiter cogerint, auctoritate nostra faciant inviolabiliter observari [1]. Contradictores per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas appellatione postposita compescendo. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac quibus-

[1] De approbatione et publicatione Actorum et Decretorum Tertii Concilii Provincialis Mexicani cfr. *W. Henkel,* Die Konzilien in Lateinamerika. Teil I. Mexiko 1555-1897 (Paderborn 1984) 135-139.

vis illarum partium et ecclesiarum statutis et consuetudinibus et iam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis illis eorumque praesulibus et quibusvis aliis personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus eorum tenores presentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile esset has nostras literas ad singulas ecclesias et loca illarum partium originaliter deferri, volumus ac decernimus ut earum transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis eadem ubique in iudicio et extra adhibeatur fides, quae ipsismet presentibus adhiberetur si originaliter ostenderentur et exhiberentur. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die XXVIII octobris 1589, anno quinto.

526

Tui nobilitas generis

Sec. Brev. 147 fol. 271rv; 148 fol. 148rv — die 31 octobris 1589

IUS IMPRIMENDI DECRETA SYNODI PROVINCIALIS

Francisco de Beteta durante viginti annorum spatio atque haeredibus et successoribus suis conceditur.

Sixtus V

Dilecto filio Francisco Beteta scholastico ecclesia Tlaxcallen.

Dilecte fili salutem etc. Tui nobilitas generis quam piis studiis et

virtutibus auges, spectataque in susceptis pro utilitate publica laboribus fidei et solertiae merita promerentur ut te spiritualibus favoribus et gratiis prosequamur. Ut igitur tu, qui ad sanctam hanc Sedem, venerabilium fratrum archiepiscopi Mexican. et comprovincialium episcoporum nomine, ut ab ea provincialis Synodus Mexican. novissime habita examinaretur et approbaretur, accessisti ut ex incommodis, quae in longo et difficillimo itinere sustinuisti, aliquid emolumenti haurias ac etiam ut tua industria et diligentia decreta ipsius provincialis Synodi, ac statuta ad regimen capitulorum Ecclesiarum Cathedralium spectantia in ipsa Synodo confecta, rituale preterea seu cerimoniale ac directorium sive confessariorum summa, quae predictae Synodi auctoritate edita fuisse accepimus quam emendatissime et accuratissime imprimantur opportune providere volentes motu proprio et ex certa nostra scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, tibi, ut durante viginti annorum spatio a prima eiusdem Synodi decretorum ac aliorum operum huiusmodi impressione inchoando nemo absque tua aut tuorum heredum et successorum, vel causam a te vel ab eis habentium licentia, eadem Synodus, decreta, statuta, rituale seu cerimoniale, ac summam confessariorum nuper iussa imprimere vel ab aliis sine huiusmodi licentia impressa vendere aut venalia habere vel tenere possit, auctoritate Apostolica, tenore presentium concedimus et indulgemus. Inhibentes propterea in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis latae sententiae poena omnibus et singulis christifidelibus, et praesertim bibliopolis et librorum impressoribus ubique locorum et gentium constitutis, ne ipsa decreta Synodi provincialis Mexican. ac alia predicta opera quocunque idiomate vel sub quovis titulo aut additionum vel commentationum pretextu, sine tua aut tuorum predictorum expressa et in scriptis obtenta licentia imprimere, aut ab aliis, ut prefertur, ubivis absque huiusmodi licentia impressa venundare, venaliave habere seu proponere audeant vel presumant. Mandantes universis venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac eorum vicariis seu officialibus in spiritualibus generalibus praesertim illarum partium, ut quoties pro parte tua aut tuorum predictorum fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, presentes literas solemniter per te vel alium publicent aut publicari et ab omnibus inviolabiliter observari faciant, ac contra inobedientes ad executionem censurarum predictarum omnibus iuris et facti remediis opportunis procedant. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut presentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius persone in dignitate

ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique habeatur fides quae ipsis presentibus haberetur. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die ultima octobris 1589, anno quinto.

527

Exposuit nobis nuper

Sec. Brev. 147 fol. 269r-270r; 148 fol. 146v-147v die 31 octobris 1589
Bull. Rom. (ed. Taurinensis) IX 124-125

INDULTUM UT PER TRES MENSES AD RESIDENTIAM PERSONALEM COGI NON POSSINT

Pro dignitates obtinentibus in Nova Hispania et Insulis Philippinis, contra Synodi Provincialis de *México* statutum, quod ideoque approbatum non est.

Sixtus V

Dilectis filiis decanis, archidiaconis, scholasticis et canonicis Mexican. et aliarum ecclesiarum Novae Hispaniae et insularum Philippicarum maris Oceani, caeterisque dignitates aut portiones personaliter residentiam requirentes in eisdem ecclesiis nunc et pro tempore obtinentibus.

Dilecti filii salutem etc. Exposuit nobis nuper dilectus filius Franciscus de Beteta, scholasticus ecclesiae Tlaxcallen. quod, cum ecclesiae vestrae noviter erectae fuerint, nulla antiqua consuetudine propterea ad personalem residentiam breviore, quam a Concilio Tridentino praefinito tempore faciendam minime tenemini; nihilominus in Synodo provinciali Metropolitanae ecclesiae Mexican., annis elapsis coacta, inter caetera, quod ab ecclesiis vestris ultra duos menses abesse non possitis statutum fuit, verum quia statutum huiusmodi praeter Concilii Tridentini praescriptum tempus trium mensium in eo desi-

gnatum restringit. Idcirco nobis humiliter supplicari fecit dictus Franciscus quatenus in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, attendentes vos multis laboribus et sollicitudinibus circa novos christianos assiduo detineri, honestumque esse vobis aliquid remittere ut quelibet gravissima pondera in fide catholica propaganda facilius perferre valeatis, eo magis quod statutum predictum nobis approbare visum non fuerit, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis ut per tres menses iustis tamen et rationabilibus de causis ad residentiam personalem in ecclesiis vestris faciendam ab ordinariis locorum aut quibusvis aliis personis quavis auctoritate vel dignitate fungentibus cogi non possitis, Apostolica auctoritate, tenore presentium concedimus et indulgemus. Decernentes vos super praemissis ab eisdem ordinariis aut aliis personis predictis praetextu eiusdem statuti, quo neminem vestrum arctari volumus, nullo unquam tempore molestari, inquietari vel perturbari posse; sicque ab omnibus censeri et ita per quoscumque iudices sublata illis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et diffinire debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, dictarumque ecclesiarum et iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis Apostolicis eisdem ecclesiis erectis vel in posterum erigendis, illorumque capitulis, superioribus et personis, etiam motu proprio consistorialiter aut alias quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus illorum tenore, ac si de verbo ad verbum insererentur, presentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Cum autem difficile sit presentes ad singulas ecclesias vestras deferri integras, volumus et auctoritate Apostolica predicta decernimus quod earum transumptis manu alicuius persone in dignitate ecclesiastica constitutae subscriptis et eius sigillo munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, que eisdem presentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die ultima octobris 1589, anno quinto.

528

Exponi nobis nuper

Sec. Brev. 149 fol. 265rv, 270r die 16 decembris 1589

LICENTIA PERMANENDI IN MONASTERIO MONIALIUM

Pro sex monialibus quae ad aliud monasterium translatae fuerunt pro felici directione monasterii et monialium.

Sixtus V

Venerabili fratri archiepiscopo Mexican. [1]

Venerabilis frater salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti quod, postquam anno MDLXXIII monasterium monialium sub invocatione nativitatis beatae Mariae Reginae Coeli, ordinis Conceptionis eiusdem beatae Mariae, de licentia tua in civitate Mexican. fundatum et iurisdictioni ordinariae subiectum fuerat, decem moniales, vitae sanctimonia insignes, alterius monasterii pro felici directione monasterii primodicti et monialium in illud introducendarum translatae fuerunt, quarum pia et prudenti administratione effectum est ut in dicto monasterio (quod regularis observantiae fama nunc floret et inter coetera monasteria valde celebre et insigne est), centum quadraginta circiter moniales in via mandatorum Domini feliciter progredientes, Deoque assidue famulantes summa cum monasticae disciplinae laude commorentur. Quodque dilectae in Christo filiae Beatrix de Sancto Hieronymo, Ursula Sancti Michaelis, Isabella Resurrectionis, Maria Sancti Dominici, Caterina de Sena et Maria Salvationis, quae ex decem translatis predictis supersunt, professioni per eas in monasterio unde translatae fuerunt emissae adhuc satisfacere desiderantes aliquo conscientiae scrupulo teneri videntur et ad secundodictum monasterium reverti

[1] Archiepiscopus Ecclesiae Mexicanensis erat Petrus Moya de Contreras.

cupiunt, quinimo earundem primodicti monasterii monialium aliquae quo forsan liberiores et maiori cum dominio in eodem monasterio permanere et officia atque administrationes inter se distribuere possint earundem translatarum monialium ad secundodictum monasterium regressum forsan procurant; si vero dictae moniales translatae inde egressae illuc, ut praefertur, reverterentur regularis vitae observantia quam praefatae moniales tantopere coluerunt, longoque studio auctam assidua diligentia usque in hunc diem tenuerunt, ob earundem monialium translatarum recessum facile remitteretur in maximum monasterii primodicti, illiusque monialium praeiudicium et cultus divini detrimentum, cum in eo licet aliquae moniales ultra translatas idoneae et sufficientes sint, nullae tamen ad regimen et gubernium dicti monasterii eisdem translatis magis idoneae et expertae vere sint. Propterea nobis humiliter supplicari fecisti, quatenus felici statui monialium primodicti monasterii earumque progressui et conscientiae securitati earundem translatarum opportune consulere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur advertentes monialium translatarum predictarum religionem, experientiam atque prudentiam hactenus caeteris noviter inductis monialibus plurimum profuisse, attendentesque easdem moniales adhuc ex illarum in eodem monasterio administratione ampliora commoda referre et gratiora in dies Deo servitia praestare posse, fraternitati tuae per presentes committimus et mandamus, ut eisdem sex monialibus, ut praefertur, translatis omni prorsus conscientiae scrupulo relicto in primodicto monasterio, quoad vixerint, permanendi licentiam et facultatem auctoritate nostra concedas, illisque ut omnibus et singulis dignitatibus, honoribus, muneribus et officiis, administrationibus et praeeminentiis primodicti monasterii frui, gaudere et uti libere et licite valeant perinde, ac si in eo ab initio habitum suscepissent et professionem emisissent regulares eadem auctoritate indulgeas. Reliquis vero monialibus eiusdem monasterii et quibusvis illarum superioribus, ut ipsas inde nullo modo recedere et ad primodictum monasterium redire permittant, easdemque nullo modo dimittere seu super praemissis vel eorum aliquo molestare aut perturbare praesumant, sed summa qua decet reverentia et veneratione prosequi, debitaque charitate complecti et fovere debeant in virtute sanctae obedientiae ac sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis tibi benevisis pari auctoritate iniungas. Praemissis, eorundemque monasteriorum statutis, caeterisque contrariis non obstantibus quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI decembris 1589, anno quinto [2].

---

[2] Litterae supplices: ibid. fol. 266r, 267r.

529

Unigeniti filii Dei

Sec. Cam. 70 fol. 179r die 1 ianuarii 1590

INDULGENTIA PLENARIA

Pro christifidelibus capellam sub invocatione sancti Gregorii Papae in ecclesia Beatae Mariae «da Ajuda» civitatis Sancti Salvatoris in *Bahía* in die festivitatis eiusdem sancti Gregorii visitantibus, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis etc. salutem etc. Unigeniti filii Dei Redemptoris nostri Iesu Christi qui pro reconcilianda suo auctori humana natura de summo celorum solio ad huius mundi infima descendere et nostre mortalitatis carnem assumere et tandem in ara crucis errata nostra diluere sua ineffabili charitate dignatus est vices licet immeriti gerentes in terris gregem dominicum nostre cure divinitus commissum ad viam lucis eterne perducere satagimus et ut id certius succedat singulos greges eiusdem quorum merita pro demeritis penitus sunt imparia ad pia et meritoria opera exercenda spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus frequenter invitamus ut per illa felicitatis eterne premia facilius consequi mereantur. Cupientes itaque ut ecclesia beate Marie da Aiuda nuncupate civitatis Sancti Salvatoris Baya omnium sanctorum nuncupate partium de Brasil in qua sicut accepimus dilectus filius Franciscus de Libuda incola dicte civitatis egregiam capellam sub invocatione Sancti Gregorii pape ornamentis et aliis divino cultui necessariis ornatam suis propriis sumptibus et expensis pro fidei catholice in illis tam remotis partibus augmento ac ipsius ecclesie maiori veneratione de licentia ordinarii loci edificari fecit

spiritualibus muneribus et donis ac christifidelium frequentia decoretur, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui dictam ecclesiam in festivitate eiusdem Sancti Gregorii a primis vesperis usque ad occasum solis diei ipsius festivitatis devote visitaverint et inibi pias ad Deum preces pro Sancte Matris Ecclesie exaltatione, populi conversione ac fidei catholice augmento et edificatione effuderint quo die predicto id fecerint si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur presentibus ad viginti annos dumtaxat duraturis. Volumus autem quod si christifidelibus predictis ratione premissorum vel alias aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit eodem presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice 1589, kalendis ianuarii, pontificatus nostri anno quinto.

530

Nuper dilectus filius

Sec. Brev. 147 fol. 272r-273r; 148 fol. 149r-150r die 15 ianuarii 1590

MANDATUM PERSOLVENDI REDDITUS ET EMOLUMENTA SCHOLASTRIAE

Francisco de Beteta scholastico Ecclesiae *Tlaxcala* qui Romam venit ad approbationem Synodi Provincialis petendam.

Sixtus V

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Mexican. et universis episcopis eius suffraganeis aut earum ecclesiarum capitulis sede vacante.

Venerabiles fratres salutem etc. Nuper dilectus filius Franciscus de Beteta scholasticus ecclesiae Tlaxcallen. vestro nomine ad Sedem Apostolicam veniens ordinationes et statuta in Synodo vestra provinciali condita et ordinata examinanda nobis proposuit et pro illorum perpetua observatione, ut auctoritatem nostram interponere aliasque super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur, a nobis humili supplicatione postulavit. Nos pastoralem vestram circa gregem dominicum nobis commissum curam et solicitudinem plurimum in Domino commendantes easdem ordinationes et statuta venerabilibus fratribus nostris S.R.E. cardinalibus super interpretatione et executione decretorum Concilii Tridentini deputatis examinanda remisimus et eo temporis spatio, quod a maximis occupationibus, quibus tractandis universalis ecclesiae negotiis assidue detinentur, quantum licuit subtrahere potuerunt diligenter examinata tum a nobis recognita predicto Francisco restitui mandavimus. Quocirca vobis presentium tenore praecipimus, quatenus predicto Francisco qui in ea functione summa cum laude versatus diligenti cura et assidua industria, quae semper usus est, vestris desideriis apud nos satisfacere non destitit, ita benevolos semper et gratos vos exhibeatis, ut laborum quos huius profectionis et provinciae causa suscepit eum nullo unquam tempore penituisse, sed potius eidem Francisco de redditibus et emolumentis ad scholastriam, quam possidet, spectantibus et provisionibus et stipendiis eo sibi nomine a vobis assignatis, etiam ex fructibus ad mensas episcopales pertinentibus, sedibus forsan vacantibus, usque ad diem totius sui itineris absoluti et reditus ad suam Tlaxcallen. ecclesiam dummodo per eum quominus debito tempore redeat non steterit, absque ulla diminutione cumulate satisfecisse sentiamus. Nos enim ut idem Franciscus nullum propterea patiatur detrimentum ipsi, ut interim pensiones et stipendia supradicta per vos et vestrum quemlibet sibi ut supra assignata, ac etiam omnes et singulos dictae scholastriae ecclesiae Tlaxcallen. quam obtinet fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecunque quovis nomine vocata, ac etiam distributiones quotidianas iuxta facultatem illi per alias nostras literas concessam adipiscatur et assequatur aeque, ac si continuo in ipsa ecclesia resedisset, ac horis diurnis, nocturnisque personaliter interfuisset, illaque omnia integre et absque ulla diminutione ipsi

Francisco per capitulum dictae ecclesiae, aliosve ad quos spectat, omnino persolvi debeant, Apostolica auctoritate, tenore presentium indulgemus. Quocirca venerabili fratri archiepiscopo Mexican. ac dilectis filiis eiusdem archiepiscopi officiali seu vicario in spiritualibus generali, necnon scholastico ecclesiae Mexican. per presentes mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios ubi et quando opus fuerit a quoties pro parte dicti Francisci fuerint requisiti presentes literas et in eis contenta quaecunque solemniter publicantes, ipsique Francisco in praemissis efficacis defensionis presidio assistentes faciant, auctoritate nostra illum praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere, non permittentes eum desuper a quoquam quomodolibet molestari. Contradictores per censuras ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia appellatione postposita compescendo. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de una et in Concilio generali edita de duabus dietis dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate presentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac dictae ecclesiae Tlaxcallen. iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ac aliis omnibus, quae in dictis literis voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum quia difficile foret presentes literas ad singula quaeque loca deferri, volumus quod earum transumptis manu alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo persone in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra semper adhibeatur, quae eisdem presentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die XV ianuarii 1590, anno quinto.

531

Oblata nobis nuper

Sec. Brev. 151 fol. 301rv — die 5 aprilis 1590

LICENTIA DISPENSANDI IN SECUNDO GRADU AFFINITATIS

Sixtus V

Dilecto filio officiali Tlaxcallen.

Dilecte fili salutem etc. Oblata nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Ferdinandi Rodriguez laici et Mariae Ascensio mulieris nullius diocesis provinciae Ispalen. ex loco de la Puebla de la Calcada iurisdictionis oppidi de Menda magistratus Sancti Iacobi de Spata ortorum et inde Tepeacha et civitatis Angelorum oppidis civitatibus nuncupatis, Tlaxcallen. diocesis commorantium, petitio continebat quod ipsi alias scientibus secundo affinitatis gradu in linea aequali invicem se attinere, Ferdinandus predictus, non quidem peccandi data opera ut crimine admisso haec causa foret nos et Sedem Apostolicam ad misericordiam et gratiam erga ipsos faciliores reddendi, sed solum vesana libidine metus ipsam Mariam cognovit. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, nisi matrimonium inter ipsos contrahatur, dicta Maria innupta et diffamata remaneret, graviaque exinde scandala possent verisimiliter exoriri, cupiunt propterea invicem matrimonialiter copulari, sed propter impedimentum secundi gradus affinitatis huiusmodi desiderium eorum hac in parte adimplere nequeuntes absque Sedis Apostolicae dispensatione, nobis humiliter supplicari fecerunt ut eis in premissis de absolutionis beneficio et dispensationis gratia opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur certam praemissorum notitiam non habentes huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per presentes committimus et mandamus ut deposita omni spe cuiuscunque muneris aut praemii etiam sponte oblati, a quo te sub excommunicationis poena abstinendum monemus, te de praemissis diligenter informes et si ea veritate niti compereris, super quo tuam conscientiam oneramus, tunc imposita ipsis Ferdinando et Mariae propter incestum huiusmodi arbitrio tuo poenitentia salutari, ac recepto ab eis iuramento quod sub spe facilius habendae dispensationis huiusmodi incestum hoc non commiserint et quatenus contra eos causa super praemissis in iudicium quoquomodo deducta fuerit, parito iudicato, Ferdinandum, qui pro huiusmodi dispensatione obtinenda ex partibus Indiarum ad Romanam Curiam personaliter accessit et in qua presens existit, ac Mariam predictos ab excommunicationis sententia, quam propter praemissa incurrerunt, incestus reatu et excessibus huiusmodi in utroque foro auctoritate nostra absolvas, ac cum eisdem quod impedimento secundi affinitatis gradus huiusmodi in linea aequali, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscunque, non obstantibus,

matrimonium inter se publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite valeant, dummodo dicta Maria propter hoc rapta non fuerit, eadem auctoritate dispenses, prolem susceptam si qua sit et suscipiendam exinde legitimam decernendo. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die V aprilis 1590, etc. anno V°.

532

Cum balsamum orientale

Arm. XLIV 29 fol. 419r-420v die 12 aprilis 1590

FACULTAS UTENDI BALSAMO LOCI

Cum balsamum orientale commode haberi nequit, quia arbusculae in Valle Hierico Terrae Sanctae a Turcis eradicatae fuerunt, Summus Pontifex in Brasilia ceterisque Indiarum regionibus alio balsamo quod ibi abunde colligitur utendi facultatem concedit.

Sixtus V

Ad futuram rei memoriam. Cum balsamum orientale, quod in Valle Hierico Terrae Sanctae colligitur, et quod Romana Ecclesia coeterarum Mater et Magistra in sancti Chrismatis confectione hactenus uti consuevit, hoc tempore quo eius arbusculae ab immani Turcarum feritate, qui in christiani nominis odium et ecclesiastici cultus contemptum sacramenti confirmationis materiam praecidere conantur, pro maiori parte eradicatae fuerunt, commode haberi minime possit, nos licet illud quod in ecclesia longo iam tempore probatum fuit in eodem chrismate conficiendo perpetuis futuris temporibus retineri cuperemus, eius tamen habendi difficultatem attendentes et ipsum bal-

samum in quacumque orbis terrarum parte colligatur, ut cuiuscumque qualitatis sit, modo balsami substantiam retineat, eiusdem sacramenti confirmationis materiam esse considerantes, quinimmo christifideles chrismate salutis unctos virtutum quae christianum hominem decent, suavitatem effusuros quocumque genere balsami aequi significari et per illius naturae vim, qua quicquid eo circumlatum est, incorruptum conservatur, sacramenti virtutem fidelium confirmatorum animos a criminum contagione praeservantes pari ratione demonstrari apud omnes pro comperto esse intelligentes de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregationis Sanctorum Rituum, quibus hoc negocium mature examinandum commisimus, consilio venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis in Portugalliae et Algarbiorum regnis, aliisque regnorum subiectis nunc et pro tempore existentibus, ut in sancto chrismate conficiendo posthac ipso orientali Terrae Sanctae balsamo deficiente alio balsamo quod ad eorumdem Turcarum confusionem et in tanti sacramenti a Domino instituti conservationem in Brasilii et novi orbis, caeterisque Indiarum regionibus ad agnitionem verae fidei divina bonitate traductis singularis eiusdem divinae providentiae beneficio inventum satiabunde colligitur, donec illud quod in ecclesia ab initio usitatum erat, ut desideramus, rursus haberi possit libere et licite utendi Apostolica auctoritate facultatem concedimus et indulgemus. Id autem eo libentius facimus quod foelicis recordationis Pium IIII et Gregorium XIII Romanos Pontifices praedecessores nostros ad sanctum chrisma conficiendum eiusdem balsami Brasilii et novi orbis, novarum Indiarum regionum usum iisdem fortasse rationibus adductos nonnullis episcopis concessisse compecimus. Volumus autem quod praesentium transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur quae presentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XII aprilis MDXC pontificatus nostri anno quinto.

533

Cum perdifficile

Arm. XLIV 29 fol. 421rv die 12 aprilis 1590

EADEM FACULTAS

Sixtus V

Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis in Portugalliae et Algarbiorum regnis aliisque provinciis, insulis et locis coronae eorumdem regnorum subiectis constitutis.

Venerabiles fratres salutem et Apostolicam benedictionem. Cum perdifficile vobis esse acceperimus balsami orientalis ad sanctum crisma conficiendum in locis vestrarum ecclesiarum copiam habere, ne ullum propterea ipsae ecclesiae paciantur incommodum foelicis recordationis Pii IIII et Gregorii XIII Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, qui id ipsum diversis Occidentalium ecclesiarum prelatis indulserunt, exemplo adducti, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregationi Sacrorum Rituum praefectorum quibus hoc negotium mature examinandum commisimus consilio, vobis vestrisque successoribus in perpetuum, ut in conficiendo sancto chrismate donec de perfectiori haberi poterit, eo balsamo, quod in Brasilii et novi orbis aliisve Occidentalibus regionibus colligitur, uti licite possitis, auctoritate Apostolica tenore presentium indulgemus, ac potestatem facimus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die duodecima aprilis millesimo quingentesimo nonagesimo, pontificatus nostri anno quinto.

534

Super gregem dominicum

Sec. Cam. 69 fol. 54rv die 1 maii 1590

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

In cappella hospitalis Beatae Mariae oppidi *La Habana* (*Havanna, Habana*), sub invocatione eiusdem Beatae Mariae «de la Soledad» instituta, consuetis condicionibus.

Sixtus V

Universis etc. salutem etc. Super gregem dominicum vigilantie nostre etc. feliciter adipisci. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia seu cappella hospitalis beate Marie oppidi de la Havana partium Indiarum Occidentalium maris Oceani una pia et devota utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione eiusdem beate Marie de la Soledad nuncupate canonice non tamen pro hominibus unius specialis artis erecta et instituta existat, cuius dilecti filii confratres in bonis operibus se student exercere, nos cupientes ut dicti confratres in huiusmodi et aliorum piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad eos necnon alii christifideles promptius ad confraternitatem predictam ingrediendam incitentur ipsaque confraternitas salutaribus in Domino magis in dies proficiat incrementis ac dicta ecclesia seu cappella in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus, pauperesque et infirmi dicti hospitalis ab ipsis christifidelibus sepius visitentur illique eo libentius ad illam devotionis causa confluant, quo ex hoc dono celestis gratie conspexerint se esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque

sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui eandem confraternitatem pro tempore imperpetuum ingredientur et in ea recipientur die primo eorum ingressus et receptionis huiusmodi si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint plenariam ac tam ipsis quam omnibus et singulis aliis nunc et pro tempore existentibus eiusdem confraternitatis utriusque sexus confratribus pro tempore ubilibet decedentibus etiam vere penitentibus et confessis ac sacra communione si id commode fieri potuerit refectis in eorum mortis articulo pium nomen Iesu corde si ore nequiverint invocantibus etiam plenariam; preterea tam ipsis confratribus quam universis et singulis aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui ecclesiam seu cappellam predictam in festivitate Incarnationis Domini nostri Iesu Christi a primis vesperis usque ad occasum solis diei festivitatis huiusmodi quolibet anno pro tempore visitaverint et ibi pias ad Deum preces pro Sancte Romane Ecclesie ac fidei catholice felici statu et exaltatione illiusque inimicorum depressione ac inter christianos principes conservanda pace, concordia et unione, heresumque extirpatione, hereticorum reductione et infidelium conversione effuderint qua die quacumque festivitate predicta id pro tempore fecerint si dictum Sanctissimum Sacramentum sumpserint primo et decimo et infrascriptis viginti annis similiter plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus et elargimur; reliquis vero decem et octo annis predictis septem annos et totidem quadragenas; illis vero qui missis et aliis divinis officiis in cappella seu ecclesia predicta ex consuetudine vel instituto seu intuitu dicte confraternitatis pro tempore celebrandis et recitandis seu congregationibus publicis vel secretis eiusdem confraternitatis ubivis faciendis interfuerint aut etiam pauperes puellas dotaverint vel matrimonio collocaverint aut pauperes hospitio susceperint vel scapularum conceptionis eiusdem beate Marie detulerint aut pacem cum inimicis propriis vel alienis composuerint seu componi fecerint vel procuraverint, necnon etiam qui corpora defunctorum tam confratrum quam aliorum ad sepulturam associaverint vel quascumque processiones per ipsam confraternitatem pro tempore de licentia ordinarii celebrandas dictumque Sanctissimum Sacramentum quando tam in processionibus quam ad infirmos aut alios ubicumque et quandocumque pro tempore defertur comitati fuerint seu impediti per alium vel alios associari fecerint aut campane ad id signo dato semel orationem dominicam et salutationem angelicam dixerint aut etiam qui quinquies eandem orationem et toties salutationem predictam pro animabus confratrum dicte confraternitatis defunctorum recitaverint quoties premissa vel aliquod pre-

missorum egerint centum dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad non confratres ecclesiam seu cappellam predictam ut prefertur visitantes ad viginti annos a die notificationis eorumdem presentium in illis partibus faciende computandos in reliquis vero premissis perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod si confratribus et aliis christifidelibus predictis ratione premissorum vel alias aliqua alia indulgentia imperpetuum vel ad certum nondum elapsum tempus duratura per nos concessa fuerit eodem presentes nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominice 1590, kalendis maii, pontificatus nostri anno sexto.

535

Oblata nobis pro parte

Sec. Brev. 153 fol. 200rv die 1 augusti 1590

DISPENSATIO IN PRIMO ET SECUNDO GRADU CONSANGUINITATIS

Sixtus V

Dilecte fili salutem etc. Oblata nobis pro parte dilectorum filiorum Francisci de Barros et Ioannae etiam de Barros mulieris Carthaginen. civitatis vel diocesis in Indiis Occidentalibus petitio continebat, quod ipsis alias scientibus se primo et secundo consanguinitatis gradibus a communi stipite et ex eo provenientibus quia dictus Franciscus

patruus seu avunculus dictae Ioannae existit, invicem esse coniunctos, idem Franciscus non quidem peccandi data opera ut crimine admisso haec causa foret, nos et Apostolicam Sedem ad misericordiam et gratiam erga ipsos faciliores reddendi, sed solum vesana libidine victus dictam Ioannam cognovit. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, nisi matrimonium inter ipsos Franciscum et Ioannam contrahatur, dicta Ioanna diffamata et innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent verisimiliter exoriri, cupiant Franciscus qui pro obtinenda huiusmodi dispensatione ad Hispaniarum regna cum maximo vitae suae periculo ac sumptibus se contulit et Ioanna, que matre orbata existit, invicem matrimonialiter copulari, sed stante impedimento huiusmodi eorum in hac parte desiderium adimplere non possunt absque nostra et Sedis Apostolicae dispensatione. Propterea nobis humiliter supplicari fecerunt ut eis in praemissis de absolutionis beneficio et dispensationis gratia opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur certam praemissorum notitiam non habentes huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per presentes committimus et mandamus ut deposita omni spe cuiuscunque muneris aut praemii etiam sponte oblati a quo te sub excommunicationis poena abstinendum monemus, te de praemissis diligenter informes et si ea vera esse compereris super quo tuam conscientiam oneramus, tunc imposita Francisco et Ioanna predictis propter incestum huiusmodi arbitrio tuo poenitentia salutari, ac recepto ab eis iuramento quod sub spe facilius habendae dispensationis huiusmodi incestum hoc non commiserint et quatenus contra ipsos causa super praemissis in iudicium quoquomodo deducta fuerit parito iudicato eos ab incestus reatu et ab excommunicationis sententia quam propter praemissa incurrerunt, ab excessibus huiusmodi in utroque foro auctoritate nostra absolvas et cum eisdem, quod impedimentis primi et secundi consanguinitatis graduum huiusmodi ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, matrimonium inter se publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite valeant dummodo dicta Ioanna propter hoc rapta non fuerit eadem auctoritate decernendo. Datum Romae in Monte Quirinali sub annulo piscatoris die primo augusti MDLXXXX, pontificatus nostri anno sexto.

536

Romanorum gesta Pontificum

Sec. Cam. 73 fol. 84r-85r die 8 decembris 1590

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione sancti Michaelis Archangeli in ecclesia metropolitana Mexicanensi iam a Sixto V instituta, consuetis condicionibus, quas Sixtus quintus iam concesserat.

Gregorius XIV

Universis etc. salutem etc. Romanorum gesta Pontificum presertim salutem animarum concernentia super quibus illorum superveniente obitu littere Apostolice confecte non fuerunt recenseri iustum reputamus et rationi consonum ut illa universis christifidelibus innotescant. Dudum siquidem per felicis recordationis Sixtum papam quintum predecessorem nostrum accepto quod in ecclesia metropolitana Mexicanensi in partibus Indiarum Occidentalium ad altare Sancti Michaelis Archangeli una pia ac devota utriusque sexus christifidelium confraternitas non tamen pro hominibus unius specialis artis sub invocatione eiusdem Sancti Michaelis Archangeli ad Dei omnipotentis laudem et animarum salutem pie et canonice instituta erat, cuius dilecti filii confratres magna cum devotione et populi concursu festivitates apparitionis et dedicationis eiusdem Sancti Michaelis Archangeli celebrabant omnibusque quartis feriis quarumlibet hebdomadarum totius anni ad honorem eiusdem Sancti Michaelis missam solemnem de festo ipsius Sancti Michaelis ad predictum altare ipsis confratribus et magna totius populi civitatis Mexicanensis parte illi assistente celebrari facere diversaque alia pietatis et charitatis opera exercere consueve-

rint ut igitur ipsi confratres in huiusmodi et aliorum piorum operum exercitio confoverentur ac magis ad ea imposterum exercenda, necnon alii christifideles ad confraternitatem predictam ingrediendam peramplius incitarentur, ipsaque confraternitas salutaribus in Domino magis in dies proficeret incrementis ac ecclesia et altare predictum in debita veneratione haberetur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentaretur honoribus illique eo libentius ad ipsam devotionis causa confluerent quo ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos et Indi illorum partium in fide catholica quam noviter receperant melius consolidarentur sub data videlicet idibus iulii pontificatus sui anno sexto de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisus supplicationibus venerabilis fratris nostri tunc sui Petri [1] archiepiscopi Mexicanensis et totius regni Nove Hispanie metropolitani qui magnum ab eius infantia erga Archangelorum festivitates gesserat ac etiam tunc gerebat devotionis affectum inclinatus, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui eandem confraternitatem pro tempore imperpetuum ingrederentur et in ea reciperentur die primo eorum ingressus et receptionis huiusmodi si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpsissent, ac ipsis confratribus pro tempore videlicet decedentibus etiam vere penitentibus ac confessis ac sacra communione si id commode fieri posset refectis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde si ore non potuissent invocantibus aut aliquod penitentie signum facientibus; preterea ipsis confratribus etiam vere penitentibus et confessis qui ecclesiam et altare predictum in festo dedicationis eiusdem Sancti Michaelis devote singulis annis a primis vesperis usque ad occasum solis diei eiusdem festivitatis visitavissent ac inibi pro pace inter principes christianos conservanda ac Sancte Matris Ecclesie exaltatione, heresumque extirpatione, hereticorum reductione et infidelium conversione effudissent, quorumcumque die id fecissent si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpsissent plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate concessit et elargitus fuit litteris Apostolicis tunc desuper conficiendis perpetuo duraturis; voluit autem idem Sixtus predecessor quod si eisdem confratribus ratione premissorum vel alias aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad certum nondum tunc elapsum tempus per ipsum concessa fuisset eedem presentes littere nullius essent roboris vel momenti. Ne autem de concessione, elargitione et voluntate predictis pro eo quod super illis eiusdem Sixti pre-

[1] Petrus Moya de Contreras, archiepiscopus Ecclesiae Mexicanensis 1573-1592.

decessoris eius superveniente obitu littere Apostolice desuper confecte non fuerint valeat quomodolibet hesitari dictique confratres illorum functionibus et officiis volumus et similiter Apostolica auctoritate decernimus quod concessio, elargitio et voluntas eiusdem predecessoris perinde a dicta die idibus iulii suum sortiantur effectum, ac si super illis dicti predecessoris littere sub eiusdem diei date confecte fuissent, prout superius enarratur, quodque presentes littere ad probandum plene concessionem, elargitionem et voluntatem predecessoris huiusmodi ubique sufficiant nec ad id probationis alterius advinculum requiretur eisdem presentibus ut supra duraturis. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo nonagesimo, sexto idus decembris anno primo.

537

Exponi nobis nuper

Sec. Brev. 175 fol. 211rv — die 19 ianuarii 1591

LICENTIA SUSCIPIENDI HABITUM MILITIAE SANCTI IACOBI DE SPATA

Gregorius XIV

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

Charissime in Christo fili noster salutem etc. Exponi nobis nuper fecit Maiestas tua quod cum tu habitum militiae Sancti Iacobi de Spata, ordinis Sancti Augustini, cuius tu perpetuus administrator

Apostolica auctoritate deputatus existis, dilecto filio Petro Alphonso Carasco incolae civitatis de Cusco provinciae del Perù et Encomendero tradere, professionemque per milites dictae militiae emitti solitam ab eo recipere intenderes et in ipsius Petri nobilitatem, genus et alias iuxta eiusdem militiae statuta, definitiones et stabilimenta inquiri mandasses, consiliariorum dictae militiae tuorum, quibus huiusmodi examen commissum fuit, fidedigna relatione accepisti matrem ipsius Petri non ex nobili hidalgorum sed labradorum genere avum autem maternum eiusdem Petri non ex legitimo matrimonio, prout militiae predictae statuta etiam ab Apostolica Sede confirmata requirunt, sed ex presbitero soluto aut alias genitum fuisse; et cum tu eidem Petro ob grata ab eo et eius patre, qui iuxta eiusdem militiae statuta nobilis et ex limpiorum hidalgorum genere procreatus existit, in eisdem regnis del Perù, cuius tu etiam Rex existis, tibi praestita officia satisfacere cupias nobis humiliter supplicari fecisti ut in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati tibi, ut defectu nobilitatis ex parte matris avique materni natalium defectu super quibus cum illo auctoritate presentium dispensamus non obstante, eidem Petro habitum dictae militiae tradere et professionem per milites eiusdem militiae emitti solitam ab eo recipere, ita quod ipse Petrus omnibus et singulis honoribus, gratiis et prerogativis, quibus alii nobiles milites utuntur et gaudent, uti, frui et gaudere libere et licite possit et valeat, auctoritate Apostolica, tenore presentium facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac ipsius militiae iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis eidem militiae illiusque superioribus et personis sub quibuscumque tenore et formis in contrarium quomodolibet concessis. Quibus omnibus illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die XIX ianuarii 1591, anno primo.

538

Piis devotisque tuis

Sec. Brev. 175 fol. 220r die 21 ianuarii 1591

LICENTIA INGREDIENDI MONASTERIA MONIALIUM

Gregorius XIV

Dilecte in Christo filiae Tiresiae de Castro et della Queva Proregis provinciae del Perù in partibus Indiarum uxore.

Dilecta in Christo filia salutem etc. Piis devotisque tuis supplicationibus annuentes tibi ut donec maritus in partibus Indiarum Proregis munere fungitur quolibet anno in solemnioribus festivitatibus Sanctissimi Domini nostri Iesu Christi ac beatae Mariae virginis eius genitricis, vel eorum octavis quaecunque monasteria monialium cuiusvis ordinis in provincia del Perù consistentia de consensu monialium et illarum superiorum ingredi et cum ipsis monialibus colloqui, conversari et corporalem refectionem sumere non tamen pernoctare a duabus honestis matronis tantum modesto habitu indutis et provectae [...] aetatis associata libere et licite valeas, auctoritate Apostolica, tenore presentium licentiam concedimus et impartimur. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis prohibitionibus super clausura monialium factis et monasteriorum, ordinumque predictorum, iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 21 ianuarii 1591, anno primo [1].

---

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 221r.

539

Expositum nobis nuper

Sec. Brev. 157 fol. 142rv; 158 fol. 142r die 2 martii 1591

DISPENSATIO SUPER DEFECTU NATALIUM

Pro Andrea de Palanco qui militiae clericali ascribi cupit, ut ad sacros etiam presbyteratus ordines promoveri possit, ab archiepiscopo Limensi concedenda, si aliud canonicum impedimentum Andreae non obsistere compererit.

Gregorius XIV

Venerabili fratri Archiepiscopo Limen. in provincia Peruali Indiarum Occidentalium, seu vicario Sede Archiepiscopali Limensi vacante deputato.

Venerabilis frater salutem etc. Expositum nobis nuper fuit nomine dilecti filii Andreae de Palanco, laici illius diocesis, quod ipse ex fervore devotionis cuperet militiae clericali ascribi, sacrisque ordinibus initiari, id tamen exequi non potest quia ex soluto et soluta, aut alias defectum natalium patitur absque Sedis Apostolicae dispensatione. Propterea nobis humiliter supplicari fecit ut ei in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur certam praemissorum notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per presentes mandamus, ut si dicto Andreae aliud canonicum non obsistere compereris [impedimentum] cum eo super defectu natalium huiusmodi, ac irregularitate ex eo proveniente, ita ut eis non obstantibus clericali caractere insigniri et ad quatuor minores, nec non etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri et promotus in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeat, dummodo tamen ad hoc alias idoneus repertus fuerit, dispenses, super quo [etc.] facultatem tibi auctoritate Apostolica, tenore

presentium concedimus et impartimur. Non obstantibus felicis recordationis Sixti papae V praedecessoris nostri et aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum contra illegitimos editis, ac aliis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, statutisque et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 2 martii 1591, anno primo.

540

Expositum nobis nuper

Sec. Brev. 157 fol. 139rv; 158 fol. 139r — die 2 martii 1591

DISPENSATIO SUPER DEFECTU NATALIUM

Pro Ioanni de Villadiego dioecesis Limensis, qui militiae clericali ascribi cupit, ut ad sacros etiam presbyteratus ordines promoveri possit, ab archiepiscopo Limensi concedenda, si praemissa vera esse compererit.

Gregorius XIV

Venerabili fratri Archiepiscopo Limen. in provincia Peruali Indiarum Occidentalium seu vicario Sede Archiepiscopali Limensi vacante deputato.

Venerabilis frater salutem etc. Expositum nobis nuper fuit nomine dilecti filii Iannis de Villadiego, laici istius diocesis, quod ipse ex fervore devotionis cuperet militiae clericali ascribi, sacrisque ordinibus initiari, id tamen exequi non potest, quia ex coniugato et coniugata, aut alias defectum natalium patitur absque Sedis Apostolicae dispensatione. Propterea nobis humiliter supplicari fecit ut ei in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur certam praemissorum notitiam non habentes huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per presentes mandamus ut si predicto Ioanni aliud canonicum non obsistere compereris impedimentum cum

eo super defectu natalium huiusmodi ac irregularitate ex eo proveniente, ita ut eis non obstantibus clericali caractere insigniri et ad quatuor minores, nec non etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri et promotus in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeat, dummodo tamen ad hoc alias idoneus repertus fuerit, dispenses, super quo [etc.] facultatem tibi auctoritate Apostolica, tenore presentium concedimus et impartimur. Non obstantibus felicis recordationis Sixti Papae V praedecessoris nostri et aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum contra illegitimos editis, ac aliis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, statutisque et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 2 martii 1591, anno primo.

541

Expositum nobis nuper

Sec. Brev. 157 fol. 141rv; 158 fol. 141r — die 2 martii 1591

DISPENSATIO SUPER DEFECTU NATALIUM

Pro Petro de Aguilera qui militiae clericali ascribi cupit, ut ad sacros etiam presbyteratus ordines promoveri possit, ab episcopo Chilensi concedenda, si aliud canonicum impedimentum Petro non obstare compererit.

Gregorius XIV

Venerabili fratri Episcopo Chilensi in provincia Peruali Indiarum Occidentalium de la Imperial seu vicario Sede Episcopali Chilensi vacante deputato.

Venerabilis frater salutem etc. Expositum nobis nuper fuit nomine dilecti filii Petri de Aguilera, laici istius diocesis, quod ipse ex fervore devotionis cuperet militiae clericali ascribi, sacrisque ordinibus

initiari, id tamen exequi non potest, quia ex coniugato et forsan soluta aut alias genitus defectum natalium patitur absque Sedis Apostolicae dispensatione. Propterea nobis humiliter supplicari fecit ut ei in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur certam praemissorum notitiam non habentes huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per presentes mandamus ut si predicto Petro aliud canonicum non obstare compereris [impedimentum] cum eo super defectu natalium huiusmodi ac irregularitate ex eo proveniente, ita ut eis non obstantibus clericali caractere insigniri et ad quatuor minores, necnon etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri et promotus in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeat, dummodo tamen ad hoc alias idoneus repertus fuerit dispenses, super quo [etc.] facultatem tibi auctoritate Apostolica, tenore presentium concedimus et impartimur. Non obstantibus felicis recordationis Sixti Papae V praedecessoris nostri et aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum contra illegitimos editis, ac aliis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, statutisque et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 2 martii 1591, pontificatus nostri anno primo.

542

Super gregem dominicum

Sec. Cam. 73 fol. 153rv — die 7 martii 1591

INDULGENTIA PRO CONFRATERNITATE

Animarum purgatorii nuncupata, in maiori ecclesia civitatis Legionensis de *Huánuco* Limensis dioecesis erecta, consuetis condicionibus.

Gregorius XIV

Universis etc. salutem etc. Super gregem dominicum divinitus etc. invitamus. Cum itaque sicut accepimus in maiori ecclesia oppidi

civitatis nuncupati Legionensis de Guanuco, Limensis diocesis seu Regum partium Indiarum del Perú, una pia et devota utriusque sexus christifidelium confraternitas animarum purgatorii nuncupata non tamen pro hominibus unius specialis artis canonice instituta sit cuius dilecti filii confratres quam plurima charitatis, pietatis et misericordie opera exercere consueverunt. Nos igitur cupientes ut ipsi et pro tempore existentes dicte confraternitatis confratres in huiusmodi piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea in posterum exercenda necnon alii christifideles ad dictam confraternitatem ingrediendam peramplius invitentur, dictaque ecclesia in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad ecclesiam predictam eiusdem confraternitatis devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerit se refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis christifidelibus vere penitentibus et confessis qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur die primo illorum ingressus si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint; necnon tam ipsis quam ad presens existentibus ipsius confraternitatis etiam vere penitentibus et confessis ac eodem Sanctissimo Sacramento refectis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde si ore nequiverint invocantibus indulgentiam plenariam et omnium peccatorum suorum remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus. Preterea ipsis confratribus quoties divinis officiis in eadem ecclesia seu capella vel oratorio more confratrum celebrandis aut congregationibus publicis vel secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint aut ipsum Sanctissimum Sacramentum dum ad aliquem infirmum defertur associaverint aut hoc impediti campane ad id signo dato genuflexi semel orationem dominicam pro eodem infirmo recitaverint aut processionibus ordinariis et extraordinariis tam predicte confraternitatis quam aliis quibuscumque de licentia ordinarii celebrandis ac sepeliendis mortuis officio se interfuerint, aut infirmos consolati fuerint in eorum necessitatibus, vel pauperes peregrinos hospitio exceperint aut elemosinis vel officiis adiuverint, aut pacem cum inimicis composuerint vel quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro animabus dicte confraternitatis in Christi charitate defunctorum recitaverint aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint eum generalia Dei precepta et que ad salutem sunt docuerint aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties pro quomodolibet premissorum piorum operum sexaginta dies, insuper tam ipsis confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis qui ecclesiam predictam in commemoratione omnium fidelium de-

functorum que pro festivitate principali dicte confraternitatis et secunda die mensis novembris celebratur a primis vesperis usque ad occasum solis diei commemorationis huiusmodi singulis annis devote visitaverint et inibi pro exaltatione Sanctae Matris Ecclesie, heresum extirpatione, hereticorum conversione ac inter christianos principes fovenda pace aliquas ad Deum preces effuderint quo die predicto id fecerint si predictum Sacramentum sumpserint pro confratribus plenariam et non confratribus predictis pro primo anno infradicti decennii etiam plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, pro reliquis vero novem annis septem annos et totidem quadragenas etiam concedimus et elargimur. Postremo eisdem confratribus qui pariter penitentes et confessi ecclesiam et capellam seu oratorium predicta assumptionis et nativitatis beate Marie virginis ac exaltationis necnon inventionis Sancte Crucis festivitatibus et earum singulis etiam devote visitaverint ibidemque ut supra oraverint alios septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis auctoritate et tenore premissis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad christifideles etc. duraturis. Volumus autem etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno etc. MDLXXXX, nonis martii pontificatus nostri anno primo.

543

Exponi nobis nuper

Sec. Brev. 178 fol. 58rv — die 30 martii 1591
Hernáez I 407-408

FACULTAS RECIPIENDI ORDINES SACROS «EXTRA TEMPORA»

Gregorius XIII presbyteris Societatis Iesu in provincia *Perú* facultatem concesserat, ut ad sacros ordines etiam *extra tempora* promoveri possent. Gregorius XIV religiosis Ordinis Fratrum Praedicatorum in eadem provincia concesserat, ut quattuor fratres ex unaquaque domo *tribus festivis diebus* ad sacros ordines promoveri possent. Supplicationibus Petri de la Serna, procuratoris generalis provinciae Sancti Ioannis Baptistae de *Perú* Ordinis Fratrum Praedicatorum inclinans, Gregorius XIV nunc eandem facultatem Societati Iesu concessam, Ordini Fratrum Praedicatorum communicat.

Gregorius XIV

Ad perpetuam rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus de la Serna procurator generalis provincie Sancti Ioannis Baptistae del Perú, ordinis fratrum Predicatorum, quod cum dudum felicis recordationis Gregorius Papa XIII predecessor noster, cum presbiteris Societatis Iesu dicte provincie, ut ad omnes etiam sacros et presbiteratus ordines extra tempora a iure statuta promoveri libere et licite valerent, dispensaverit, seu eis desuper indulserit prout in literis dicti predecessoris desuper in forma brevis confectis plenius continetur, nosque nuper professoribus dicti ordinis fratrum Predicatorum huius provincie, ut quatuor professores seu fratres ex unaquaque illorum domo seu conventu dicte provincie tribus festivis diebus ad ordines predictos promoveri possent, concesserimus ut se in predicatione evangelica et populi illarum partium conversione ac salute animarum procuranda continuo exercerent. Nos premissa ut suum debitum et optatum effectum facilius consequantur, providere volentes, ac tenores predictarum litterarum perinde ac si de verbo ad verbum insererentur presentibus pro expressis habentes, de consilio venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium super negotiis regularium deputatorum, quibus hoc negotium examinandum et nobis referendum commisimus, uniuscuiusque domus seu conventus omnibus et singulis dicti ordinis fratrum Predicatorum professoribus provincie predicte licentiam et facultatem suscipiendi ordines sacros extra tempora a iure statuta presbiteris dicte Societatis Iesu, ut prefertur, per dictum predecessorem concessam, Apostolica auctoritate, tenore presentium, perpetuo communicamus, illisque eamdem facultatem et licentiam suscipiendi ordines predictos extra dicta tempora, quemadmodum dictis presbiteris concessa fuit et iuxta tenorem dictarum litterarum concedimus. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod presentium transumptis ex manu alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius persone in dignitate ecclesiastica constitute munitis eadem prorsus fides adhibeatur, que presentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 30 martii 1591, anno primo [1].

---

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 59r.

544

Nuper contulimus dilecto

Sec. Brev. 178 fol. 103r-104v die 3 aprilis 1591

CONFIRMATIO COLLATIONIS CANONICATUS ET PRAEBENDAE

Gregorius XIV

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Mexican. et episcopo Amerin., ac dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori et eorum cuilibet.

Venerabiles fratres et dilecti fili salutem etc. Nuper contulimus dilecto filio Didaco de Herrera canonico ecclesiae Segobien., magistro in theologia, canonicatum et prebendam dicte ecclesie per obitum quondam Ioannis de Arreo canonici dicte ecclesie de mense novembris proxime preterito defuncti vacantes et pro eo quod, ut tunc asserebatur, de illis per ordinarium collatorem usque ad diem Assumptionis nostre ad summi apostolatus apicem dispositum non fuit dispositioni Apostolice reservatos, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Nos cupientes dictum Didacum huiusmodi gratie nostre effectu quamprimum potiri vobis per presentes mandamus ut vos vel duo aut unus vestrum, si et postquam dicte litere vobis presentate fuerint, vobisque summarie constiterit quod dictus Ioannes eorumdem canonicatus et prebende possessor in dicto mense obierit et de illis sic vacantibus per ordinarium predictum usque ad diem Assumptionis huiusmodi dispositum non fuerit per vos vel alium seu alios eundem Didacum vel procuratorem suum eius nomine in coporalem possessionem dictorum canonicatus et prebende ac illis forsan annexorum iuriumque et pertinentiarum suarum omnium et quorumcumque indu-

catis auctoritate nostra et defendatis inductum, amotis inde et expulsis quibuscumque detentoribus et intrusis, non tamen a nobis provisionem habentibus, quos detentores et intrusos nos auctoritate presentium amovemus et amotos denuntiamus, facientes eidem Didaco vel procuratori predicto de canonicatus et prebende ac annexorum eorumdem fructibus, reditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis etiam a die obitus dicti Ioannis decursos integre responderi; eosdem detentores et intrusos ac prorsus quoscumque alios contradictores et rebelles eisque auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe seu indirecte, quomodolibet prestantes per censuras ecclesiasticas et penas etiam pecuniarias ac privationem suorum beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque ac inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda, aliaque opportuna iuris et facti remedia appellatione postposita compescendo legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias et censuras ipsas etiam iteratis vicibus aggravando invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, decernentes vos aut predictum Didacum neminem propterea obstante reservatione spoliasse nec amotos et expulsos super spolio aut unde vi agere posse, nec eis actionem spolii competere nec collationes, provisiones aut alias dispositiones de dictis canonicatu et prebenda factas ad colorandum huiusmodi spolium prodesse, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici auditores sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate ubique iudicari et diffiniri debere, necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII predecessoris nostri de una et in concilio generali edita de duabus dietis dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate presentium ad iudicium non trahatur, aliisque Apostolicis constitutionibus ac dicte ecclesie iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, necnon inhibitionibus etiam a dictis auditoribus eorumve aliquo seu aliquibus, vigore quarumcumque commissionum Apostolicarum iam forsan decretis, non tamen executioni demandatis aut post hac emanandis contrariis quibuscunque; seu si detentoribus et intrusis predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die tertia aprilis 1591, anno primo.

545

Expositum nobis nuper

Sec. Brev. 178 fol. 331rv die 24 aprilis 1591

DISPENSATIO SUPER DEFECTU NATALIUM

Gregorius XIV

Venerabili fratri Archiepiscopo Mexican. in Indiis Occidentalibus seu dilecto filio eius officiali.

Venerabilis frater seu dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Expositum nobis nuper fuit nomine dilecti filii Andreae de Ribera laici istius civitatis vel diocesis Mexican., quod ipse, qui in vigesimo secundo suae aetatis anno constitutus existit, zelo devotionis accensus clericali militiae ascribi et ad sacros ordines promoveri desiderat, sed quia defectum natalium ex presbitero et coniugata defunctorum patitur, desiderium istud adimplere non potest absque Sedis Apostolicae dispensatione; nobis propterea humiliter supplicari curavit ut in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eundem Andream specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes huiusmodi supplicationibus inclinati tibi per presentes committimus et mandamus ut si eundem Andream tali ad virtutem propensione et probitate preditum esse ut geniturae maculam compenset et paternae incontinentiae non imitatorem existere compereris, cum eo super huiusmodi natalium defectu et irregularitate ex eo provenientibus ita ut illis non obstantibus clericali militiae ascribi et etiam sacros et presbiteratus ordines suscipere, ac beneficia ecclesiastica tam in collegiatis quam in cathedralibus, si illi canonice conferantur, recipere et retinere dummodo tamen ad premissa idoneus re-

periatur libere et licite valeat, auctoritate nostra dispenses. Non obstantibus felicis recordationis Sixti V et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum predecessorum nostrorum contra illegitimos, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus statutis quoque et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 24 aprilis 1591, anno primo.

546

Religiosorum quorumcumque

Sec. Brev. 178 fol. 344rv — die 25 aprilis 1591

AUCTORITAS COMMISSARII PERDURAT USQUE AD NOVI COMMISSARII ADVENTUM

Gregorius XIV

Ad futuram rei memoriam. Religiosorum quorumcumque prospero regimini ut in humilitatis spiritus debitum Altissimo famulatum quiete et pacifice, ut decet, exhibeant, quantum cum Deo possumus, consulere studemus. Nuper siquidem exponi nobis fecit dilectus filius Franciscus de Tolossa minister generalis ordinis fratrum minorum Sancti Francisci de observantia, quod cum ex veteri ipsius ordinis consuetudine a ministro generali pro tempore deputari soleant commissarii generales eiusdem ordinis in Indiis Occidentalibus et Orientalibus, qui ordinis huiusmodi gubernium in illis partibus usque ad novorum commissariorum adventum gerunt; sed quia evenit saepe ut

cum ipsi ministri officium suum compleverint, fratres illarum partium ipsis commissariis obedire recusent, allegantes ipsorum una cum ipsius ministri cessare superioritatem, unde multa quandoque scandala suboriri solent, quibus ipse Franciscus obviam iri cupiens, nobis humiliter supplicari fecit ut nostram in praemissis auctoritatem interponere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui religiosis obedientiam quam devoverunt violare ullo praetextu fas esse non censemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica, tenore presentium perpetuo statuimus et decernimus commissariorum sic pro tempore in illis partibus deputatorum a generali ministro superioritatem usque ad novorum commissariorum in illas partes adventum perdurare, ipsarumque partium fratres et religiosos dicti ordinis quoscunque toto eo temporis spatio obedientiam et reverentiam consuetas exhibere debere, nec ab illa praedicto vel alio quocunque praetextu exemptos esse, ipsosque commissarios illos visitare, corrigere, reformare, atque ad obedientiam praestandam recusantes penis ecclesiasticis et aliis opportunis remediis iuxta ordinis ipsius constitutiones coercere posse ac debere, sicque per quoscunque ministros et superiores eiusdem ordinis, aliosque iudices ordinarios et delegatos sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate ubique iudicari et diffiniri debere, irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac praedicti ordinis, statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis et litteris Apostolicis eidem ordini, illiusque superioribus et personis in genere vel in specie quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus illorum tenores presentibus pro expressis habentes hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die 25 aprilis 1591, anno primo [1].

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 345r.

547

Quamquam vos

Sec. Brev. 180 fol. 185r-187r die 7 maii 1591

MISSIONARII RELIGIOSI TAMQUAM INTRA CLAUSTRA VIVENTES CONSIDERANDI SUNT

Neque ab Ordinario loci molestari debent, si sub oboedientia superiorum suorum vivunt et quolibet anno coram eos sese praesentant et innovationem licentiarum obtinent.

Gregorius XIV

Dilectis filiis prioribus Ordinis fratrum Praedicatorum provinciae Sancti Ioannis Baptistae del Perú.

Dilecti filii salutem etc. Quamquam vos sicut exponi nobis fecistis ad praedicandum sacrosanctum Dei Evangelium et viam veritatis et salutis etc. monstrandum in die a vestris praelatis et superioribus deputati existatis, vobisque provincialis sub cuius obedientia vivitis assignatus sit, nihilominus praelati, conventus ubi degitis et episcopi istarum partium praetendunt vos extra claustra existere et ut tales ad iudicandos fore in rebus a Concilio Tridentino expositis in notorium vestrum gravamen; nos quieti et statui vestro hac in parte consulere cupientes, ac de praemissis ex relatione dilectorum filiorum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super causis episcoporum et regularium deputatorum informati harum serie decernimus vos ad praemissa obeunda a vestris praelatis deputatos et sub obedientia vestri provincialis viventes reputandos esse tamquam religiosos viventes intra claustra et sub obedientia vestrorum praelatorum, ac propterea non esse ab ordinariis molestandos nisi in casibus in dicto concilio reservatis dummodo quolibet anno vos coram vestris superioribus

praesentetis et innovationem licentiarum obtineatis, sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpraetandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et diffiniri debere; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, mandantes eisdem ordinariis sub indignationis nostrae poena per quemlibet contrafacientem eo ipso incurrenda ne vos aut aliquem vestrum praemissa peragentes, nisi in casibus a sacro Concilio Tridentino reservatis, quoquomodo molestare, perturbare aut inquietare audeant seu praesumant; nec non priori Sancti Augustini et custodio ordinis Sancti Francisci de observantia ac commendatori ordinis beatae Mariae de Mercede monasteriorum civitatis Regum, vel Cusquen., quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios vobis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes non permittant vos ab ipsis ordinariis seu quibusvis aliis contra praesentium tenorem molestari. Contradictores quoslibet ac rebelles et praemissis non parentes per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non ordinis et provinciae huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus eorum tenores praesentibus pro expraessis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expraesse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum, quia difficile foret presentes literas ad singula quaeque loca, ubi necesse fuerit, deferri, volumus et similiter dicta auctoritate decernimus quod praesentium transumptis etiam impraessis et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae in Monte Quirinali etc., die 7 maii 1591, anno primo.

548

Quoniam nova negotia

Arm. XLIV 35 fol. 238v-239v die 9 maii 1591

NUNTIUS EXTRAORDINARIUS COMMENDATUR

Summus Pontifex archiepiscopo Mexicano Nuntium suum extraordinarium apud regem Hispaniae commendat ac eam fidem ei tribuere requirit quam personae ipsius Summi Pontificis tribueret.

Gregorius XIV

Venerabili fratri Petro archiepiscopo Mexicano [1] Indiarum praesidenti.

Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Quoniam nova negotia novum aliquando eorundem negotiorum gestorem requirunt, propterea dilectum filium magistrum Darium Buccarinum nostrum et Sedis Apostolicae notarium, secretariumque nostrum intimum apud Catholicam Maiestatem nostrum et Apostolicae Sedis pro nonnullis nostris et eiusdem Sedis nuncium specialem destinavimus, virum magni ingenii et spectatae dexteritatis et ab experto in primis fidelem atque prudentem. Eundem igitur fraternitati tuae commendamus; speramus autem ipsum partim suis virtutibus, partim negociorum quae suscepit causa tibi charum atque acceptum futurum. Ut vero eius verbis eam fidem omnino tribuas, quam nobis praesentibus tribueres a tua pietate atque prudentia requirimus et ut tua studia et officia in eum libenter conferas a tua etiam erga nos et Sedem Apostolicam observantia expectamus. Apostolicam interea benedictionem

[1] Archiepiscopus Ecclesiae Mexicanensis erat Petrus Moya de Contreras.

tibi impartimur et bona omnia a Domino deprecamur. Datum Romae in Monte Quirinali sub annulo piscatoris die nona maii millesimo quingentesimo nonagesimo primo, pontificatus nostri anno primo.

549

Oblata nobis nuper

Sec. Brev. 180 fol. 156rv die 15 maii 1591

LICENTIA DISPENSANDI IN PRIMO ET TERTIO AFFINITATIS GRADU

Gregorius XIV

Dilecto filio Offitiali Carthaginen.

Dilecte fili salutem etc. Oblata nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Ferdinandi de Altamirano laici Placentin. diocesis, provinciae Compostellan., et Catherinae de Vera mulieris Carthaginen. civitatis vel diocesis in Indiis Occidentalibus petitio continebat, quod cum quondam Franciscus de Carvajal ipsius Catherinae dum viveret maritus eandem Catherinam, quatinus ipsa predicto Ferdinando nuptui traderetur, heredem bonorum suorum universalem instituerit, dicta Catherina quae in trigesimo suae aetatis anno constituta existit, hactenus cum dote quam incompetentem habet si dicto Ferdinando non nubat alium virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis cui nubere possit invenire nequeat, cupiunt Ferdinandus et Anna [sic] predicti invicem matrimonialiter copulari, sed quia primo et tertio affinitatis gradibus a communi stipite provenientibus invicem se attinent, desiderium eorum hac in parte adimplere non possunt abs-

que Sedis Apostolicae dispensatione. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt quatinus eis de dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos dictos Ferdinandum et Catherinam specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per presentes committimus et mandamus, quatinus deposita omni spe cuiuscunque muneris aut premii etiam sponte oblati a quo te omnino abstinere debere monemus te de premissis diligenter informes et se per informationem eandem praeces veritate niti repereris super quo tuam conscientiam oneramus, tunc cum eisdem Ferdinando et Catherina quod impedimentis primi et tertii affinitatis gradium huiusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscunque non obstantibus matrimonium inter se publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite valeant, Apostolica auctoritate dispenses, prolemque suscipiendam exinde legitimam nuncies. Volumus autem ut si munus aut premium occasione dictae dispensationis qualecunque exegeris aut oblatum receperis excommunicationis latae sententiae poenam incurras et nihilominus dispositio a te facienda a predicta nullius sit roboris vel momenti. Datum Romae in Monte Quirinali, die 15 maii 1591, anno primo.

550

Super gregem dominicum

Sec. Cam. 73 fol. 118v-119v — die 15 maii 1591

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione Verae Crucis in capella Crucifixi ecclesiae monasterii sancti Dominici in civitate *Cuzco* erecta, consuetis condicionibus, inter alias ut pro propagatione fidei, pro pace et pro unitate Ecclesiae preces effundantur.

Gregorius XIV

Universis etc. salutem etc. Super gregem dominicum etc. feliciter adipisci. Cum itaque sicut accepimus in capella Crucifixi sita in ecclesia domus seu monasterii Sancti Dominici Cuscan. partium Indiarum una pia et devota utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione vere Crucis canonice non tamen pro hominibus unius specialis artis erecta et instituta existat, cuius dilecti confratres in bonis operibus se student exercere, nos cupientes ut dicti confratres in huiusmodi et aliorum piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea necnon alii christifideles promptius ad confraternitatem prefatam ingrediendam incitentur, ipsa confraternitas salutaribus in Domino magis in dies proficiat incrementis, ac dicta capella in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerint se esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui eandem confraternitatem pro tempore in perpetuum ingredientur et in ea recipientur die primi eorum ingressus et receptionis huiusmodi si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint plenariam ac tam ipsis quam omnibus et singulis aliis nunc et pro tempore existentibus eiusdem confraternitatis utriusque sexus confratribus pro tempore ubilibet decedentibus etiam vere penitentibus et confessis ac sacra communione refectis in eorum mortis articulo pium nomen Iesu corde si ore nequiverint invocantibus etiam plenariam; preterea tam ipsis confratribus quam universis et singulis aliis utriusque sexus christifidelibus similiter vere penitentibus et confessis, qui capellam seu oratorium dicte confraternitatis feria sexta hebdomade sancte a primis vesperis usque ad occasum solis ferie huiusmodi singulis annis devote visitaverint et inibi pias ad Deum preces pro sancte fidei catholice propagatione, Sancte matris Ecclesie felici statu et exaltatione, illiusque inimicorum depressione, heresum extirpatione, hereticorum reductione et mutua inter christianos principes servanda pace, concordia et unione effuderint quo die ferie huiusmodi id pro tempore fecerint, si dictum Sanctissimum Sacramentum sumpserint, si id eis permissum fuerit alias tamen confessi pro primo et undecimo ex infrascriptis viginti annis similiter plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus et elargimur; pro

reliquis vero decem et octo annis predictis quoad christifideles non confratres huiusmodi decem annos et totidem quadragenas, illis vero confratribus, qui vere penitentes et confessi dictum Sanctissimum Sacramentum pariter si id eis permissum fuerit alias tamen confessi in circoncisionis et transfigurationis Domini nostri Iesu Christi ac inventionis et exaltationis eiusdem sancte Crucis festivitatibus seu aliqua vel aliquibus illarum pro tempore sumpserint seu respective extiterint aut processionem eadem feria a dicta confraternitate fieri solitam associaverint qualibet vice alios septem annos et totidem quadragenas, illis autem qui missis et aliis divinis officiis in capella seu oratorio huiusmodi ex consuetudine vel instituto seu dicte confraternitatis intuitu pro tempore celebrandis et recitandis seu congregationibus publicis vel secretis eiusdem confraternitatis pro quocumque opere pio exercendo faciendis interfuerint, aut etiam pauperes puellas dotaverint vel matrimonio collocaverint aut pauperes hospitio susceperint seu pacem cum inimicis propriis vel alienis composuerint seu componi fecerint vel procuraverint; nec non etiam qui corpora defunctorum in Christi charitate tam confratrum quam aliorum ad sepulturam associaverint vel quascumque processiones per ipsam confraternitatem pro tempore de licentia ordinarii celebrandas dictumque Sanctissimum Sacramentum quando tam in processionibus quam ad infirmos ac alias ubicumque aut quandocumque pro tempore defertur comitati fuerint seu impediti per alium seu alios associari fecerint aut campane ad id signo dato semel orationem dominicam et toties salutationem angelicam dixerint, aut etiam qui quinquies eandem orationem et toties salutationem predictam pro animabus defunctorum, ut prefertur, dicte confraternitatis recitaverint quoties premissa vel quodlibet premissorum fecerint centum dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad non confratres capellam seu oratorium huiusmodi, ut prefertur, visitantes ad viginti annos proximos tantum, in reliquis vero premissis perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus etc. momenti. Datum Romae in Monte Quirinali Anno Incarnationis Dominice 1591, idibus maii pontificatus nostri anno primo.

551

Rediens ad nos

Arm. XLIV 35 fol. 277r-278r
Monumenta Hist. Soc. Iesu 95. Monumenta Peruana 4, 806-807

die 27 maii 1591

ZELUS ET PIETAS ARCHIEPISCOPI LIMENSIS LAUDANTUR

Didacus de Zúñica SI, procurator provinciae Societatis Iesu in *Perú,* Romam venit ac de statu Ecclesiae in illis regionibus Summo Pontifici retulit, qui valde gratulatur ob zelum et pietatem archiepiscopi imprimis propter visitationes pastorales et convocationem Synodorum provincialium; gaudet et gratias agit quia tam probos cooperatores episcopos habet; Didacus cum aliis Societatis Iesu missionariis in *Perú* rediens, de studio ac paterna caritate Summi Pontificis pro Ecclesia in illis regionibus referre poterit.

Gregorius XIV

Venerabili fratri Toribio [1] Alphonso archiepiscopo Limen.

Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Rediens ad nos dilectus filius Didacus de Zunica [2] ex Societate Iesu provinciae Peru procurator magna nos laetitia affecit et de tua salute deque erga nos et hanc sanctam Sedem Apostolicam observantia et quam bene te in domo Domini super familiam suam constitutus fideliter et prudenter ad Dei gloriam animarumque tibi subiectarum salutem exerceas pluribus certiorem fecit. Benedictus Deus, qui ubique re-

[1] Turibius Alphonsus de Mogrovejo. De eo cfr. supra doc. 408.

[2] Didacus de Zúñica, SI, mortuus est die 11 aprilis 1593 in oppido *Huamanga.* De eius activitate cfr. *Ybot León,* II passim.

gnat et ubique ministros suos regnare facit, qui vineam suam diligenter excolant et fructum afferant in patientia. Nos primum ipsi gratias agimus, qui secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam, ut simus creaturae eius, atque sub uno capite per diversa membra officio suo fungentia ei soli placeamus, cui est honor et gloria in saecula. Valde gratulamur ob zelum quo ferves pro domo Domini, maximosque labores quos tam in amplissima ista tuae ditionis visitatione, quam in Synodis recte constituendis et convocandis sustines. Quae actiones non modo apud nos in remotissimis etiam his regionibus longe, lateque disiunctis bonum nomen tibi caeterisque coepiscopis tuis conciliant, sed apud Dominum gloriam promerentur sempiternam. Ac tandem ipsi etiam gaudemus, quod in tam gravi tamque difficili nostra cura et sollicitudine omnium ecclesiarum eos cooperatores habeamus quorum virtute manus nostras elevari et elevatas sustineri posse confidimus. Reliqua nostra erga vos studia paternamque charitatem, qua vos prosequimur, quantumque de vestra incolumitate et salute recreamur, idem Didacus plene referre poterit eandem cum reliquis societatis suae compraesbyteris probos siquidem et eruditos viros qui isthuc veniunt ut se per bona opera ad infidelium conversionem exerceant vobis omnibus in Domino commendamus et per Apostolicam benedictionem quam tibi tuisque comministris deferimus gratiam et gloriam coelestem ubi nos videri contingat in Domino deprecamur.

Datum Romae in Monte Quirinali etc., die vigesima septima maii MDXCI, pontificatus nostri anno primo.

552

Cum sicut accepimus

Sec. Brev. 179 fol. 312r — die 28 maii 1591

LICENTIA RECONCILIANDI ECCLESIAM

Per sanguinis vel seminis effusionem violatam, si episcopus ob longiorem trium dierum distantiam accedere nequit vel sedes episcopalis vacat.

Gregorius XIV

Dilecto filio priori conventus Sancti Dominici Mexican. ordinis fratrum Praedicatorum.

Dilecte fili salutem etc. Cum sicut accepimus istarum partium Archiepiscopi et Episcopi per ducentas et trecentas leucas et ultra ab invicem distent et quandoque aliquo ipsorum ab humanis decedente tribus et quatuor annis eius ecclesia pastoris solatio remaneat destituta et si forte aliquam ecclesiam interim violari contingat ob praemissa diutius violatam remanere in divini cultus detrimentum necesse sit, nos propterea his opportunum aliquod remedium adhibere volentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi et pro tempore existenti istius conventus priori, ut si aliquando aliquam in istis locis ecclesiam per sanguinis vel seminis effusionem, aut alias violari contingat, ad quam reconciliandam Archiepiscopus Mexican. vel alius Episcopus ob longiorem trium dierum distantiam accedere non possit, vel ecclesia ipsa pastore carente, tu eandem ecclesiam ceremonialis seu pontificalis romani ordine servato, reconciliare possis facultatem et auctoritatem concedimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac ecclesiarum quarumlibet statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae in Monte Quirinali etc., die 28 maii 1591, anno primo.

553

De salute

Sec. Cam. 73 fol. 134v-135v — die 31 maii 1591

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione Sanctissimi Crucifixi, in ecclesia monasterii monialium Conceptionis B.M.V. in civitate *México* erecta, consuetis condicionibus, inter alias ut pro propagatione fidei et pro pace preces effundantur.

Gregorius XIV

Universis etc. De salute etc. pervenire mereantur. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia monasterii monialium Conceptionis beate Marie virginis civitatis Mexicanensis in Indiis Occidentalibus una pia et devota utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione Sanctissimi Crucifixi ad altare eiusdem Sanctissimi Crucifixi non tamen pro hominibus unius specialis artis canonice instituta existat cuius dilecti filii confratres in bonis operibus se student exerceri, nos cupientes ut dicti confratres et dilecta in Christo filia Alonsia de Purificatione, dicti monasterii abbatissa, ad quod altare maximum gerit devotionis affectum ac alii utriusque sexus christifideles eo libentius ad ecclesiam et confraternitatem predictam confluant quo exinde maiora spiritualia dona adipisci posse cognoverint, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui ex nunc de cetero in confratres dicte confraternitatis admittentur seu recipientur die admissionis et receptionis eorum si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint ac tam ipsis quam omnibus et singulis aliis nunc et pro tempore existentibus eiusdem confraternitatis confratribus ubilibet pro tempore decedentibus etiam vere penitentibus et confessis ac sacra communione, si id commodo fieri potuerit refectis in eorum mortis articulo pium nomen Iesu corde si ore nequiverint invocantibus nec non tam ipsis confratribus quam primo et vigesimo annis omnibus et singulis aliis dicti sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis qui predictam ecclesiam in die festivitatis inventionis Sancte Crucis a primis vesperis usque ad occasum solis diei eiusdem festivitatis annuatim pro tempore devote visitaverint inibique pias ad Deum preces pro Sancte Romane Ecclesie et Romani Pontificis pro tempore existentis felici statu sancteque fidei catholice propagatione et exaltatione ac pace inter christianos principes conservanda, heresumque extirpatione effuderint plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur; pro aliis vero decem et octo intermediis annis quo ad eosdem non confratres septem annos ut totidem quadragenas, preterea omnibus et singulis dicte confraternitatis confratribus qui pariter vere penitentes et confessi dictum Eucharistie Sacramentum in purificationis et annunciationis beate Marie virginis ac transfigurationis Domini nostri Iesu Christi, necnon omnium Sanctorum festivitatibus seu in earum

aliqua vel aliquibus pro tempore sumpserint qualibet vice qua id fecerint etiam septem annos et totidem quadragenas; et insuper ipsis confratribus quoties missis aut aliis divinis officiis in ecclesia predicta ex consuetudine vel instituto aut pia devotione seu intuitu dicte confraternitatis pro tempore celebrandis seu recitandis aut congregationibus publicis vel privatis eiusdem confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut etiam pauperes puellas ad nubendum seu religionem intrandum dotaverint vel Christi pauperes peregrinos charitative hospitio exceperint vel pacem cum propriis vel alienis inimicis composuerint nec non qui defunctorum corpora ad sepulturas associaverint, vel quascumque processiones per ipsam confraternitatem de licentia ordinarii pro tempore celebrandas, dictumque Eucharistie Sacramentum quando tam in processionibus quam ad infirmos aut alias ubicumque et quomodocumque defertur comitati fuerint seu impediti per alium seu alios associari fecerint aut campane ad id dato signo semel orationem dominicam aut salutationem angelicam pro infirmi convalescentia vel pro liberatione animarum christifidelium defunctorum in penis purgatorii detentarum devote visitaverint seu in personis alio misericordie opere dicte confraternitatis intuitu sese quomodolibet quomodocumque occupaverint quoties premissorum aliquid fecerint sexaginta dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad christifideles non confratres ecclesiam et altare huiusmodi, ut prefertur, visitantes ad viginti annos tamen, quo vero ad confratres singula premissa peragentes perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem etc. vel momenti. Datum Romae in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominice 1591, pridie kalendas iunii pontificatus nostri anno primo.

554

Cum pro suscepto

Sec. Brev. 180 fol. 26r — die 1 iunii 1591

LICENTIA SESE IMMISCENDI IN CAUSIS ET NEGOTIIS CRIMINUM

Gregorius XIV

Dilecto filio Alfonso Fernandez de Bonilla decano ecclesiae Mexicanae ac hereticae pravitatis in regnis Novae Hispaniae inquisitori apostolico.

Dilecte filii salutem etc. Cum pro suscepto a te munere visitationis regiae audientiae residentis in civitate Regum provinciarum del Perú ac magistratuum et iudicum, necnon regiorum et aliorum ministrorum iustitiae ipsius audientiae expediat interdum te in causis quoque et negotiis criminum versari, tibi in prebiteratus ordine constituto indulgemus ut durante officio predicto quascunque causas profanas, civiles et criminales, etiam capitales et mixtas inter seu contra quascumque personas etiam seculares et mere laicas sive ad procuratoris fisci, sive aliorum quorumcunque instantiam, sive etiam ex officio audire, cognoscere, decidere et iustitia mediante terminare, illarumque cognitioni et decisioni interesse ac votum dare absque alicuius poenae sive irregularitatis incursu libere et licite valeas, etiam si sanguinis effusio, membrorum mutilatio aut mors inde sequatur. Tu tamen a sententia sanguinis per te ipsum ferenda abstineas, non obstantibus generalis concilii et aliis Apostolicis constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae in Monte Quirinali etc., die prima iunii 1591, anno primo.

555

Alias felicis recordationis

Sec. Brev. 180 fol. 20rv die 1 iunii 1591

LICENTIA SE IMMISCENDI IN CAUSIS CRIMINALIBUS

Gregorius XIV

Venerabili fratri Archiepiscopo Mexican. [1]

Venerabilis frater salutem etc. Alias felicis recordationis Gregorius Papa XIII predecessor noster pro suscepto a te tunc munere visitationis magistratuum et iudicum nec non regiorum et aliorum ministrorum iustitie regni Nove Hispanie tibi, ut officio predicto durante in causis quoque et negotiis criminalibus versari posses, facultatem concessit et indulsit prout in eiusdem predecessoris desuper in forma brevis expeditis literis sub data X augusti 1583, Pontificatus sui anno duodecimo, plenius continetur et sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus nobis nuper exponi fecit et de cuius singulari prudentia ac eximia in rebus maximis agendis experientia maxime confidit in presidem consilii Indiarum deputaverit. Cumque propterea tibi etiam munere huiusmodi durante expediat in similibus causis et negotiis criminalibus versari, nos eiusdem Regis supplicationibus inclinati, fraternitati tuae indulgemus ut durante munere presidentie huiusmodi quascunque causas prophanas, civiles et criminales etiam capitales et mixtas inter seu contra quascunque personas etiam seculares sive ad procuratoris fisci, sive aliorum quorumcunque instantiam, sive ex officio audire, cognoscere, decidere et iustitia mediante terminare, illarumque cognitioni et decisioni interesse libere et licite valeas, etiam si sanguinis effusio, membrorum mutilatio aut mors inde sequatur dummodo tamen sententiam sanguinis per te ipsum non feras irregularitatem aliquam propterea minime incurrendo. Non obstantibus generalis concilii et aliis Apostolicis constitutionibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae in Monte Quirinali etc., die prima iunii 1591, anno primo.

---

[1] Archiepiscopus Ecclesiae Mexicanensis erat Petrus Moya de Contreras.

556

Exponi nobis nuper

Arm. XLII 48 fol. 30rv — die 12 iunii 1591

TRES PUELLAE IN MONASTERIO MONIALIUM EDUCARI POSSUNT

Franciscus de Quinones et Grima Nesa coniuges tres suas puellas monialibus alicuius monasterii educandas tradere volunt. Summus Pontifex archiepiscopo Civitatis Regum vel officiali eius mandat, ut ad hoc licentiam et facultatem concedat, certis tamen condicionibus, quarum prima est, ut monialium consensus accedat.

Gregorius XIV

Venerabili fratri archiepiscopo Civitatis Regum seu dilecto filio eius officiali.

Venerabilis frater seu dilecte fili salutem etc. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Franciscus de Quinones et Grima Nesa de Mongroveso coniuges quod ipsi plurimum cupiunt dilectas in Christo filias Beatricem et Mariam ac Marianam eorum natos in aliquod monasterium monialium istius Civitatis Regum ad effectum illas educandi introduci. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt quatenus eis in hoc specialem gratiam facere de benignitate apostolica dignaremur. Nos huiusmodi supplicationibus inclinati tibi per presentes mandamus quatinus eisdem Beatrici, Marie et Mariane aliquod istius civitatis monasterium ingrediendi et inibi cum dictis monialibus permanendi licentiam et facultatem auctoritate nostra concedas; hac tamen conditione quod imprimis et ante omnia accedat monialium consensus; monasterium soleat huiusmodi educandas habere et dictae puellae ingrediantur solae et absque ullo famulatu; sint maiores septem annorum,

minores vero vigintiquinque; habitu cultuque utantur modesto sine iocalibus auro vel serico; servent locutoriorum et clausurae leges et quicquid pro suis sumptibus monasterio elargiendae erunt, principio cuiuslibet semestris elargiantur; sint in novitiatu cellulae pro eis vacuae et a nemine occupatae et numerus puellarum in monasterio educandarum non sit expletus; a quo monasterio puellae predictae nunquam exeant animo revertendi, nisi ubi habitum monacalem suscipere voluerint. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XII iunii 1591, pontificatus nostri anno primo.

557

Oblata nobis nuper

Sec. Brev. 181 fol. 69rv — die 1 iulii 1591

LICENTIA DISPENSANDI IN PRIMO ET SECUNDO AFFINITATIS GRADU

Gregorius XIV

Dilecto filio officiali Civitatis Regum.

Dilecte fili salutem etc. Oblata nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Francisci Hernandez, laici Canarien., et Annae Hernandez mulieris Civitatis Regum ex oppido civitate nuncupata de Truxillo ortae petitio continebat, quod ipsis alias ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere quominus invicem matrimonialiter copulari possent carnis fragilitate devicti se carnaliter cognoverunt, prolemque procrearunt. Postmodum vero ad eorum pervenit notitiam impedimentum inter eos existere, proveniens quod alias dictus Franciscus quandam Leonoram Gomez, materteram predictae Annae, illegitimam etiam cognovit. Cum autem sicut etiam ea petitio subiungebat

nisi matrimonium inter eos contrahatur, dicta Anna quae pauperibus parentibus procreata existit, diffamata et innupta remaneret, nec virum paris conditionis cui nubere posset inveniret. Cupiunt propterea invicem matrimonialiter copulari, sed stante impedimento ex praemissis proveniente, desiderium eorum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicae dispensatione. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt quatenus eis in premissis de absolutionis, benedictionis et opportunae dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos dictos Franciscum et Annam specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per presentes committimus et mandamus quatinus deposita omni spe cuiuscunque muneris aut premii etiam sponte oblati a quo te omnino abstinere debere monemus, te de premissis diligenter informes, et si informationem eandem preces veritate niti repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, tunc imposita ipsis propter incestum huiusmodi arbitrio tuo poenitentia salutari, ac recepto ab eis iuramento quod sub spe facilius habendae dispensationis huiusmodi incestum hoc non commiserint et quatinus causa super premissis in iudicium quoquomodo deducta fuerit pariter iudicato ipsos Franciscum et Annam ab incestus reatu et excessibus huiusmodi ac excommunicationis aliisque censuris et poenis ecclesiasticis et temporalibus, tam a iure quam ab homine contra similia perpetrantes promulgatis, quas ipsi propterea incurrerunt, auctoritate Apostolica hac vice dumtaxat absolvas, ac cum eis quod impedimentis primi et secundi affinitatis graduum huiusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscunque, non obstantibus matrimonium inter se publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere et licite valeant, dummodo dicta Anna propter hoc rapta non fuerit, eadem auctoritate dispenses, prolemque susceptam et suscipiendam exinde legitimam nuncies. Volumus autem ut si munus aut premium qualecunque occasione dictae dispensationis exegeris, aut oblatum receperis excommunicationis latae sententiae poenam incurris et nihilominus absolutio et dispensatio a te faciendae predictae nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae in Monte Quirinali etc., die prima iulii 1591, anno primo.

558

Cum pro suscepto

Sec. Brev. 181 fol. 33r die 3 iulii 1591

LICENTIA SE IMMISCENDI IN CAUSIS CRIMINALIBUS

Gregorius XIV

Venerabili fratri Episcopo de Tlaxcala [1] in Indiis Occidentalibus.

Venerabilis frater salutem etc. Cum pro suscepto a te munere visitationis gestorum a marchione de Villa Manrique olim Proregis Indiarum Occidentalium Nove Hispaniae suorumque offitialium familiarium, ac alias ab ipso Prorege quomodolibet dependentium iuxta charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici voluntatem ut unicuique suorum subditorum iustitia prout decet ministretur expediat interdum te in causis quoque et negotiis criminalibus versari. Nos fraternitati tue indulgemus ut durante officio predicto quascunque causas profanas, civiles et criminales, etiam capitales et mixtas inter seu contra quascunque personas etiam seculares, sive ad procuratoris fisci sive aliorum quorumcunque instantiam, sive ex officio audire, cognoscere, decidere et iustitia mediante terminare, illarumque cognitioni et decisioni interesse libere et licite valeas, etiam si sanguinis effusio, membrorum mutilatio aut mors inde sequatur irregularitatem aliquam propterea minime incurrendo tu tamen a sententia sanguinis per te ipsum ferenda omnino abstineas. Non obstantibus generalis concilii et aliis Apostolicis constitutionibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae in Monte Quirinali etc., die 3ª iulii 1591, anno primo [2].

---

[1] Episcopus Ecclesiae Tlaxcalensis erat Didacus Romanus (1578-1606).
[2] Litterae supplices: ibid. fol. 34r.

559

Super gregem dominicum

Sec. Cam. 73 fol. 71r-72r die 7 iulii 1591

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub denominatione Trinitatis in ecclesia monasterii monialium Incarnationis Domini in Civitate Regum, Ordinis Sancti Augustini instituta, cuius confratres operibus caritatis, pietatis et misericordiae sese dedicant, consuetis condicionibus.

Gregorius XIV

Universis etc. salutem etc. Super gregem dominicum divinitus etc. invitamus. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia monasterii monialium Incarnationis Domini nostri Iesu Christi Civitatis Regum in Indiis Occidentalibus ordinis Sancti Augustini una pia utriusque sexus christifidelium confraternitas sub Trinitatis vel alia denominatione ad Dei omnipotentis laudem et animarum salutem proximique subventionem canonice non tamen pro hominibus unius specialis artis instituta existat et dilecti filii illius confratres quam plurima charitatis, pietatis et misericordie opera exercere consueverint, nos cupientes ut ipsi et pro tempore existentes dicte confraternitatis confratres in huiusmodi piorum operum exercitio confoveantur ac magis ad ea imposterum exercenda, necnon alii christifideles ad dictam confraternitatem ingrediendam peramplius invitentur dictaque ecclesia in debita veneratione habeatur et ab ipsis christifidelibus congruis frequentetur honoribus illique eo libentius ad ecclesiam ac capellam seu altare eiusdem confraternitatis devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie conspexerint esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus

et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur die primo illorum ingressus si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint, necnon tam ipsis quam ad presens existentibus ipsius confraternitatis confratribus etiam vere penitentibus et confessis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde si ore nequiverint invocantibus, necnon tam ipsis confratribus quam pro primo et undecimo anno viginti annorum infradictorum tam aliis utriusque sexus christifidelibus non confratribus similiter vere penitentibus et confessis qui ecclesiam ac capellam seu altare huiusmodi in festivitate assumptionis beate Marie virginis a primis vesperis usque ad occasum solis diei eiusdem festivitatis singulis annis devote visitaverint et inibi pro extirpatione heresum, hereticorum conversione, Sancteque Matris Ecclesie exaltatione et inter christianos principes fovenda pace, concordia et unione aliquas ad Deum preces effuderint quo die predicto id fecerint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam ac remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium concedimus et elargimur; eisdem vero christifidelibus non confratribus ut supra penitentibus et confessis pro aliis octodecim annis septem annos et totidem quadragenas etiam insuper eisdem confratribus pariter penitentibus et confessis ac predicto sacramento refectis, qui ecclesiam vel capellam seu altare huiusmodi in nativitatis et conceptionis ac annunciationis necnon visitationis eiusdem beate virginis Marie festivitatibus a primis vesperis usque ad occasum solis singularum festivitatum earumdem devote visitaverint et, ut supra, oraverint etiam septem annos et totidem quadragenas; deinde ipsis confratribus quoties divinis officiis in eadem ecclesia ac capella vel oratorio more confratrum celebrandis aut congregationibus publicis vel secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint aut ipsum sacramentum dum ad aliquem infirmum defertur associaverint aut qui hoc facere impediti campane ad id signo dato genibus flexis semel orationem dominicam pro eodem infirmo recitaverint aut processionibus ordinariis et extraordinariis tam predicte confraternitatis quam aliis quibuscumque de licentia ordinarii celebrandis ac sepeliturís mortuis officiose interfuerint aut infirmos consolati fuerint in eorum adversitatibus vel pauperes peregrinos hospitio exceperint aut elemosinis et officiis adiuverint aut pacem cum inimicis composuerint vel quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro animabus confratrum dicte confraternitatis in Christi charitate defunctorum recitaverint aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint et ignorantes Dei precepta et que ad salutem sunt docuerint aut quodcumque aliud charitatis vel pietatis opus exercuerint toties pro quomodolibet premissorum piorum operum centum dies de iniunctis

eis aut alias quomodolibet debitis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus presentibus, quoad christifideles non confratres ecclesiam et capellam vel altare huiusmodi, ut prefertur, visitantes ad viginti annos proximos, ut supra, quo vero ad alios premissa peragentes perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si confratribus et aliis christifidelibus predictis pro premissis peragendis vel alias aliqua alia indulgentia in perpetuum aut ad certum tempus ad id elapsum dumtaxat per nos concessa fuerit eodem presentes sint nullius roboris vel momenti. Datum Romae in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo nonagesimo primo, nonis iulii, pontificatus nostri anno primo.

560

Regimini universalis Ecclesiae

Sec. Brev. 183 fol. 5rv — die 2 septembris 1591

PRO MONASTERIO MONIALIUM CONCEPTIONIS B.M.V. CIVITATIS REGUM

1° quod nulla possit esse abbatissa nisi christiana et nobilis; 2° quod duas sorores non possint esse abbatissae successive; 3° quod pro tempore tenens abbatissa possit nominare suam vicariam et alias officiales sine interventu vicarii prout fit in monasterio regni Hispaniae.

Gregorius XIV

Ad perpetuam rei memoriam. Regimini universalis Ecclesiae licet immeriti, disponente Domino, praesidentes curis angimur assiduis ut singularum Agnum immaculatum imitantium presertim feminei sexus personarum, quae mortalis viri thoro contempto uni sponso Iesu Christo nubere et sub suavi religionis iugo castitatem et virginitatem

servare satagunt, statui et gubernio quantum nobis ex alto permittitur salubriter consulatur. Hinc est quod nos supplicationibus dilecte in Christo filie Agnetis de Ribera, abbatisse eiusdem fundatricis et dotatricis monasterii monialium Conceptionis beate virginis Marie Civitatis Regum in Indiis, ordinis Sancte Clare, nobis nuper humiliter porrectis inclinati de dilectorum filiorum nostrorum Sancte Romane Ecclesie cardinalium super negotiis regularium deputatorum consilio Apostolica auctoritate, tenore presentium statuimus et ordinamus, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus monialis dicti monasterii, quae de nobili genere et ex veteribus christianis procreata non sit in illius abbatissam eligi aut alias constitui et deputari, quodque si contingat in predicto monasterio duas aut plures sorores germanas inibi professas adesse, quarum una ipsius monasterii abbatissa sit vel fuerit, finito sui huiusmodi abbatissatus officii tempore, quod est trium annorum, altera ex ipsis sororibus germanis ad dictum officium immediate eligi aut illi in eo nisi intermedio alio triennio succedere non possit neque debeat, abbatissa vero quae pro tempore fuerit rite electa ad regimen predicti monasterii vicariam et alias officiales conventus eiusdem monasterii nominare et deputare possit et valeat ad eius libitum, ac prout fieri solet in monasteriis monialium regnorum Hispaniarum absque eo quod vicarius predicti monasterii, aut aliquis alius in huiusmodi nominatione ac deputatione se intromittat, decernentes electiones aliter quam, ut prefertur, pro tempore factas nullas et invalidas fore et esse, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis Apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis et edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon monasterii et ordinis predictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, quibus omnibus illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die 2ª septembris 1591, anno primo[1].

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 6r.

561

Exponi nobis nuper

Sec. Brev. 183 fol. 78rv die 3 septembris 1591

LICENTIA MONIALEM INFIRMAM PUELLAE HONESTAE CURANDAM TRADENDI

Gregorius XIV

Venerabili fratri episcopo de las Carcas [1] Indiarum Occidentalium.

Venerabilis frater salutem etc. Exponi nobis nuper fecit dilecta in Christo filia Ioanna de Zurbarari, monialis monasterii monialium de los Remedios civitatis de las Charcas Indiarum Occidentalium, quod cum ipsa frequenter aegrotet et pro sui subsidio opera et servitiis alicuius puellae egeat, necnon ad maiorem sui commoditatem ac dicti monasterii utilitatem desideret in quodam situ dicti monasterii ab illius conventu concedendo quandam cellam suis sumptibus et expensis, in qua donec vixerit, habitet, aedificari. Nos de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium super statu regularium deputatorum, quibus hoc negocium examinandum et nobis referendum commisimus consilio, supplicationibus quoque dictae Ioannae in hac parte inclinati fraternitati tuae per presentes mandamus, quatinus stantibus praenarratis auctoritate nostra permittas quod humilis aliqua et honesta puella ab affinibus sive consanguineis dictae Ioannae competenter do-

[1] Episcopus Ecclesiae Platensis (*La Plata*) seu de Charcas (hodie Sucrensis [*Sucre*]) erat Ildephonsus (Alphonsus) de la Cerda, OP (1587-1592).

tanda in dictum monasterium ad habitum conversarum recipiatur et ipsius Ioannae servitiis quoad vixerit addicatur ea lege, ut si expleto probationis anno ipsa puella solemniter profiteri renuerit, dicto monasterio eijciatur et dos pro ea ab initio depositata eidem monasterio incorporetur et non aliter, quodque de licentia superiorum eadem Ioanna cellam suis sumptibus construi facere valeat, quae ipsa defuncta eidem monasterio cedat. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac monasterii et ordinis predictorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die III septembris 1591, anno primo [2].

[2] Litterae supplices: ibid. fol. 79r.

562

Exponi nobis nuper

Sec. Brev. 183 fol. 76rv — die 3 septembris 1591

APPROBATIO ELECTIONIS ABBATISSAE MARIAE DE GUZMAN

Gregorius XIV

Dilectae in Christo filiae Mariae de Guzman moniali monasterii Sanctae Catherinae de Senis civitatis de Arequipa Indiarum del Perú.

Dilecta in Christo filia salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti, quod cum tu alias in seculo existens pia devotione ducta ad omnipo-

tentis Dei laudem et gloriam, ac animae tuae salutem tuis propriis sumptibus et expensis monasterium monialium Sanctae Catherinae de Senis in civitate de Arequipa, Indiarum del Perú, aedificari et dotari curaveris et ut reliquos vitae tuae dies maiori cum animi tui tranquillitate ad Dei cultum finire posses, ordinem ipsum in dicto monasterio expresse professa sis, nos attendentes quod eidem monasterio poteris plurimum utilis esse ac fructuosa, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium super statu regularium deputatorum, quibus hoc negocium examinandum et nobis referendum commisimus consilio ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut tu in abbatissam dicti monasterii ab illius monialibus eligaris, illam eandem electionem quoad vixeris Apostolica auctoritate approbamus et confirmamus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplimus, decernentes ex nunc irritum et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac dicti ordinis iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam si in illis caveatur expresse quod monasteriorum dicti ordinis Sanctae Clarae abbatissae triennales tantum esse possint, privilegiis quoque indultis et litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus eorum tenores presentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die III septembris 1591, anno primo [1].

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 77r.

563

Cum sicut exponi

Sec. Brev. 183 fol. 408rv — die 15 septembris 1591

LICENTIA INGREDIENDI IN ALIUD MONASTERIUM

Ad introducendam regularem disciplinam in monasterium monialium sanctae Clarae in Civitate Regum.

Gregorius XIV

Venerabili fratri Archiepiscopo seu dilecto filio officiali Civitatis Regum.

Venerabilis frater seu dilecte fili salutem etc. Cum sicut exponi nobis nuper fecisti ad introducendam regularem disciplinam in monasterium monialium Sanctae Clarae in civitate Regum partium Indiarum del Perú noviter erectum credas operam dilectarum in Christo filiarum Marie de Iesu et Iustine de Guevara, monialium monasterii Incarnationis civitatis Regum et ordinis Sancti Augustini, utilem futuram esse, nos de venerabilium fratrum nostrorum Sancte Romane Ecclesie cardinalium super statu regularium deputatorum, quibus hoc negotium examinandum et nobis referendum commisimus consilio supplicationibus quoque tuis in hac parte inclinati fraternitati tue frater Archiepiscope seu discretioni tue fili officialis per presentes committimus et mandamus, quatinus Marie et Iustine predictis a predicto monasterio Incarnationis exeundi et in dictum monasterium noviter erectum ingrediendi ut moniales noviter receptas vel recipiendas bonis moribus et regulari disciplina, instruant, quo expleto in dictum monasterium Incarnationis redeant, licentiam et facultatem auctoritate nostra concedas. Quod si forsan una vel ambe decesserint in earum locum alias moniales subroges et ad dictum ministerium nomines. Non obstantibus felicis recordationis Pii Papae V predecessoris nostri, qua cavetur ne moniales monasterio exeant nisi in certis tunc expressis casibus et aliis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac dictorum monasterii et ordinis predictorum iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die XV septembris 1591, anno primo [1].

---

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 409r.

564

Quantum animarum cura

Sec. Brev. 183 fol. 406rv — die 16 septembris 1591
App. ad Bull. Pont. SCPF I 106-107
Hernáez I 408
Bull. Praed. V 481-482
BM II 1094

CONFIRMATUR FACULTAS RELIGIOSIS CONCESSA CURAM ANIMARUM EXERCENDI

Pius V, supplicationibus Philippi regis inclinans, religiosis Ordinis Fratrum Praedicatorum facultatem concesserat curam animarum exercendi. Episcopi autem pretendebant, religiosos sine ipsorum licentia id facere non posse. Gregorius XIII definivit, contra mentem Decretorum Concilii Tridentini esse, ut religiosi sine licentia episcoporum curam animarum exerceant. Ad controversiam componendam Gregorius XIV litteras Pii V confirmat et episcopis sub interdicti poena inhibet, ne religiosos molestare audeant.

Gregorius XIV

Ad perpetuam rei memoriam. Quantum animarum cura omnes exuperat, tanto nos impensius providere necesse est ut id genus officii omni ubique adhibita industria excolatur. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii professores ordinis fratrum predicatorum provinciae Sancti Ioannis Baptistae del Perú, quod licet felicis recordationis Pius Papa V per suas in forma brevis ad preces charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici confectas literas, religiosis apud Indos existentibus curam animarum exercendi facultatem concesserit; nihilominus episcopi illarum partium pretendunt religiosos predictos id facere non posse absque eorum speciali licentia et examine; pro eo quod deinde piae memoriae Gregorius Papa

XIII predecessores nostri illos motus proprios, qui decretis Concilii Tridentini adversabantur ad ordines reduxit et qui curam animarum sine episcopi licentia exercent, ii decretis eiusdem Concilii adversantur et propterea littere dicti Pii predecessoris in hoc observari non debent contra mentem et intentionem eiusdem Pii predecessoris, nos ad omnem quae inde nascitur et nasci poterit in futurum controversiam componendam de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super causis episcoporum et statu regularium deputatorum, quibus hoc negocium examinandum et nobis referendum commisimus consilio, literis dicti Pii predecessoris, quorum tenore presentibus haberi volumus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis, Apostolica auctoritate tenore presentium robur Apostolicae confirmationis adijcimus, illasque debitae executioni demandari volumus et precipimus, inhibentes omnibus et singulis episcopis illarum partium sub interdicti ingressus Ecclesiae pena, eo ipso per contrafacientes incurrenda, ne de cetero dictos professores premissis seu aliis quibuscumque pretextibus quoquo modo desuper molestare aut inquietare audeant seu presumant. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod presentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae presentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae etc. apud Sanctum Marcum etc., die XVI septembris 1591, anno primo [1].

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 407r.

565

Cum nobis nuper

Sec. Brev. 183 fol. 390rv — die 20 septembris 1591

LICENTIA EDUCATIONIS CAUSA MONASTERIUM INGREDIENDI AC SERVAM SECUM HABENDI

Pro tribus puellis, si accedit monialium consensus; puellae sint saltem septem et non ultra viginti quinque annorum et habitu modesto utantur.

Gregorius XIV

Venerabili fratri Archiepiscopo seu dilecto filio officiali Civitatis Regum.

Venerabilis frater seu dilecte fili salutem etc. Cum nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Anne de la Cerda et Marie de Guevara ac Iustine Morillo puellarum et doctoris Morillo della Cerda natarum supplicatum fuerit quatinus dignaremur eis licentiam concedere monasterium monialium sub invocatione Incarnationis in civitate Regum, ordinis Sancti Augusti, in partibus Indiarum del Perú ingrediendi, ibique educationis causa manendi ac secum habendi servam, que eis inserviat et postquam a predicto monasterio exierint vel obierint in servitute et dominio monasterii remaneat, nos de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium super statu regularium deputatorum quibus hoc negocium examinandum et nobis referendum commisimus consilio, fraternitati tue frater Archiepiscope seu discretioni tue fili officialis per presentes committimus et mandamus, quatinus eis licentiam dictum monasterium [ingrediendi] ibique educationis causa manendi et secum servam habendi, auctoritate nostra concedas, his concurrentibus videlicet quod accedat in primis monialium dicti monasterii consensus et monasterium predictum soleat huiusmodi educandas habere, ipseque puelle ingrediantur absque ullo famulatu et sint maiores septem, minores vero viginti quinque annorum, habitu cultuque utantur modesto sine iocalibus auro vel serico, servent locutoriorum et clausure leges et quicquid pro earum sumptibus elargiendum erit principio cuiuslibet semestris elargiatur; sint in novitiatu cellulae pro eis vacue et numerus puellarum in eodem monasterio educandarum non sit expletus et semel egresse eodem amplius non recipiantur nisi habitum monacalem suscipere voluerit. Non obstantibus quibusvis prohibitionibus ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac monasterii et ordinis predictorum iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die XX septembris 1591, anno primo [1].

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 391r.

566

Cum dilecta in Christo

Sec. Brev. 183 fol. 370rv die 20 septembris 1591

LICENTIA MONIALES INFIRMAS PUELLAE HONESTAE CURANDAS TRADENDI

Gregorius XIV

Venerabili fratri Archiepiscopo seu dilecto filio officiali Civitatis Regum.

Venerabilis frater seu dilecte fili salutem. Cum dilecte in Christo filie Iustina et Dionora de Guevara, sorores germane et moniales monasterii Incarnationis Civitatis Regum ordinis Sancti Augustini in partibus Indiarum del Perú, sicuti nobis nuper pro earum parte expositum fuit ob labores susceptos in dicto monasterio non bene valeant et pro sua consolatione et auxilio desiderant secum habere aliquam famulam, nos de venerabilium fratrum nostrorum Sancte Romane Ecclesie cardinalium super statu regularium deputatorum consilio, quibus hoc negotium examinandum et nobis referendum commisimus, dictarumque monialium supplicationibus hac in parte inclinati, fraternitati tue frater Archiepiscope seu discretioni tue fili officialis per presentes committimus et mandamus, quatenus permittas quod humilis aliqua et honesta puella ab affinibus seu consanguineis dictarum Iustine et Dionore competenter dotanda in dictum monasterium ad habitum conversarum recipiatur et earundem Iustine et Dionore servitiis quoad vixerint addicatur ea lege ut, si expleto probationis anno puella ipsa solemniter profiteri renuerit dicto monasterio eijciatur et dos pro ea ab initio depositata eidem monasterio incorporetur et non aliter. Non obstantibus quibusvis prohibitionibus ac constitutionibus

et ordinationibus Apostolicis, necnon monasterii et ordinis predictorum iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die XX septembris 1591, anno primo [1].

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 371r.

567

Exponi nobis nuper

Sec. Brev. 183 fol. 292r-293r — die 20 septembris 1591

CONFIRMATIO LITTERARUM PII V

Qui religiosis licentiam concessit officium parochi exercendi, licentia Ordinarii loci minime requisita, neque si de doctrina ad doctrinam de licentia eorum superiorum migrant; pro fratribus Ordinis Praedicatorum.

Gregorius XIV

Universis et singulis Archiepiscopis et Episcopis partium Indiarum del Perú seu eorum cuilibet.

Venerabiles fratres seu dilecti filii officiales salutem etc. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii provincialis et professores ordinis fratrum predicatorum provinciae Sancti Ioannis Baptistae del Perú quod licet dudum felicis recordationis Pius Papa V predecessor noster supplicationibus charissimi in Christo filii nostri tunc sui Philippi Hispaniarum Regis Catholici ea in parte inclinatus omnibus et singulis religiosis quorumcumque etiam mendicantium ordinum in partibus In-

diarum et in eorumdem ordinum monasteriis, vel de illorum superiorum licentia assignatis et assignandis officium parrochi huiusmodi matrimonia celebrando et sacramenta ecclesiastica ministrando, prout eatenus consueverant, dummodo ipsi in reliquis solemnitatibus Concilii Tridentini observarent exercere et verbum Dei predicare ac confessiones audire ordinariorum locorum et aliorum quorumcumque licentia minime requisita libere et licite valerent, licentiam concesserit, prout in dicti predecessoris literis desuper die vigesimaquarta martii, pontificatus sui anno secundo, in forma brevis confectis plenius continetur; ac religiosi qui semel habuerunt licentiam a quovis ordinario illius regni administranda sacramenta Indis non indigeant alia licentia quandocumque provincialis eos permutaverit, si expedire videretur ad aliam doctrinam ex illis quae a ministris dicti regis assignate existunt pro religiosis dicti ordinis, nihilominus iidem professores ordinis fratrum Praedicatorum et provinciae huiusmodi desuper contra dictarum literarum tenorem molestentur. Nos ad uberes fructus, quos ipsi professores in agro Dominico istic proferunt debitum respectum ac tenorem dictarum literarum perinde ac si de verbo ad verbum insereretur presentibus pro expresso habentes de consilio venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium decretis dicti Concilii interpretandis praefectorum, quibus hoc negotium examinandum et nobis referendum commisimus, supplicationibus quoque provincialis et professorum predictorum hac in parte inclinati vobis et vestrum singulis in virtute sancte obedientiae inhibemus et praecipimus, ne professores ordinis fratrum predicatorum huiusmodi istic degentes ad obtinendam approbationem cum de doctrina ad doctrinam migrant de cetero contra tenorem literarum dicti Pii predecessoris compellatis. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac omnibus illis quae dictus predecessor voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque. Ceterum quia difficile foret presentes literas ad singula queque loca in quibus de eis fides forsan facienda foret deferri, volumus et dicta auctoritate decernimus quod illarum transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitute munitis in iudicio et extra, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quae presentibus adhiberetur, si forent exhibite vel ostense. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die XX septembris 1591, anno primo [1].

---

[1] Litterae supplices: ibid. fol. 294r.

568

Alias siquidem

Sec. Brev. 183 fol. 295r-301r die 21 septembris 1591
Bull. Rom. (ed. Taurinensis) IX 488-494

CONFIRMATIO PRIVILEGIORUM

Privilegia, indulgentiae ac facultates omnes a Summis Pontificibus presbyteris Societatis Iesu in Indiis Occidentalibus et Orientalibus concessa confirmantur et ad viginti annos prorogantur.

Gregorius XIV

Universis christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem. Alias siquidem felicis recordationis Pius Papa IIII, predecessor noster, sub die secunda februarii MDLXIII, pontificatus sui anno quarto, omnibus christifidelibus vere penitentibus et confessis, seu firmum id faciendi, statutis a iure temporibus, propositum habentibus, qui Sancti Pauli in Goen. et alterius in Malacan. ac aliorum collegiorum Societatis Iesu ecclesias in eius sancti, sub cuius invocatione fundate fuerint, festis, ac easdem seu sacella, vel earum aliquam seu aliquod in festivitate circoncisionis Domini nostri Iesu Christi, a primis vesperis usque ad occasum solis sequentis diei, devote visitaverint, ibique pias ad Deum preces fuderint, singulis diebus, quibus id fecerint, ac quoties aliquem ex infidelitate et idolatria ad veri Dei cognitionem reduxerint, toties plenariam indulgentiam ac iubileum concessit. Et deinde felicis memoriae Pius Papa V, etiam predecessor noster, per alias suas literas sub data die decimaquinta decembris MDLXVII, pontificatus sui anno secundo, omnibus christifidelibus in quibuscunque Oceani Indiis aut Sinarum regione, vel

Brasilia constitutis, presentibus et futuris, qui contriti et confessi quamlibet ecclesiam et capellam seu xenodochium in eis partibus dilectorum filiorum presbiterorum et ministrorum Societatis Iesu cura et opera erectos aut in posterum erigendos devote visitaverint, ac ut supra oraverint, quadraginta dies et semel quolibet anno aliquo die festo, quem provincialis dictae Societatis constituerit, septem annos et totidem quadragenas in perpetuum etiam concessit. Et successive similis recolendae memoriae Gregorius Papa XIII, similiter predecessor noster, sub die XII augusti MDLXXIII, pontificatus sui anno secundo, eisdem christifidelibus utriusque Indie et transmarinorum limitum, qui processionibus iuxta ritum Sanctae Romanae Ecclesiae facientibus ac precibus Indorum et Ethiopum seu quorumvis aliorum neophitorum et aliorum christianorum interessent et eas associarent, christianam doctrinam cum eisdem recitassent vel privatim docerent, quoties id facerent septem annorum et totidem quadragenarum, invisentibus autem infirmos et presertim Indorum hospitalia, xenodochia et alia similia loca pia, ipsis etiam infirmis per se vel alium ministrando, singulis diebus, quibus id facerent, vigintiquinque; qui vero ad infirmos accedentes ibi pernoctarent, quinquaginta; eis etiam qui coram beatae Mariae imagine, ab Alma Urbe ad collegii civitatis Limae in Perú delata, tertiam rosarii partem, vel coronam, recitarent, centum; scholaribus vero in utraque India existentibus, qui eisdem beatae Mariae virginis confraternitati ibi institute ascriberentur, singulis eiusdem beatae Mariae virginis ac Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis Domini nostri Iesu Christi festivitatibus, quibus, confessi et contriti, sanctissimum Eucharistie sacramentum sumerent et coronam, vel tertiam partem rosarii, recitarent, tercentum annorum de iniunctis, seu alias quomodolibet debitis penitentiis; in Annuntiationis vero et Assumptionis ipsius beatae Mariae diebus tamen plenariam; eis quoque, qui singulis diebus veneris cuiuslibet quadragesima devote processionibus publicis in partibus et locis transmarinis ad orandum pro conversione gentilium et hereticorum reductione institutis interessent et se flagellarent, etiam plenariam; reliquis vero omnibus eisdem processionibus praesentibus, contritis et confessis, tertiae partis peccatorum suorum, ac eis qui in utriusque tam Orientalis, quam Occidentalis Indiae quacunque regione arma contra infideles ob fidei catholicae defensionem et propagationem, aut alias iusto bello assumerent, in singulis huiusmodi expeditionibus, tam navalibus quam terrestribus, dummodo peccata sua confiterentur et nisi ministrorum inopia vel temporis angustia, aut alia licita de causa impedirentur, sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumerent, similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concessit. Quodque pro animabus eo-

rum, qui in predictis utriusque Indiae navigationibus aut expeditione contra mahometanos aut alios infideles ab humanis decederent, ut quicunque, confessi et contriti, tertiam partem rosarii aut unam coronam pro dictorum et aliorum quorumcumque christifidelium, qui in mari decederent, animabus recitarent, quoties id ageretur, toties per modum suffragii unam ex dictis animabus a poenis Purgatorii, dummodo per dictos defunctos non steterit, quin tempore periculi mortis ipsorum peccata sua confiterentur, liberare valeret. Necnon etiam scholaribus utriusque Indiae huiusmodi, qui in scholis presbiterorum dictae Societatis dant operam literis, ut in presbiterorum eiusdem ecclesiis missas et alia divina officia tempore interdicti et cessationis a divinis, ianuis clausis, dummodo ipsi causam huiusmodi interdicto aut cessationi non dedissent, audire; ipsique presbiteris, ut inibi, etiam scholaribus presentibus, tempore predicto, missas et alia divina officia celebrare possent, indulsit. Ac deinde per alias literas sub die octava septembris eiusdem anni, ad decennium tunc proximum, omnibus et singulis tam presbiteris, quam aliis de dicta Societate existentibus, quos in qualibet utriusque Indiae regione, vel Oceani insula, aut navigatione eundo vel redeundo mori contigerit, plenariam; ac tam eisdem presbiteris, clericis et aliis christifidelibus utriusque sexus qui in quibusvis utriusque Indiae ac regionum, provinciarum, terrarum, insularum, aliorumque locorum predictorum eiusdem Societatis domorum et habitationum ecclesiis tam erectis quam erigendis in illarum dedicationis vel invocationis aut circumcisionis Domini nostri Iesu Christi festivitatibus vel diebus, confessi et contriti, sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumerent, aut si alibi confessi essent et sanctissimum Eucharistiae sacramentum huiusmodi suscepissent, eodem die aliquam ex dictis ecclesiis visitarent et inibi orarent, etiam plenariam. Illis vero qui aliquam ex dictis ecclesiis quibusvis diebus festivis contriti et debito tempore confitendi propositum habentes visitarent et ut supra orarent, septem annos indulgentiae concessit. Ac deinde per alias literas sub die nona ianuarii MDLXXVI, pontificatus sui anno quarto, indulgentiam plenariam ac peccatorum remissionem omnibus christifidelibus in Indiarum et Brasiliae partibus degentibus, vere penitentibus et confessis, ecclesiam Sancti Thome apostoli in Indiis predictis, vel aliquam ex certis eiusdem Societatis ecclesiis illarum partium visitantibus et inibi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumentibus et, ut prefertur, orantibus, quater in anno perpetuis futuris temporibus vive vocis oraculo concessam, ad omnes et singulas alias ecclesias collegiorum, domorum et residentiarum eiusdem Societatis regionum predictarum, saltem inter se per centum milliaria distantes, similiter quater in singulis annis, in diebus per illius prepo-

situm generalem designandis, perpetuo extendit. Ac eisdem christifidelibus qui aliquam ex predictis ecclesiis quadragesima et aliis temporibus stationum Urbis, dominicis et feria sexta diebus visitarent, easdem omnes et singulas indulgentias concessit, quas consequerentur, si ecclesias et basilicas Urbis in diebus stationum huiusmodi devote visitarent; illisque qui singulis diebus feriae sextae primae hebdomadae cuiusque mensis easdem ecclesias devote visitarent et inibi quinquies orationem dominicam et toties salutationem Angelicam pro exaltatione fidei catholicae recitarent, septem annos. In festis vero Domini nostri Iesu Christi et beatae virginis, apostolorum ac sancti sub cuius titulo Ecclesia consisteret, decem annos. Iis autem qui in aliqua ex dictis ecclesiis confessi essent vel sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpsissent, toties viginti annos, facientibus insuper conscientiae examen et de peccatis per eos commissis vere penitentibus centum dies relaxavit. Utriusque etiam sexus christifidelibus, qui aliquam ex confraternitatibus per episcopos auctoritate earumdem literarum erigendis ingrederentur semel in die eorum ingressus, si vere penitentes et confessi, devote communicarent; ipsisque similiter penitentibus et confessis et eodem sacramento refectis ter in vita plenariam. Concessit eisdem etiam confratribus, qui processionibus et divinis officiis interessent, centum dies et qui ecclesiam in qua confraternitas huiusmodi instituta esset sexta feria cuiuslibet hebdomadae devote visitarent, decem annos et totidem quadragenas, mulieribus eiusdem confraternitatis, si quoties signum campanae audirent semel orationem dominicam et salutationem Angelicam flexis genibus devote recitarent, indulgentias confratribus presentibus concessas, eisdemque confratribus qui in die festo Corporis Christi ac eius Octavae penitentes similiter et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumerent eisdem etiam penitentibus et confessis in mortis articulo plenariam; ac eis etiam vere penitentibus et confessis, qui in diebus stationum Urbis altare seu locum in quo sanctissimum Eucharistiae sacramentum custoditur visitarent et septis orationem dominicam et salutationem Angelicam recitantes, ut prefertur, orarent easdem indulgentias stationum Urbis consequerentur. Item eisdem confratribus utriusque sexus similiter penitentibus et confessis, singulis annis in die Coenae Domini, septem annos et totidem quadragenas. Qui vero ad altare ipsius Sanctissimi Sacramenti in tertia dominica cuiuslibet mensis et in die Coenae Domini sacrosanctam Eucharistiam sumerent, iisque qui sacramentum ipsum in processione post maiorem missam tertia dominica cuiuslibet mensis fieri consueta comitarentur, centum dies, ac tam illis quam aliis christifidelibus dictum sacramentum dum ad aegrotos defertur associantibus et qui hoc facere impediti ad sonum campanae genu

flexo semel orationem dominicam et salutationem Angelicam recitarent et pro infirmo orarent, centum dies ac respective omnium peccatorum indulgentiam et remissionem concessit. Insuper Indiarum et Brasiliae episcopis ad quinquennium tunc proximum a die earumdem literarum receptionis computanda, easdem confraternitates et sodalitates sub Sanctissimi Sacramenti invocatione in quibuscunque locis suarum diocesium erigendi et instituendi facultatem, ipsisque confratribus ut quemcunque presbiterum ex approbatis ab ordinario secularem vel regularem, etiam in mortis articulo, etiam si mors tunc non subsequeretur in suum possent eligere confessorem, qui eos ab omnibus peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcunque gravibus etiam Sedi Apostolicae et locorum ordinariis reservatis, preterquam in literis Coenae Domini contentis, ter in vita absolvere et eis penitentiam salutarem iniungere posset. Eisdemque confratribus ac pro tempore existentibus episcopis unacum consilio confratrum qui in dictis confraternitatibus conscribentur quaecunque statuta et ordinationes licita tamen et honesta et sacris canonibus non contraria circa dictarum sodalitatum tranquillum statum concedi et condita mutandi et de novo edendi que eo ipso dicta auctoritate confirmata essent concessit. Et demum felicis recordationis Sixtus Papa V, etiam predecessor noster, easdem indulgentias et gratias ac peccatorum remissiones die XIIII martii MDLXXXVII, pontificatus sui anno secundo, ad decennium a fine ultimi termini computandum prorogavit, ac universis christifidelibus in partibus Indiarum vere penitentibus et confessis, ac sanctissimo Eucharistiae sacramento refectis quoties aliquem ex infidelitate et idolatria ad veri Dei cognitionem reducerent, indulgentiam plenariam ac iubileum ad decennium concessit. Idem etiam Pius IIII die XV iunii, ut eiusdem Societatis provinciales vel ab eis deputati presbiteri cum neophitis provinciarum utriusque Indiae aliarumque regionum in quocunque seu quibusvis a iure divino non prohibitis consanguinitatis vel affinitatis gradibus, vel alias coniunctis matrimonium inter se contrahere, seu iam in etiam scienter contractis, remanere valerent in partibus ubi ordinarii facile adiri possent in foro conscientiae tamen perpetuo; et insuper ibidem infra tamen viginti annos tunc proximos quod ipsi locorum ordinarii de presbiterorum eorumdem tanquam adiutorum et assessorum suorum in locis ubi eorum commode posset haberi copia consilio et cum illis etiam in iudiciali foro, in reliquis autem provinciis ordinariorum presentia destitutis vel ab eis non minus ducentis millibus passuum remotis quod provinciales et deputati presbiteri cum eisdem neophitis etiam in utroque foro gratis dispensare et eos qui in gradibus prohibitis huiusmodi etiam scienter contraxissent ab excessibus ac excommunicationibus, aliisque

censuris et penis ecclesiasticis in utroque foro absolvere, ac prolem inde susceptam legitimam decernere; quod etiam Gregorius predictus per alias suas literas die XVII iulii MDLXXVII expeditas ad alios viginti annos extendit et quod ipsi presbiteri tam in dictis partibus quam ubilibet constituti, quibus aliqua Eucharistiae fragmenta seu minutiae vel alias pro tempore interciderent, etiam post peractum sacrificium absque ullo conscientiae scrupulo reverenter sumere valerent, facultatem concessit. Insuper idem Gregorius per alias suas literas supradicta die octava septembris expeditas et ad decennium tunc proximum valituras facultatem alias per felicis recordationis Paulum III, predecessorem nostrum tunc suum, eidem preposito generali concessam ut presbiteris eiusdem Societatis quos in saracenorum et aliorum infidelium terras et alias provincias remotissimas mitteret christianos in eis commorantes ab omnibus peccatis, sententiis, censuris, etiam in bulla Coenae Domini contentis et reservatis absolvendi facultatem confirmando ad eiusdem Societatis presbiteros, tam ad Orientales quam Occidentales Indias, omnesque insulas et regiones transmarinas ad quas Hispani et Lusitani penetrant, extendit. Eisdemque ut semel a preposito generali vel ab aliquo episcopo approbati ad predicandum, confessiones audiendum et missas celebrandum pro ministrorum huiusmodi exercitio ulterius licentiam et approbationem ab aliis episcopis petere seu habere minime tenerentur, sed absque illis premissa facere et etiam extra ecclesias consecratas super altaribus portatilibus in loco tamen decenti, etiam per horam ante diluculum vel etiam post meridiem in eisdem regionibus cum opus foret celebrare et in Maluco, Iappono et aliis regionibus insularum, terrarum, provinciarum et locorum predictorum, partibus et locis a quibus valde remoti sunt episcopi oleis sanctis per duos vel tres aut quatuor annos ante consecratis libere uti possent. Necnon in singulis ecclesiis Societatis huiusmodi singula ad arbitrium illorum superiorum respective nominanda altaria etiam privilegiata ut quicunque ex predictis presbiteris Societatis predicte tantum missae sacrificium pro defunctis celebrarent per modum suffragii prodessent concessit et die X februarii MDLXXVIIII, pontificatus sui anno septimo, tam illa quae Occidentali quam quae Orientali Indiis concessa sunt et post hac concedentur privilegia, facultates et gratias ita invicem communicavit ut singuli earumdem Indiarum ac Novae Hispaniae dictae Societatis religiosi illis aeque principaliter gauderent. Per alias vero literas die quarta novembris MDLXXIX, pontificatus sui anno octavo, eidem generali aliisque per ipsum ex dicta Societate deputandis ut cum neophitis aliisque ad fidem reductis ex rationabili et legitima causa super voto castitatis non tamen solemni ac matrimonio de facto et in facie Ecclesiae sive

scienter sive ignoranter contracto et quovis occulto impedimento propter quod tale matrimonium in conscientia esset invalidum et contrahentes sine scandalo separari non possent dispensandi, ac super bonis male acquisitis ad que restituenda ipsi neophiti et alii predicti incertis personis obligati existerent cum eis ad opera pia componendi, vel si ipsi indigerent eis in toto vel parte remittendi ad decennium facultatem concessit; et deinde ad aliud decennium premissas omnes gratias et facultates per alias literas die XII augusti MDLXXXIIII, pontificatus sui anno XIII, prorogavit prout in singulorum indultorum literis, quarum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur presentibus pro expressis et insertis haberi volumus et habemus plenius continetur. Quare nos attendentes quam uberes fructus in recenti illa vineae Domini portione ex premissis et aliis per dictos predecessores Societati predictae et eius presbiteris concessis in dies proveniant, volentesque propterea tempus ipsum et gratias concessas ampliare et ne defectu temporis a tam pio et laudabili opere cessetur et alias desuper opportune providere, predictas et omnes alias facultates ac privilegia, indulta, indulgentias et gratias per dictos vel alios etiam predecessores et eorum singulos quomodolibet concessas et concessa ac desuper confectas literas, auctoritate Apostolica, tenore presentium approbamus et confirmamus. Supplentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus si qui in eisdem et aliis illorum vigore subsequutis intervenerint. Et quia concessiones et prorogationes premissorum a diversis predecessoribus nostris variis ac successivis temporibus factae fuerunt adeo ut difficile foret cuiusque prorogationis huiusmodi finem attendere et computare, ideo ad tollendam omnem ambiguitatem et molestiam, concessiones omnes de quibus supra ad viginti annos a data presentium computandos, infra quos presbiteri dictae Societatis et alii predicti facultatibus et gratiis sibi concessis respective uti libere in omnibus et per omnia possint dicta auctoritate prorogamus, extendimus et ampliamus et quatenus opus sit de novo concedimus. Et insuper quia a nonnullis dubitatum seu hesitatum fuit an omnes indigene illarum regionum oriundi et naturales et christianorum indigenarum, etiam baptizatorum filii, etiam in eorum infantia baptizati, iure neophiti appellari possint, prout hucusque predicta facultate dispensandi ad matrimonia tam in Orientalibus quam Occidentalibus partibus utentes intelligendum duxerunt, idcirco tenore earumdem presentium decernimus et declaramus omnes oriundos seu naturales supradictarum omnium tam Orientalium quam Occidentalium partium imo etiam si Aethiopes, Angolani vel quarumvis aliarum transmarinarum regionum, etiam si christianorum filii et in infantia baptizati, vel etiam inter se vel cum Europeis mixtim progeniti sint, presentis

prorogationis tempore durante et ad concessionis huiusmodi effectum esse et intelligi debere neophitos dictosque presbiteros cum huiusmodi ut vel matrimonio coniungi vel in iam contracto remanere possint sive eorum alter tantum sive etiam uterque inde oriundus ac proprie indigena sit in quibuscunque consanguinitatis, seu affinitatis gradibus iure divino ut supra non prohibitis dispensare posse concedimus et indulgemus, supplentes simili modo omnes et singulos etiam solemnitatum quarumcunque defectus, si qui quomodolibet desuper intervenerint; quin etiam quia de mixtim progenitis, quos Mestizos vocant, maius dubium esse potest, declaramus etiam dictos presbiteros Societatis Iesu posse cum eisdem Mesticis, quos similiter ad hunc effectum neophitos censendos esse decernimus, in gradibus et matrimoniis contractis et contrahendis predictis, dummodo non ita facile id faciat dispensare, eisdemque presbiteris facultatem desuper concedimus opportunam. Decernentes presbiteros dictae Societatis super premissis et aliis iuxta facultatem predictam et illius vigore exequendis ex quovis pretextu vel quesito colore per quoscunque loci ordinarios seu alios superiores vel iudices ecclesiasticos et seculares, quavis auctoritate fungentes molestari, perturbari seu inquietari nullatenus posse, sicque in premissis per quoscunque iudices sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et diffiniri debere. Ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus premissis ac omnibus illis quae singuli predecessores predicti voluerunt in suis quibusque literis predictis non obstare. Ceterisque contrariis quibuscunque quorum tenores etc. Datum Romae apud Sanctum Marcum etc., die 21 septembris 1591, anno primo.

569

Super gregem dominícum

Sec. Cam. 73 fol. 141rv anno 1591

INDULGENTIAE PRO CONFRATERNITATE

Sub invocatione sancti Michaelis Archangeli in ecclesia metropolitana Mexicanensi erecta, consuetis condicionibus, inter alias ut pro pace et pro extirpatione haeresum preces fundantur.

Gregorius XIV

Universis etc. salutem etc. Super gregem dominicum divinitus vigilantie nostre creditum prout ex alto nobis conceditur intenti speculatoris officium exercentes ad ea per que christifideles presertim confraternitates inter se ad pia et meritoria opera ineunda et sancta Dei templa visitantes salutem suam Deo propitio valeant promereri nostre considerationis aciem libenter intendimus, ipsosque ad id spiritualibus muneribus indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus invitamus. Cum itaque sicut accepimus in ecclesia metropolitana Mexicanensi in partibus Indiarum Occidentalium et ad altare Sancti Michaelis situm in eadem ecclesia una pia et devota utriusque sexus christifidelium sub invocatione eiusdem Sancti Michaelis Archangeli ad Dei omnipotentis laudem et animarum salutem non tamen pro hominibus unius specialis artis pie et canonice instituta existat, erga quam venerabilis frater noster Petrus [1] archiepiscopus Mexicanensis totius regni Hispanie Nove metropolitanus consilii dictarum Indiarum preses magnum gerit devotionis affectum et cuius dilecti filii confratres magna cum devotione et populi concursu festivitates apparitionis et dedicationis eiusdem Sancti Michaelis Archangeli celebrant omnibusque quartis feriis quarumlibet hebdomadarum totius anni ad honorem eiusdem Sancti Michaelis missam solemnem die festo ipsius Sancti Michaelis ad dictum altare ipsis confratribus et magna totius populi Mexicanensis parte illi assistente celebrari facere diversaque alia pietatis et charitatis opera exercere consueverunt. Nos igitur cupientes ut ipsi confratres in huiusmodi et aliorum piorum operum exercitio confoveantur, ac magis ad ea imposterum exercenda, necnon alii christifideles ad dictam confraternitatem promptius de cetero ingrediendam incitentur, ipsaque confraternitas salutaribus in Domino magis in dies proficiat incrementis, ac dicta ecclesia et ipsum altare in debita veneratione habeantur et ab ipsis christifidelibus congruis frequententur honoribus illique eo libentius ad illam devotionis causa confluant quo ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerint se esse refectos et indi illarum partium in fide catholica, quam noviter receperunt, melius consolidentur, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi supplicationibus Petri archiepiscopi necnon confratrum predictorum inclinati omnibus et sin-

[1] Petrus Moya de Contreras, archiepiscopus Ecclesiae Mexicanae 1573-1592.

gulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur die primi eorum ingressus si Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumpserint; necnon tam ipsis quam ad presens existentibus dicte confraternitatis confratribus pariter penitentibus et confessis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde si ore nequiverint invocantibus; necnon eisdem confratribus qui vere penitentes et confessi ac sacra communione refecti dictam ecclesiam seu altare in die festivitatis apparitionis eiusdem Sancti Michaelis singulis annis a primis vesperis usque ad occasum solis diei predicti visitaverint et ibi pro pace inter principes christianos conservanda ac Sanctae Matris ecclesie exaltatione, heresumque extirpatione pias ad Deum preces fuderint quo die predicto id fecerint plenariam omnium peccatorum suorum remissionem Apostolica auctoritate tenore presentium perpetuo concedimus et elargimur. Volumus etc. momenti. Datum Romae in Monte Quirinali Anno Incarnationis Dominice 1591, pontificatus nostri anno primo.

570

Cum isthic

Sec. Brev. 184 fol. 331r-332r — die 5 decembris 1591
Hernaéz I 409

RELIGIOSI A CONTRIBUTIONE PRO SEMINARIIS EXIMUNTUR

Ut fructus apostolatus augeantur et zelus in propagatione fidei excitetur, Summus Pontifex religiosos Ordinis Fratrum Praedicatorum in *Perú,* supplicationibus eorum inclinans, a contributione pro seminariis ecclesiasticis liberat, et in virtute sanctae obedientiae exactoribus inhibet, ne religiosos hac in re perturbent.

Innocentius IX

Dilectis filiis provinciali et professoribus ordinis fratrum Predicatorum provinciae Sancti Ioannis Baptistae del Perú.

Dilecti filii salutem etc. Cum isthic sicuti accepimus, uberes in

agro Dominico fructus quotidie faciatis, dignum quin potius debitum reputamus ea vobis per nos concedi per quae promptiores Altissimi inhereatis servitiis. De consilio itaque venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium decretis concilii Tridentini interpretandis prefectorum, quibus hoc negotium examinandum et nobis referendum commisimus, supplicationibus etiam vestris hac in parte inclinati; vos et quemlibet vestrum, quamdiu istic moram trahetis a quacunque contributione pro seminariis ecclesiasticis et pro elemosinis vobis concedendis, ac aliis incertis, Apostolica auctoritate, tenore presentium eximimus et totaliter liberamus, ac immunes et exemptos ac liberos prorsus facimus; inhibentes in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis exactoribus datiorum, gabellarum et onerum dictorum seminariorum et quibusvis aliis ad quos spectat et spectabit in futurum, ne vos aut aliquem vestrum super premissis quomodolibet molestent et perturbent, decernentes vos aut aliquem vestrum ad illorum contributionem minime teneri, nec obligatos existere. Sicque per quoscunque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et diffiniri debere; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis illarum partium seu eorum officialibus ac Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, necnon abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis, canonicis et capitulis, ac aliis ecclesiarum prelatis per presentes mandamus, quatenus vobis in premissis efficacis defensionis presidio assistentes faciant vos et quemlibet vestrum premissis pacifice frui et gaudere; nec permittant vos per exactores seu quoscunque alios desuper molestari. Contradictores quoslibet et rebelles et premissis non parentes per sententias, censuras et penas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac dictis seminariis per quoscunque Romanos Pontifices predecessores nostros et Sedem Apostolicam in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis privilegiis ac dicta consuetudine. Quibus omnibus eorum tenores presentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus. Ceterisque contrariis quibuscunque; ceterum quia difficile foret presentes literas ad singula queque loca, in quibus de eis fides forsan facienda foret, deferri volumus et dicta auctoritate decernimus quod illarum transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici sub-

scriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiatica constitutae munitis in iudicio et extra, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., die quinta decembris 1591, anno primo.

571

Divina disponente clementia

A.A.Arm. I-XVIII 1819 anno 1591

ARCHIEPISCOPUS MEXICANENSIS PATRIARCHA INDIARUM OCCIDENTALIUM NOMINATUR

Patriarchalis dignitas Indiarum Occidentalium per obitum Ferdinandi vacat. Philippus rex Catholicus ad hanc dignitatem, quae ex privilegio apostolico de eius iurepatronatus est, archiepiscopum Petrum Moya de Contreras de *México* praesentavit. Summus Pontifex ideoque eundem Petrum a vinculo Ecclesiae Mexicanae absolvit et patriarcham Indiarum Occidentalium nominat. Antequam Petrus patriarchalis dignitatis titulum assumit et se patriarcham nominat, professionem fidei atque iuramentum iuxta formam in ipso documento annotatam emittere debet.

Innocentius IX

Venerabili fratri Petro [1] patriarchae Indiarum occidentalium salutem et apostolicam benedictionem.

Divina disponente clementia cuius inscrutabili providentia ordinem cuncta suscipiunt ad regendum clavum militantis ecclesiae evoca-

[1] Petrus Moya de Contreras, archiepiscopus Ecclesiae Mexicanensis.

ti de praeficiendis viris idoneis dignitatibus atque muneribus in ecclesia Dei superioribus temporibus per Romanos pontifices praedecessores nostros institutis congruum est assidue et sollicite cogitare. Sane patriarchali dignitate Indiarum occidentalium per obitum bone memorie Ferdinandi patriarchae Indiarum praedictarum, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit vacante, nos post consultationem ac maturam deliberationem quam de praeficiendo eidem dignitati virtutum insignem ac variis virtutum generibus ornatum cum fratribus nostris habuimus diligentem demum ad te archiepiscopum Mexicanensem quem charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus nobis ad dictam dignitatem, quae de iurepatronatus eiusdem Philippi Regis ratione regnorum Castelle et Legionis quorum ipse Philippus etiam Rex existit, ex privilegio apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum esse dignoscitur per suas literas prout iuxta privilegium praedictum poterat praesentavit, eximiarum tuarum virtutum meritis inspectis quibus illarum largitor altissimus te insignivit, quodque ecclesiae Mexicanae hactenus laudabiliter praefuisti dirеximus oculos nostrae mentis. Intendentes igitur quamprimum dictae patriarchali dignitate opportune providere teque a quibusvis excommunicationis etc. censentes de fratrum eorumdem consilio et apostolicae potestatis plenitudine licet absentem a vinculo quo dictae ecclesiae Mexicanae, cui tunc praesidebas, tenebaris absolvimus ac de persona tua eidem patriarchali dignitati, ut praefertur, vel alias vacanti providemus. Sic igitur pro tua insigni pietate viam Domini assidue prosequi et in ea in dies magis magisque proficere curabis ut dum de ecclesia Dei et hac sancta Sede benemereri non cessabis, nos quoque iure merito ad prosequendum te potioribus benefitiis invitemus. Volumus autem quod antequam predictae patriarchalis dignitatis titulum assumpseris teque patriarcham denominaveris aut inscripseris in manibus venerabilium fratrum nostrorum N. et N. episcoporum vel alterius eorum catholicae fidei professionem iuxta articulos pridem ab eadem Sede Apostolica propositos ac formam quae tibi una cum his nostris literis praesentabitur emittas, atque iuramentum praestes iuxta formam inferius annotatam ac professionis fidei quam emiseris et iuramenti quod praestiteris formas nobis de verbo ad verbum per publica instrumenta atque per proprium nuntium quo citius fieri poterit destinare procures. Forma autem iuramenti quod praestabis haec est: Ego Petrus patriarcha Indiarum occidentalium ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro Sanctaeque Apostolicae Romanae ecclesiae ac D.N.D. Innocentio papae nono suisque

successoribus canonice intrantibus; non ero in consilio aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur, aut in eos manus violenter quomodolibet ingerantur, vel iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore; consilium vero quod mihi credituri sunt per se, aut nuntios, seu literas ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam; papatum Romanum et Regalia Sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum, et defendendum contra omnem hominem; legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo; iura, honores, privilegia et auctoritatem Romanae ecclesiae D.N. Papae et successorum praedictorum conservare, defendere, augere et promovere curabo; nec ero in consilio facto seu tractatu in quibus contra ipsum D. nostrum vel eandem Romanam ecclesiam aliqua sinistra vel praeiuditialia personarum iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur; et si talia a quibuscumque procurari novero vel tractari impediam hoc pro posse et quanto citius potero commode significabo eidem D. nostro vel alteri per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire; regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari; haereticos, scismaticos et rebelles D. nostro et successoribus praedictis pro posse persequar et impugnabo; vocatus ad synodum veniam nisi praepeditus fuero canonica praepeditione; apostolorum limina singulis trienniis ac per me ipsum visitabo; mandata apostolica praefata humiliter recipiam et quam diligentissime exequar, quod si legitimo impedimento detentus fuero praefata omnia adimplebo per procuratorem ad hoc speciale mandatum habentem qui vice mea apostolico conspectui se praesentare et de legitimo impedimento huiusmodi saltem per iuramentum legitimam fidem facere teneatur. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia. Datum.

572

Apostolatus officium

Bull. Praed. V 623
Hernáez II 85
BM II 1106

die 22 maii 1592

PROVISIO ECCLESIAE CIVITATIS REGALIS

Per obitum Petri de Feria Ordinis Fratrum Praedicatorum, ecclesia Civitatis Regalis (*Chiapas, hodie San Cristobal de las Casas*) pastoris solatio destituta est. Andreas de Ubillas Ordinis Fratrum Praedicatorum, praesentatus a Philippo rege, novus episcopus eiusdem ecclesie constituitur.

Clemens VIII

Clemens Episcopus Servus servorum Dei. Dilecto filio Andreae de Ubillas [1] electo de Chiapa, salutem et Apostolicam benedictionem. Apostolatus officium, meritis licet imparibus, gubernantes etc. Sane ecclesia de Chiapa in Indiis Occidentalibus, que de iurepatronatus carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici ex privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, fore dignoscitur, et cui bone memorie Petrus [2] episcopus de Chiapa, dum viveret, presidebat, per obitum dicti Petri episcopi, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, nos,

---

[1] Andreas de Ubilla natus est anno 1540 in oppido *Eibar*, Ordini Fratrum Praedicatorum nomen dedit, anno 1603 translatus est ad Ecclesiam Mechoacanensem, sed iam mortuus erat mense maii 1602.

[2] Petrus de Feria natus est anno 1524 in oppido *Feria*, anno 1545 Ordini Fratrum Praedicatorum nomen dedit, 1551 in Americam profectus et 1574 nominatus est episcopus Ecclesiae Civitatis Regalis (*Chiapas*); mortuus est anno 1588. BM II 968.

vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, ne illa etc. intendentes, post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem etc. demum ad te fratrem Ordinis Predicatorum magistrum in Theologia, Ordinem ipsum expresse professum ex legitimo matrimonio procreatum et in presbyteratus ordine et aetate legitima constitutum, quem prefatus Philippus Rex nobis ad hoc per suas litteras presentavit, et de cuius vite munditia, honestate morum spiritualium et meritis etc. quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis accepta eidem ecclesie de eorundem fratrum consilio Apostolica auctoritate providemus, teque illi in episcopum preficimus et pastorem, curam animarum committendo, in illo confidentes, quod dirigente Domino actus tuos prefata ecclesia sub tuo felici regimine dirigetur, ac grata incrementa suscipiet. Iugum igitur Domini etc. prudenter ecclesia ipsa gubernatori provido commissam etc. Volumus autem, quod antequam possessionem, seu quasi regiminis et administrationis eiusdem ecclesie, vel illius bonorum aut maioris partis eorum assequaris, seu in illis te immisceas, professionem fidei catholice iuxta articulos pridem a Sede prefata propositos, ac formam, quam sub bulla nostra mittimus introclusam in manibus venerabilium fratrum nostrorum de Yucatan et Vere pacis episcoporum, seu alterius eorum solemniter facere, ac huiusmodi professionis per te facte instrumentum publicum ad Sedem prefatam quam primum, sine mendis transmittere tenearis, quibus, et eorum cuilibet per alias nostras litteras mandamus, ut ipsi, vel eorum alter a te professionem recipiant seu recipiat antedictam. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice Millesimo Quingentesimo Nonagesimo Secundo, undecimo kalendas iunii, Pontificatus nostri Anno Primo.

573

Cum nos nuper

Sec. Brev. 192 fol. 42rv — die 5 iunii 1592

DE ORDINATIONE ARCHIEPISCOPI ELECTI DE *MÉXICO*

Summus Pontifex archiepiscopo electo de *México*, Alfonso Fernández de Bonilla, facultatem ab eo petitam concedit, ut a quocumque maluerit catholi-

co Antistite munus consecrationis suscipere possit, assistentibus sibi duobus vel tribus personis in ecclesiastica dignitate constitutis seu canonicis cathedralium ecclesiarum, professione fidei et iuramento consueto ritu praestitis.

Clemens VIII

Dilecto filio Alfonso [1] electo Mexican.

Dilecte fili salutem etc. Cum nos nuper ecclesiae Mexican. in Indiis occidentalibus certo tunc expresso modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio auctoritate Apostolica providerimus preficiendo te illi in archiepiscopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi, ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus aut tribus in ecclesiastica dignitate constitutis personis, seu canonicis cathedralium ecclesiarum prout commodius fieri poterit similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas ac eidem antistiti ut recepto prius a te, nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento munus predictum auctoritate nostra impendere licite tibi possit plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem, utque fidei professionem iuxta formam ab Apostolica Sede prescriptam in manibus cuiusvis episcopi seu persone in ecclesiastica dignitate constitute, vel canonici ecclesie cathedralis emittere valeas eadem auctoritate et tenore presentium concedimus et indulgemus. Volumus autem et dicta auctoritate decernimus quod si non recepto a te per dictum antistitem predicto iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis idem antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Praeterea etiam volumus quod formam iuramenti a te tunc prestiti et fidei professionis emisse nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocitius destinare procures. Datum Romae in Monte Quirinali die V iunii 1592 anno primo.

---

[1] Alphonsus Fernández de Bonilla nominatus est archiepiscopus Ecclesiae Mexicanensis die 22 maii 1592; mortuus est anno 1596.

574

Cum nos nuper

Sec. Brev. 192 fol. 46rv die 5 iunii 1592

DE ORDINATIONE EPISCOPI ELECTI DE *GUADALAJARA*

Summus Pontifex episcopo electo de *Guadalajara*, Francisco Santos García, facultatem ab eo petitam concedit, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere possit, assistentibus sibi duobus vel tribus personis in ecclesiastica dignitate constitutis seu canonicis cathedralium ecclesiarum, professione fidei et iuramento consueto ritu praestitis.

Clemens VIII

Dilecto filio Francisco [1] electo de Guadalahara.

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem. Cum nos nuper ecclesiae de Guadalahara in Indiis occidentalibus certo tunc expresso modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorumdem consilio auctoritate apostolica providerimus preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, nos ad ea quae ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi ut a quocunque malueris catholico antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus aut tribus in ecclesiastica dignitate constitutis personis seu canonicis catedralibus munus consecrationis recipere valeas, ac eidem antistiti ut recepto prius a te, nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento, munus predictum auctoritate nostra impendere licite tibi possit plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem, utque fidei professionem iuxta formam

[1] Franciscus Santos García nominatus est episcopus Ecclesiae de *Guadalajara* die 22 maii 1592; mortuus est anno 1600.

ab apostolica Sede prescriptam in manibus cuiusvis episcopi seu persone in ecclesiastica dignitate constitute vel canonici ecclesie cathedralis emittere valeas eadem auctoritate et tenore presentium concedimus et indulgemus. Volumus autem et dicta auctoritate decernimus quod si non recepto a te per dictum antistitem predicto iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis idem antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Praeterea etiam volumus quod formam iuramenti a te tunc prestiti et fidei professionis emisse nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocitius destinare procures. Datum Romae in Monte Quirinali etc. die V iunii 1592 anno primo.

575

Cum nos nuper

Sec. Brev. 192 fol. 47r-48r die 5 iunii 1592

DE ORDINATIONE EPISCOPI ELECTI DE *NICARAGUA*

Clemens VIII Hieronymo de Escobar, OSA, novo episcopo electo de *Nicaragua,* facultatem concedit, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere possit, assistentibus sibi duobus aut tribus personis ecclesiasticis seu canonicis cathedralium ecclesiarum, iuramento fidelitatis et professione fidei consueto ritu praestitis.

Clemens VIII

Dilecto filio Hieronimo [1] electo de Nicaragua.

[1] Hieronymus de Escobar nominatus est episcopus Ecclesiae Legionensis seu de *Nicaragua* die 22 maii 1592; mortuus est eodem anno in *Cadix.*

Dilecte fili salutem etc. Cum nos nuper ecclesiae de Nicaragua in Indiis occidentalibus certo tunc expresso modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio auctoritate Apostolica providerimus preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, nos ad ea quae ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi, ut a quocunque malueris catholico antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus aut tribus in ecclesiastica dignitate constitutis personis, seu canonicis cathedralium ecclesiarum, prout commodius fieri poterit similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas, ac eidem antistiti ut recepto prius a te, nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento munus predictum auctoritate nostra impendere licite tibi possit plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem, utque fidei professionem iuxta formam ab Apostolica Sede prescriptam in manibus cuiusvis episcopi seu persone in ecclesiastica dignitate constitute vel canonici ecclesie cathedralis emittere valeas eadem auctoritate et tenore presentium concedimus et indulgemus. Volumus autem et dicta auctoritate decernimus quod si non recepto a te per dictum antistitem predicto iuramento idem antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis idem antistes a pontificalis offitii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Praeterea etiam volumus quod formam iuramenti a te tunc prestiti et fidei professionis emisse nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocitius destinare procures. Datum Romae in Monte Quirinali etc. die V iunii 1592 anno primo.

576

Cum nos nuper

Sec. Brev. 192 f. 50rv — die 5 iunii 1592

DE ORDINATIONE EPISCOPI ELECTI DE *CHIAPAS*

Andreas de Ubilla, Ordinis Praedicatorum, episcopus de *Chiapas* consti-

tutus est. Summus Pontifex facultatem ei concedit, ut a quocumque maluerit catholico Antistite munus consecrationis suscipere valeat, assistentibus sibi duobus aut tribus personis ecclesiasticis, iuramento fidelitatis in manibus Antistitis, professionem fidei vero in manibus cuiusvis episcopi seu personae ecclesiasticae emissis.

Clemens VIII

Dilecto filio Andree [1] de Chiapa electo.

Dilecte fili salutem etc. Cum nos nuper ecclesiae de Chiapa in Indiis Occidentalibus certo tunc expresso modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate providerimus preficiendo te illi in episcopum et pastorem prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, nos ad ea que ad tuae commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem apostolicae sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus aut tribus in ecclesiastica dignitate constitutis personis seu canonicis Cathedralium Ecclesiarum prout commodius fieri poterit similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas ac eidem antistiti ut recepto prius a te nostro et Romane Ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento munus predictum auctoritate nostra impendere licite tibi possit plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem utque fidei professionem iuxta formam ab apostolica sede praescriptam in manibus cuiusvis episcopi seu personae in ecclesiastica dignitate constitutae vel canonici ecclesie Cathedralis emittere valeas eadem auctoritate et tenore presentium concedimus et indulgemus; volumus autem et dicta auctoritate decernimus quod si non recepto a te per dictum antistitem predicto iuramento idem Antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis idem antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Praeterea etiam volumus quod formam iuramenti a te tunc praestiti et fidei professionis emissae nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocitius destinare procures. Datum Romae in Monte Quirinali etc. die V iunii 1592 anno primo.

---

[1] De Andrea de Ubilla cfr. supra doc. 572.

577

Dudum felicis recordationis

Sec. Brev. 192 fol. 35rv die 5 iunii 1592

INDULTUM PRO INDIS DIVINA OFFICIA TEMPORE INTERDICTI CELEBRANDI

Pius IV christifidelibus indianae nationis ad 30 annos concessit, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missas et alia divina officia, *etiam ianuis apertis et pulsatis campanis,* celebrare, sacramenta suscipere et defunctos etiam cum funerali pompa sepelire possent, dummodo ipsi causam interdicti non dedissent, excommunicatis tamen et interdictis exclusis. Clemens VIII indultum huiusmodi ad alios 15 annos prorogat.

Clemens VIII

Ad futuram rei memoriam. Dudum felicis recordationis Pius Papa IIII praedecessor noster sub data videlicet die decimo augusti pontificatus sui anno tertio certis tunc expressis causis adductus ac charissimi in Christo filii nostri tunc sui Philippi Hispaniarum Regis Catolici supplicationibus ea in parte inclinatus, omnibus et singulis utriusque sexus indianae nationis christifidelibus ut tempore interdicti in eorum ecclesiis et aliis piis locis quavis et apostolica auctoritate appositi dummodo illi causam non dedissent nec id eis specialiter interdici contingeret ecclesias et alia pia loca huiusmodi ingredi et inibi etiam ianuis apertis et pulsatis campanis per parrochianos, rectores vel eorum vicarios aut alios presbiteros missas et alia divina officia etiam alta voce, excommunicatis tamen et interdictis exclusis, celebrari facere et illis interesse necnon confessionis, poenitentiae, Eucharistiae et alia ecclesiastica sacramenta suscipere et eorum defunctorum corpora, etiam cum funerali pompa ecclesiasticae tradi sepulturae, ac ipsis rectoribus, vicariis et aliis presbiteris eligendis ut missas et alia divina officia celebrare et ecclesiastica sacramenta fidelibus huiusmodi mini-

strare, ita ut celebrantibus ipsis ad culpam nequiret imputari ordinariorum locorum vel aliorum licentia desuper minime requisita libere et licite valerent ad triginta annos tunc proxime futuros duntaxat concessit et indulsit, prout in litteris dicti praedecessoris desuper dicta die in forma Brevis confectis plenius continetur. Cum autem finis dictorum triginta annorum instet at Indi provinciae Guatimalensis sicut exponi nobis nuper fecerunt desiderant concessionem et indultum dicti praedecessoris ad alios triginta annos sibi prorogari et extendi, nos dictarum litterarum tenores perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, presentibus pro expressis habentes supplicationibus eorum hac in parte inclinati dictos triginta annos, ut petitur, concessos ad quindecim annos a fine primo dictorum triginta annorum computandos quibus durantibus tempore interdicti in ecclesiis et aliis piis locis dictae provinciae Guatimalensis ingredi ac inibi missas et alia divina officia etiam alta voce celebrari facere ac illis interesse, necnon sacramenta predicta suscipere ac corpora defunctorum sepulturae ecclesiasticae tradere et alia iuxta dictarum litterarum tenorem etc. facere libere et licite valeant apostolica auctoritate tenore presentium prorogamus et extendimus. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac omnibus illis quae in dictis litteris expresse sunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscunque; et quia difficile foret presentes litteras ad singula quaeque loca in quibus eis utendum erit deferri volumus et dicta auctoritate decernimus illarum transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eandem prorsus fidem in iuditio et extra adhibendam esse quae ipsis presentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae in Monte Quirinali etc. die V iunii 1592 anno primo.

578

Dudum felicis recordationis

Sec. Brev. 192 fol. 34rv — die 8 iunii 1592

DISPENSATIO PRO INDIS, UT MATRIMONIA TEMPORIBUS PROHIBITIS CONTRAHERE POSSINT

Pius IV ad supplicationem Philippi Hispaniarum regis cum Indis ad 25

annos dispensavit, ut matrimonia temporibus prohibitis contrahere possent, *citra tamen publicum festivae laetitiae strepitum.* Clemens VIII ad alios 12 annos cum Indis provinciae Guatemala dispensat, ut similia matrimonia temporibus prohibitis contrahere et in facie Ecclesiae solemnizare possint.

Clemens VIII

Ad futuram rei memoriam. Dudum felicis recordationis Pius papa IIII praedecessor noster sub data videlicet die duodecima augusti pontificatus sui anno tertio certis tunc expressis causis adductus ac carissimi in Christo filii nostri tunc sui Philippi Hispaniarum Regis Catholici supplicationibus ea in parte inclinatus, cum universis et singulis utriusque sexus Indis ut deinceps ad annos viginti quinque a dicta die computandos tam in Adventus Domini, Septuagesimae et Quadragesimae quam aliis anni temporibus in quibus nuptiae fidelibus ab ecclesia sunt prohibitae matrimonia invicem alias rite contrahere et in facie ecclesiae citra tamen publicum festivae letitiae strepitum solemnizare benedictionemque ecclesiasticam recipere ac presbiteris ut illam eis temporibus huiusmodi impendere et nuptiis assistere libere et licite valerent apostolica auctoritate de specialis dono gratiae dispensavit prout in litteris ipsius praedecessoris dicta die desuper in forma Brevis confectis plenius continetur. Cum autem dicti viginti quinque anni elapsi existant et mos gentis illius non sit nuptias suas festis aliisve prophanis spectaculis celebrare et propterea non magni referre videatur si matrimonia sua temporibus a iure prohibitis solemnizare permittantur pro parte Indorum provinciae Guatimalensis nobis fuit humiliter supplicatum quatinus eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos dictarum litterarum tenores perinde ac si de verbo ad verbum insererentur pro expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati omnes et singulos Indos dictae provinciae Guatimalensis adversus lapsum temporis huiusmodi apostolica auctoritate tenore presentium restituimus, reponimus et plenarie reintegramus ac cum universis et singulis utriusque sexus Indis dictae provinciae, ut deinceps ad duodecim annos tamen a data presentium computandos, tam in Adventus Domini, Septuagesimae et Quadragesimae quam aliis anni temporibus in quibus nuptiae fidelibus ab ecclesia sunt prohibitae matrimonia invicem alias rite contrahere et in facie ecclesiae solemnizare benedictionemque ecclesiasticam recipere ac presbiteris ut illam eis temporibus huiusmodi impendere et nuptiis assistere libere et licite valeant auctoritate et tenore praemissis iuxta dictarum litterarum tenorem dispensamus eisque pariter indulge-

mus non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon omnibus illis quae dictus praedecessor voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscunque. Et quia difficile foret presentes litteras ad singula queque loca in quibus eis utendum erit deferri, volumus et dicta auctoritate decernimus illarum transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eandem prorsus fidem in iuditio et extra adhibendam esse quae ipsis presentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae in Monte Quirinali etc. die VIII iunii 1592 anno primo.

579

Quamquam vos

Hernáez I 410 die 23 septembris 1592

RELIGIOSI IN DOMIBUS SINGULARIBUS EVANGELIZANDI CAUSA EXISTENTES NON SUNT EXTRA CLAUSTRA VIVENTES

Religiosi Ordinis Sancti Francisci de Observantia Provinciarum de *Perú* et de *Quito,* ad evangelizandos populos a superioribus suis deputati et sub obedientia provincialis viventes, a quibusdam praelatis et episcopis tamquam extra claustra existentes considerantur et ut tales decretis in rebus a Concilio Tridentino expositis obnoxii adiucantur. Summus Pontifex e contra declarat, eos tamquam religiosos intra claustra viventes reputandos esse, dummodo quolibet anno se coram superioribus praesentent et renovationem licentiae obtineant. Ordinariis autem prohibet *sub indignationis nostrae poena,* eos perturbare, nisi in casibus a Concilio Tridentino reservatis.

Clemens VIII

Dilecti Filii salutem et Apostolicam benedictionem. Quamquam vos sicut exponi Nobis fecistis, ad praedicandum Sacrosanctum Dei

Evangelium, et viam veritatis et salutis demonstrandum, in dies a vestris Praelatis et Superioribus deputati existatis, vobisque Provincialis, sub cujus obedientia vivitis, assignatus sit; nihilominus praelati Conventus, ubi degitis, et Episcopi istarum partium praetendunt, vos extra claustra existere, et ut tales adjudicandos fore in rebus a Concilio Tridentino expositis, in notorium vestrum gravamen; Nos quieti et statui vestro hac in parte consulere cupientes, ac de praemissis ex relatione dilecti Filii nostri Hieronymi S. R. E. Presbyteri Cardinalis Mathei nuncupati, plene informati, harum serie decernimus, vos, ad praemissa obeunda, a vestris praelatis deputatos, et sub obedientia vestri Provincialis viventes, reputandos esse tanquam Religiosos viventes intra claustra et sub obedientia vestrorum Praelatorum: ac propterea non esse ab Ordinariis molestandos, nisi in casibus in dicto Concilio reservatis, dummodo quolibet anno vos coram vestris Superioribus praesentetis et innovationem Licentiarum obtineatis, sicque per quoscumque judices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique judicari ac definiri debere; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: mandantes eisdem Ordinariis sub indignationis Nostrae poena per quemlibet contra facientem eo ipso incurrenda, ne vos aut aliquem vestrum praemissa peragentes, nisi in casibus a Sacro Concilio Tridentino reservatis, quoquomodo molestare, perturbare, aut inquietare audeant seu praesumant. Necnon Priori Sancti Dominici et Provinciali Ordinis Sancti Augustini ac Commendatori Ordinis B. M. de Mercede Monasteriorum Civitatis Regum vel Cusquensis et de Chito, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios vobis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittant vos ab ipsis Ordinariis seu quibusvis aliis contra praesentium tenorem molestari. Contradictores quoslibet et rebelles et praemissis non parentes per sententias, censuras et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo: invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis etc.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesimo tertio Septembris 1592, Pontificatus nostri anno primo.

INDICES

N.B. Nulla habetur ratio nominum propriorum et rerum notabilium in Introductione occurrentium. Numeri ad singula documenta remittunt.

INDEX INITIALIUM VERBORUM

INDEX PERSONARUM

Abbreviationes: archiep. = archiepiscopus. - can. = canonicus. - card. = cardinalis. - cler. = clericus. - ep. = episcopus. - mag. = magister. - mon. = monialis. - patr. = patriarcha. - presb. = presbyter. - proc. = procurator. - s. = sancta/sanctus. - vic. = vicarius.

INDEX LOCORUM

Abbreviationes: capp. = cappella. - confr. = confraternitas. - eccl. = ecclesia. - hosp. = hospitium. - mon. = monasterium. - prov. = provincia.

INDEX RERUM NOTABILIUM

INDEX GENERALIS

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI S.A.S. - ISOLA DEL LIRI (FR) - ROMA